Praedium rusticum, in quo cuiusuis soli vel culti vel inculti plantarum vocabula ac descriptiones, earúmque conserendarum atque excolendarum instrumenta suo ordine describuntur in adolescentulorum, bonarum literarum studiosorum, gratiam / [Charles Estienne].

Contributors

Estienne, Charles, 1504-approximately 1564.

Publication/Creation

Lutetiae : Apud Carolum Stephanum..., 1554.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/mkqmnbgm

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

PA
ZL

Prædium Rüspicum
Caroli Stephani

5.

6992 A.

64855. 24 mm. Bll.
Coll. Dr.

Schr. I/3

XXXI, 106

1 6 + 14
Pars mea Deus
A.S.V.I.O

Polbel 2746
Estienne Roudoard I, 106, 5.

PRAEDIVM RVSTICVM,

In quo cuiuſuis ſoli vel culti vel inculti plãtarum vocabula ac deſcriptiones, earúmque conſerẽdarum atque excolendarum inſtrumenta ſuo ordine deſcribuntur.

In adoleſcentulorum, bonarum literarum ſtudioſorum, gratiam.

LVTETIAE,
Apud Carolum Stephanum Typographũ Regium.
M. D. LIIII.

Quæ hoc codice describentur plantæ, hunc ordinem seruabunt: hísque decem capitibus, aut, si mauis, libellis continentur.

Hortus	Cap. I.	Lacus	Cap. VI.
Seminarium	Cap. II.	Arundinetũ	Cap. VII.
Vinetum	Cap. III.	Sylua	Cap. VIII.
Ager	Cap. IIII.	Frutetum	Cap. IX.
Pratum	Cap. V.	Collis	Cap. X.

30 7701

CAROLVS STEPHANVS
Gulielmo Bayllio, Regiarum rationum Præsidi, s.

SI iustum est ac salubre, quod ait ille, laudanda ingentia rura, exiguũ excolendum esse, habes hîc, æquissime Præses, quo tu boni poetæ ac philosophi consilio commodè satisfacias. Non enim est ingens, neque ita laboriosum prædiũ, quod tuæ culturæ dedicamus, sed admodum exiguum ac rude: adeò tamen facile, quod paruo à te negotio exarari possit. Id si tuam manum semel atque iterum subierit, lætum aliquando futurum esse non dubito. In eo cuiuis semini ac legumini suscipiendo accõmodatũ solũ, instrumẽta ad omnem eius culturam idonea, prompta & apparata omnis generis semina reperies, nihil vt præter operam

tuam,hoc est promptum atque acutissimum (quo tui ordinis cæteros longo post te interuallo reliquisti) iudicium,amplius desyderet. Quãquam enim maioribus, atque opulentioribus agris excolendis tu mihi natus esse videaris: tantùm tamen de singulari humanitate ac beneuolentia tua mihi confido,vt nostrum hunc,licet exiguum agellum,promptissimè obire ac perlustrare minimè dedigneris. Erit fortasse aliquid in hoc tenui solo,quod te vidisse aliquando pœnitere non possit. Vale. Ex Marcelliano nostro. Idibus Octobr. M. D. LIII.

Caroli Stephani, Prædium rusticum.

QVVM ego uos adoleſcentuli ſuperioribus annis uiderem plantarum cognoſcendarum deſyderio tãtopere detineri, ut libellos, quos in ueſtrã utilitatem ac gratiam de his rebus olim cõſcripſeramus, perpetuò deſyderaretis, magníſque cõuitiis communem agri locum, quem propter grauiora atque urgentiora negotia abſoluendum reliqueramus, quotidie efflagitare perciperem, Facere nõ potui, quin non ſolùm poſtremo hoc labore ueſtrum agrũ utcunque excultum nunc tandem acciperetis: uerùm id maximè operam dedi, ut cætera loca communia hactenus per libellos diſſipata, in unum ueluti cõdicem reducerem, ex quo omnes plantarum appellationes, atque adeò deſcriptiones quandocunque uacauerit, deſumere liceret: cui libro titulum Prædij ob id inſcribere libuit, quòd id (ueteri quidem appellatione) omnia, quæ agricolarum manibus conſeri atque elaborari poſſunt, complectatur, ſiue ex hoc arbores ac uites, ſiue frugum genus omne, ſiue eduliũ aut agreſtiũ herbarũ (etſi non omnes) permultas tamen ſpecies deſyderabitis: quorum loca communia ſunt, horti, ſeminaria, uineta, agri, atque huiuſcemodi

cætera, quæ uos pro nostris occupationibus utcunque expolita accipere malo, quàm ut ea diligentia perfecta atque absoluta existimetis, qua multò (quæ præ manibus habemus) grauiora pertractare licæret. Itaque prætermissa ea disceptatione, quæ de fundi ac ruris appellatione fieri potest (multorum enim de his uocabulis appellationes minus moramur) iam inde ab horto incipiendum esse uidetur.

Hortus.

HORTVM *ab antiquis dictum pro uilla (uulgus uocat* vng village) *author est Festus: ea ratione, quòd ibi orirētur qui arma capere possent. Hinc Plin. lib. 19. cap. 4, In duodecim (inquit) tabulis legum nostrarum nusquam nominatur uilla, semper in ea significatione hortus: in horti uerò significatione, hæredium. Et paulo pòst, Romæ quidem, inquit, per se hortus, ager pauperis erat. Itaque à uerbo orior, deductum est. ob id autem aspiratur, ut differat à dictione ortus, quādo originem siue natiuitatem significat.*

Hortus, vn iardin, *à Græcis* κῆπος *dictus, qui uel animi gratia fiebat, hoc est, ad uoluptatem & delectationem (cuiusmodi Epicurus Athenis primus instituisse intra mœnia creditur, ut meminit Cicero in libris de Natura deorum: unde etiam hortorum magister à Plinio dictus est) uel etiā utilitatis: Expedita enim res, inquit Plinius, & parata semper: neq; egent igni qui hortos habēt: crudis enim cibis facilè uescuntur, & coctu facilibus.*

Itaque hortus altera succidia quondam putabatur: & ubi opes horti deerãt, de carnario & macello iuuẽdũ erat: erãt autem carnis desyderia antiquis in exprobratione.

In horto, antiqui maximè caules serebant ad pulmẽtaria, unde hortorum caules plurimùm prædicat Cato. & matrumfamiliâs horti caræ erant. hinc iudicabant in domo, nequam esse matremfamiliâs, ubi indiligens esset hortus.

Hortus olitorius, vn iardin de mesnage, in quo olera seruntur & crescunt in usum nostrum. Olus autem uocamus unamquanque satiuam herbam, qua uescimur, & cuius foliis & caule utimur in edulium. Theophrastus, Olera, inquit, uocamus, quæ in usu nostro sunt, ut intubum, &c. Hinc forum olitorium Romæ macellum diu uocatum est, quòd in eo olera uenderentur. Vnde etiam olitor, qui hortum olerum curat & excolit, vn iardinier: qui à nonnullis etiam hortulanus, & à Græcis κηπουρὸς appellatus est.

Hortorum curam & cultum ueteribus agricolis insigniter neglectum probè ait Columella lib. 10. Maior enim erat apud priscos frugalitas, humillimisque cibis uictum tolerabant. Mox uerò cùm nostra ætas dapibus libidinosis pretia constituerit, cœnæque non naturalibus desyderijs, sed cæsibus æstimentur, plebeia paupertas summota, à pretiosioribus cibis ad uulgares compellitur.

Horti etiam in plurali, non solùm oleribus, sed & arboribus consiti dicebantur, & uoluptatis gratia comparati: ut Pompeiani, Sallustiani, Luculliani, qui apud Romanos maximo in pretio fuerunt: extántque adhuc hodie eorum hortorum uetustissima monimenta: ut facilè conijcere possimus, instar ullarum exædificatos fuisse Mece-

natianos & Neronis principis hortos. Quinetiam uiuaria & aquæ piscatoriæ hortis includi solebant, uoluptatis & amœnitatis causa. Cic. 3. Offi. Pythius quidam qui argentariam faceret Syracusis, uænales quidem se hortos non habere dixit, sed licere uti Cannio (si uellet) ut suis, & simul ad cœnam hominem in hortos inuitaunt. Quo in loco etiam hortulos pro eodem sumere uidetur: Cānius (inquit) eques Romanus dictabat se hortulos aliquos emere uelle, quo inuitare amicos, & ubi se oblectare sine interpellatoribus posset. Itaque hortos Crassipedis dixit Cicero ad Atticum prosundo, & quam possessionem rusticam uulgus uocat: Cogito, inquit, in hortis Crassipedis, quasi in diuersorio cœnare.

Hortus pensilis qui supra columnas uel ædificia factus quodammodo pendere uidetur: cuiusmodi memini me uidisse Romæ in palatio amplissimi Cardinalis à Valle. Huiusœmodi autem hortos, ut inquit Plinius lib. 19. cap. 4, uel Semiramis, uel Assyriæ rex Cyrus primùm fecerũt. Idem lib. 36. cap. 4, Leguntur & pensiles hortos, imò uerò & Latium oppidum fecisse AEgyptiæ Thebæ. Quiddam simile cum pensilibus hortis uidentur habere ij, quos plebs nostra urbana de fenestris suis appendere solet: ut hortorum imagine, ut inquit Plinius, quotidiana oculis rura præbeant.

Hortus riguus uel irriguus, qui suis & naturalibus aquis, uel per hortum facilè delabente aliquo riuulo irrigatur, vn iardin pres de l'eaue, ou au milieu duquel passe vn ruisseau d'eaue clere. Quemadmodum in uillulis sæpe muenitur. Plinius lib. 19. cap. 4, Hortos uillæ iungendos non est dubium, riguósque maximè habendos, si contingat profluo amne. Quod explicare pul-

ehrè uidetur Columella his uersibus,

Vicini quoque sint amnes, quos incola durus
Attrahat auxilio, semper sitientibus hortis.

Cato, Vinea prima est, si uino multo siet: secundo loco hortus irriguus. Quinetiam Plautus in Trin. hortũ irriguũ appellauit, qui facilè irrigatur, uel sæpe aqua perfunditur. Irriguũ quoque fontẽ in passiua significatione dixit Virgil. lib. 4. Georg. Irriguúmque bibant uolaria fontem. Et Tibullus, Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas.

Horti apud antiquos plurimùm commẽdati sunt Adonidis, Veneris amasii, & Hesperidum, è quibus mala aurea retulisse Herculẽ fabulæ ferunt. Videto Erasmum in Chiliadibus. Antiquitas, inquit Plinius, nihil prius mirata est, quàm Hesperidum hortos, ac regum Adonidis & Alcinoi: de quibus multa fabulati sunt poetæ.

Horti instructi, vn heritage ameublé. Cicero 3. Off. de hortis Pythij, Quid multa? impetrat: emit homo cupidus & locuples, tanti quanti Pythius uoluit, & emit instructos. Hoc est, cultos & ornatos, atque omnibus ijs quæ ad domesticam supellectilem conueniunt, probè munitos.

Ab horto fit hortulus, vn iardinet. Plin. lib. 25. cap. 2, Erat tunc Protogenes in suburbano hortulo tuo. Et hortensis, qui in horto crescit: ut Hortensis asparagus, hortensis lactuca. Differunt autem hortensia, quæ Græci κηπευτὰ uocant, ab agrestibus, cura & satione. Opes enim, inquit Plinius, differentiam in cibo fecerunt, ut etiam carduis uescamur.

Conserere hortum, planter vn iardin. Var. de agricul. lib. 1. cap. 23, Nam & in recentibus pomarijs, desitis seminibus, in ordinémque arbusculis positis, primis annis antè quàm radiæs longius procedere possint, alij conserunt

hortos, alij quid aliud. Sic etiam cõserere locum. Colum. lib. 11. cap. 2, Itaque in totum præcipimus, ut quisque natura locus frigidus erit, is primus cõseratur.

Facere hortum, faire vn iardin. *Apricus locus, inquit Varro, deligendus, in quo seras uiolam, & hortos facias. nam ea sole nutricantur.*

Irrigare hortum, arrouser vn iardin. *Horti, inquit Plinius, si rigui non sunt, è puteo pertica, organisue pneumaticis uel tollenonum hausiu irrigandi sunt. Nostri autem clepsydris utuntur ad hortos irrigandos*, vne chantepleure.

Fodere hortulum, labourer vn iardinet. *Palladius, Si fons defit, aut imprimendus est puteus: aut si nequeas hoc, piscina superius cõstruenda est, &c. Si hac omni facultate caruerit, semper altius tribus aut quatuor pedibus ad pastini similitudinem fodies hortulum. Pastinum autem intelligit instrumentum rusticum bifurcum, quo semina panguntur: uulgus uocat* vne binoire.

Instruere hortum, cõponere & ornare, accouſtrer & mettre en ordre vn iardin. *Columel. lib. 11. cap. 2, His diebus cõmodè instruuntur horti, de quibus suo loco dicam uberius. Sed instructi horti à Ciærone dicti 3. Offic. pro prædio munito & fundo instructo accipiũtur. Cuius rei nos admonuit Lazarus Bayfius, alterum noſtræ Galliæ lumen.*

Cæterum in horto probè faciendo hæc obseruata sunt ab antiquis, ut esset sterquilinio subiectus, cuius succo spõte fœcũdaretur: cui præterea leniter inclinata planities, cursus aquæ fluentis per spatia discreta deriuaret: atque hic hortus riguus appellatus est, ut prius dixi. habebat insuper terram stercore commistam, non cretaceam,

argillaceam, aut rubrica consperſam. hæc enim ſunt ſeminibus inimica. uerùm de his in ſequentibus fuſius, cũ de cultu & ſatione dicetur.

SEPIMENTA ET MVNITIONES HORTORVM VARIAE.

Hortos antiqui uarijs modis claudebant, quemadmodum hodie quoque ſolemus. Alij enim, inquit Palladius, luto inter formas clauſo, parietes figuratos ex lateribus imitabantur, ut in Hiſpania & agro Tarentino. Qui mos paſſim in Italia adhuc eſt frequentiſſimus, præſertim in hortis, delectationis gratia compoſitis. Quibus copia ſuppetit, macerias luto & lapide excitant, ut ſolent ditiores qui uoluptatem pecunijs emunt, neque ſumptibus parcunt: & pomaria, fruticeta, uiridaria, atque etiam ueluti ſyluulas quaſdam hortis includunt: ut in agro Tuſculano inquit Varro. alij è lateribus coctilibus ſepiunt hortos ſuos, ut in agro Gallico. alij è lateribus crudis, ut in agro Sabino. Plærique ſine luto congeſta in ordinem ſaxa componunt, aduerſus ferarum impetus. Alij ornatus gratia, ſpinarum ac ruborum plantas & ſemina in munitione diſponunt, uiuam ſepem appellantes & naturale ſepimentum. aliam ſepem faciunt ex agreſti ligno, ſed ea non uiuit. fit autem (inquit Varro) palis ſtatutis crebris, ac uirgultis implicatis, aut ex arboribus truncis demiſſis, & in terram deinceps conſtitutis. Si uerò proximus amni aut riuulo fluenti ſit hortus (quanquam ea poſitio infœlix ſit) fit ſepimentum quod militare dicitur: id autem eſt aggere & foſſa ita idonea, ut omnem aquã quæ de cælo uenit, recipere poſſit, præſertim

si circa uiam publicam horti sepimentum fiat. Possunt & in iisdem locis aggeres sine fossa construi. Ac ne quid à iuuenibus desyderari possit eorum, quæ ad hortensium munitionum cognitionem spectant, primùm nobis dicendum est de clausuris parietum, atque adeò herbis quæ parietibus rusticis sese circumuoluere & adnasci solent: deinde uerò ad sepimenta & sepes descendemus, & unà ruborum, spinarum, ac frutium species explicabimus.

HERBAE VETVSTIS HORTORVM MACERIIS SPONTE NASCENTES.

Quando perneccessarium uidetur atque utile, pueros hortos ingredientes non solùm eas herbas, quæ in ipsis crescere solent, cognoscere, sed etiam earum quæ foris, hoc est, uel parietibus uel sepimentis adhærent, nomina, si fortè interrogentur, scire atque intelligere: non est hæc pars à nobis omittenda, ut de illis pauca quædam breuiter differamus. Ac ne aliquid intactum à nobis relinquatur, incipiemus ab ipsa hædera.

Hædera itaque, quam uulgus uocat dulliarre, (id enim est instituti nostri, ut etiam uulgaria nomina percurramus) abhærendo quidem dicta est, quòd uetustis parietibus inhæreat. Quibusdam tamen magis placet ab edendo dictam fuisse ederam, quòd uetustos parietes dum serpit, & latius per muros, quibus adhæret, diuagatur, corrumpat & exedat: atque ita sine aspiratione & diphthongo contendunt scribi debere. Vnde etiam primam breuem habet apud Virgilium:

Pastores edera crescentem ornate poetam. Neque uerò

desunt, qui ederam dictam uelint, quòd loca edita petat, & altè diuagetur, atque etiam altissimos parietes cõscẽdat: mihi tamen arridet magis prior opinio.

Hæderæ autem (quæ à Græcis κῶνος dicitur) multæ sunt species, quas proximum est ut explicemus. Est igitur prima omnium, hædera ælsa, quæ per se stans arboresçit, quam Græci dendrocyssον appellant: siue etiam orthocyssον, ut uult Columella, hoc est, rectam & rigentem, & quæ sola sine adminiculo stat. Est & alia ælsa, omniũ maximè uiuax, quæ suis cirris & clauiculis parietes cõscendit, arbores amplexu suo perstringit, & succum habet arbori, quam amplectitur, simulem: unde quernea hædera in medicinis magis probatur, quemadmodum & ussum quercinum, & polypodium quercinum. Atque huius hæderæ ælsæ tres sunt rursus species. Est enim nigra, quæ mas à Plinio uocatur, fértque cõrymbos nigros, hoc est, racemos in orbem circumactos. Virgilius, Atque ederæ pandunt uestigia nigræ. Hæc autem Bacchica & Nysia appellabatur, quòd ea in sacrificiis Bacchi, quæ Dionysia uocabantur, cõronamenta fierent. Alia est hædera alba, quam fœminam Plinius uocat. Est autem alba, uel solo semine aut fructu, aut fructu & folio. Virgilius, Candidior cygnis, edera formosior alba. Seruius tamen non ex foliis, sed ex ligno cognosci utranque hæderam contendit. Atqui hædera etiam antiquis satiua fuit, cuius succus, tædia narium, graueolentiámque emendat. Plinius lib. 24, Quarta est inter ælsas, quæ dicitur helix, folia multò minora habens quàm aliæ, angulata, & cõcinniora: cuius plures sunt species. Dicta helix, quòd multas habeat inuolutiones: nunquam autem fert fructum: ac ne quis putet id uitio

ætatis fieri, Theophraſtus ait, quãtumuis diu uiuat, nunquam heliæm fructum edere. Eſt & alia, præter has hæderæ ſpecies, quæ Græcis chamæcyſſos, Latinis hædera humilis ſiue terreſtris dicitur. Serpit enim humi, & folia minuta habet ac pauca, præſertim in ſyluis. Caue autem ne putes eam eſſe herbam quæ uulgo corruptè hædera terreſtris, pro herba terreſtri uocatur, atque in officinis pro hædera terreſtri uenit in uſum. nam neque folia hæderæ habet: ſunt enim inciſa magis, latiora & aſperiora, qualia marrubij nigri, aut potius uiolæ nigræ, rotundiora tamen. Præterea alium omnino odorem & ſaporem refert: eſt enim odoris tetterrimi. Cæterum chamæcyſſos hæderæ omnino ſimilis eſt, niſi quòd imbecillis, ut conſcendere arbores non poſſit, etiam ſi illis hæreat. nullos enim corymbos aut cirros habet. Atque hæc de hædera ſint ſatis.

Helxine Græcis, herba muralis Plinio, uulgo parietaria, & muralium, de l'apparitoire, quòd parietibus adnaſcatur & inhæreat. helxine autem dicta ab ἕλκω, traho, quòd foliis hirſutis, proxima quæque attrahere uideatur, atque hæreat ueſtibus ac quibuſuis alijs rebus. Quinetiam eius ſemen eſſe admodum aſperum conſpicitur. Scribonius urceolarem uocat, quòd tergendis urceis idonea ſit. Quibuſdam etiam perdicium uel perdicias appellatur, à perdicibus, quæ ſummopere hac herba delectantur, ac ſeſe libenter uolutant in locis helxinoſis. Eſt & altera helxines ſpecies, hæderaceum folium habens: quæ quia in uinetis utplurimum naſcitur, à Græcis cyſſampelos dicta eſt, quaſi uitis hædera.

Viola lutea, quam quidam leucoion luteum, pharmacopolæ uiolam Cheiri appellant, parietibus etiam uetu-

ſtatæ exeſis adnaſcitur, cuius deſcriptionem differemus in eum locum, in quo de uiolis & floribus agemus.

Chelidonia, de l'eſclaire, uel etiã chelidonium, quod quidem maius appellatur, habétque folia oluſatri, partæ altera alba, altera uiridia, & lutæo lacte abundat: circa muros frequentiſſimum eſt. Hac herba dicuntur hirundines pullis ſuis uſum reſtituere: ad quod uidetur uulgaris noſter ſermo alludere. Eſt etiam chelidonium aliud, quod minus dicitur, uocatúrque uulgo ſcrofularia, quòd ſcrofulas (quas Græci τὰς χοιράδας uocãt, des eſcrouelles) ſanare comperta ſit: éſtque planta uerna, humi ſerpens, folio hæderaceo, minore tamen tenero, & modicè pingui, ſine caule, flore luteo, radicibus multis, toroſis, bulboſis, tritici modo coaceruatis, & acribus, præſertim quando locis ſiccis naſcitur.

Creſcit etiamnum muris præruptis, quod polypodium uocatur Græcis, quaſi multipes. radix enim illius herbæ multis cirris ceu pedibus nititur: éſtque intus herbacei coloris, habétque ſaporem ueluti ex dulci amarum: folia filici ſimilia apparent: ad quarum ſimilitudinem accedit proximè quæ uocatur dryopteris Græcis, Latinus uerò filicula, uel querna filix, radice tantùm à polypodio differens: naſcitur enim polypodium etiam circa quercus, & id quidem omnium optimum creditur. plura de hoc in Sylua.

Aizoon quoque, hoc eſt ſemperuiuum, uetuſtorum parietum ſummitatibus creſcere ſolet. Sunt autem eius duæ ſpecies: maius, quod folia latiora habet, ſpiſſa & craſſa, pollicari magnitudine, atque in formam gladioli acuminata: uulgus Iouis barbam uocat, de la ioubarbe. Eſt etiam minus aizoon, quam uermicularem uocant, à ſi-

militudine foliorum quæ rotunda sunt & figuræ ouatis, ut uermiculos putes. Semperuiuum autem dictum, quòd nullis frigoribus, aut cæli iniuria, quantumuis frigida, moriatur. Huius autem postremi aizoi duæ sunt species: alterũ enim minus est, & folia minora ac ramos multos habens: quod si gustaueris, calidissimum est, & linguam uehementer urit. (Itaque falsò pro aizoo sumi uidetur, cũ calidum sit & exulcerans. unde non parum mihi uidentur aberrare, qui ea herba pro aizoo minore in confectione populei utuntur: eam autem Latini illecebram uocãt: quidam andrachnem agriam appellant) Alterũ maius, & folia longiora habens, interdum etiam ferè priori similia: quod si gustaueris, frigidissimum senties. Itaque nostri id conferentes & excolentes, in aœtariis eo utuntur.

Adianton, hoc est, non madescens, quòd semper siccum inueniatur, etiam si ipsam herbam aqua immerseris. quod si madescat, statim quidem siccatur. Est autem duplex, album & nigrum. album quidem uocatur etiam ebenotriches, quòd folia habeat capillis ebeni similia: atque hinc fortassis corruptum uocabulum, inquit Hermolaus, ut uocemus Capillum Veneris. habet autem folia coriandri, magnis interuallis inter se distincta, festucas exiles admodum frequentes. plurima reperitur apud Montempessulanum circa puteos. Cuius loco ea herba, quæ uulgo uocatur saluia uita, ueteribus parietibus crescens, utuntur quidam pharmacopolæ: est enim eisdem uiribus prædita, multò tamen inferioribus. Nigrum autem adiantum in uetustis parietibus & inter saxa frequentissimũ est, uulgus uocat polytrichon & trichomanes.

Asplenum siue asplenium siue splenium, herba quæ etiam uetustis parietibus crescere solet, quam uulgus uocat

ceterac.

ceterac. Manardus autem asserit uocari cetrac. Dicta asplenium, quòd pota splenem absumat. Vnde Vitruuius author est, circa Cortynam urbem, propter abundantiã asplenij, pecora multa sine splene inuenta. Marcellus eam esse putat (longè tamen diuersam) quæ uulgò scolopendria siue scolopendrium appellatur: lienem enim etiam hæc absumit, sed est folio dracunculi, multò longiore tamen, sine cãule & flore. Itaque potius referret eam quæ hemionitis Galeno, Theophrasto hemionion dicitur, quòd mulis sit gratissima, ideóque semiasina appellatur. nisi mauis scolopendriam pharmacopolarum accipere, pro ea quam Dioscorides phyllitim appellauit. Sed de his in Sylua multò uberius, dum herbas in collibus succrescentes explicabimus.

Possum hoc loco recensere mille herbarum species, quæ tam super ipsis muris uetustate exesis, tum etiam in murorum imis partibus sponte adnasci solent: ut sunt urticæ, gramina, atque alia id genus: item etiam ea herba quæ cyanos Hermolao Barbaro dicitur, à colore cyaneo: uulgo autem blaptiseula appellatur: papauer erraticum, & plæraque eiusmodi. Sed quoniam eædem frequentius in ipsis agris consitis aut etiam desertis, item etiam locis cãpestribus succrescere solent, commodius uidebitur, si earũ tractationẽ differamus in eum libellum, in quo de agro à nobis fiet mẽtio. Itaq; satius nunc fuerit ad alias horti nostri clausuras digredi, quæ sepibus & spinis fiebant.

SEPES VIVAE HORTORVM, ITEM SPINARVM ET RVBORVM, QVIBVS HAE CONSTRVVNTVR, NOMINA.

Columella lib. 11. cap. 3. uidetur ex Democriti Georgi-

cis taxare eos, qui hortis munimenta, macerijs aut lapidibus, aut latere cœcto extruunt: quòd neque latere fabricata materies perennare possit, pluuijs ac tempestatibus plerunque infestata, neque lapides supra rei dignitatem poscat impensa. Itaque sepium faciendarum rationem ostendit, qua non magna opera hortum ab incursu hominum pecudúmque muniamus.

Sepes itaque, vne haye, munimentum dicitur rubis aut spinis circa hortis factum, ad arcenda ab hortis pecora: unde hirtas sepes dixit Columella lib. x,

Talis humus, uel parietibus, uel sepibus hirtis
Claudatur, neu sit pecori, neu peruia furi.

Huiusmodi autem sepes arte composita, structilis appellatur eidem authori. quòd si tabulis uel palis, aut etiam lateribus composita esset, iam septum diceretur: quale fieri solet ad pecus includendum.

Sepes autem naturalis, quæ & uiua sepes dicitur Columellæ, & Varroni sepimentum, fit uepribus, spinis cõsitis, & sulcis interiacentibus, ac sentibus in id spatium supercrescentibus, quod inter duos sulcos interiacet. Sepimentum naturale (inquit Varro) obseri solet urgultis & spinis, & habet radices uiuæ sepis. Cuius sepis faciendæ docet rationem Columella lib. 11. cap. 3, Atqui hunc ueprem manifestum est, inquit, interimi non posse, nisi radicitus effodere uelis. Cæterum etiam post ignis iniuriam melius renasci nulli dubium est: & hæc quidem claudendi horti ratio maximè antiquis est probata.

IAM VERÒ nobis de spinarum, sentium, ruborum, aut etiam fruticum speciebus diendum est, quibus hortorum sepes ac uepres communiri solent.

βάτον Græci, Plinius rubum, Columella sentem appel-

lat vne ronce. Sunt autem ruborum multæ ſpecies, quæ ſubinde declarabuntur.

Sentis canis Columellæ, Græcis κυνόσβατος, aſtutiſſima ſpina, & maximos ramos ferens: aliis rubus canis, canirubus Theodoro Gazæ dicitur, ob id quòd eius flores, canum rabidorum morſibus medentur: folia habet longè quàm myrtus latiora, florem item ſimilem, ſed minorem, ſine odore: attollitur & arboreſcit: fructum fert rubrum, oblongum, ſimilem oliuæ nucleo: intus uerò habet lanuginoſa ſemina, qualia in fructibus roſarum reperiuntur, quæ ſunt exenteranda, dum ea cõmedere uolumus.

Eſt & cynoſrodos, roſa canina, vn eſglantier, folia myrti habens, ſed paulò maiora, recta aſſurgens in mediã altitudinem inter arborem & frutícem: fert ſpongiolas, quibus utuntur medici ad maleficia capitis ulcera, la malle tigne: uocatur autem uulgo in officinis pharmacopolarum, bedegar, & doctis Cachrys.

Chamæbatos, humilis rubus, duplex eſt: alius qui nunquam per ſe attollitur, ſed demittitur ſemper: & qua parte terram attingit, iterum radicat: fértque mora nigerrima, & minora noſtris domeſticis, lanuginem quandam cæruleam ſuperhabentia: cæterum ſingula tantùm in ſingulis cõrymbis, ex quibus moris fit optimum diamoron apud pharmacopolas. Alius eſt rubus qui chamæbatos etiam dicitur, non ita ſerpens, ut prior: neque radicans qua parte terram attingit: mora fert craſſa, nigerrima, & multa in ſingulo quoque cõrymbo.

Rubus Idæus, uel Batus Idæus, vn framboiſier, quòd in Ida monte Phrygiæ plurimus creſcat: mora fert priori chamæbato ſimilia, ſed rubra, atque interdum alba, odorata admodum, quæ uulgus uocat des framboiſes.

batias & apobata Græci uocant.

Rhamnus, vn groſeillier, *ut multis etiam doctis placet, non tamen omnibus.* Prima autem rhamni definitio apud Dioſcoridem, huic frutici conuenit, quē uulgo groſſularium appellamus: quòd eius fructus acini, ſint ficuū immaturarum acinis ſimiles, qui groſſi ſiue groſſuli appellantur. Columella, Lubrica iam lapathos, iam rhamni ſpontæ uireſcunt.

Oxyacanthos uel oxyacantha, id eſt, acuta uel acida ſpina, uulgo eſpine vinette, à ſpinoſo frutice, & ſucco foliorum uinoſo, officinis Berberis appellatur, cuius non meminit Plinius: tantùm animaduerti in deſcriptione paliuri, eadem propemodum referre Plinium, quæ Dioſcoridē in oxyacantha. Eſt autem arbuſtum piraſtro ſimile, ſpinoſum, baccis racemoſis, rubris, nucleum ſingularem habentibus: radiæ multiplici, pallido colore, qua iuuenculæ capillos tingunt.

Liguſtrum, du troeſne, etiamnum in ſentibus creſcere ſolet, foliis myrti fœminæ uel oliuæ, ſed paulò latioribus. ac primùm florem album gerit, odoratum quidem, deinde uerò baccas & corymbos primùm nirides: & ubi maturuerunt, nigros, poſteaquam flos decidit, ex quibus fit atramentum optimum. Hinc Virgil. in Bucol. Alba liguſtra cadunt, uaccinia nigra leguntur. Columel. lib. 10, -& nigro permiſta liguſtro Balſama. Cypron Græci appellant: Mauri, alcānam: quod etiā nomen pharmacopolæ retinuere: appellant enim oleum de alcamna, quod ex floribus liguſtri fieri ſolet. Cæterum aqua ex floribus liguſtri diſtillata, medici utuntur ad eum morbum qui uulgò cancer appellatur.

Matiana quoque à multis ſic uocata, quam uulgus uo-

cat du massault, *in rubis crescere solet: fortassis dicta, quòd circa Matianam regionem, quæ est in* Media, *uel etiam* Matianum *lacum, qui & cæruleanus dicitur, frequentissima est: non admodum altè frutticat, & baccas rubras gerit racematim dispositas.*

AMBVLATIONES.

Posteaquam clausuras horti absoluimus, ac uestibulum iam egressi sumus, æquũ est nunc ut hortum ipsum ingrediamur. Cúmque statim ingressis primo aspectu sese nobis offerant pergulæ & inambulationes: de ijs primùm disserere nos oportet. deinde uerò uitium genera, atque adeò herbarum uarias species, quæ iucunditatis atque amœnitatis gratia pergulis applicari solent, describemus. Itaque ab ipsis ambulacris incipiendum.

Ambulacrum siue ambulatio, vne allee, *rastro ac cylindro complanatum spatium, circum ipsius horti ambitum, quod interdum etiam pauimento cõstratum erat, in quo colligendi, uel oblectandi, aut reficiendi animi gratia inambulare solemus.* Cicero *primo de oratore*, Postero autem die, *cùm illi maiores natu quiessent, in ambulationem uentum esse dicebat.* Plinius *iunior in epist.* Ambit hunc ambulatio, *pressis, uariéque tonsis uiridibus inclusa. Quo in loco succurrit, ut obiter puerorum gratia declaremus, quid sit apud* Ciceronem *de* Oratore, Facere *duo aut tria spatia per ambulationem aut hortum: nempe id est quod uulgò dicitur, bis aut ter expatiari*, faire deux ou trois tours par l'allee, ou bien autour du iardin. Tum Scæuolam *(inquit* Cicero*) duobus spatijs tribúsue factis dixisse*, Cur *non imitamur* Crasse, *&c.*

Hoc est postæquam Scæuola duo aut tria spatia deambulando confecerat.

Fiebant autem duplici ratione ambulationes in ipsis hortis, ut etiam nunc fiunt: aut enim sunt tectæ, & has quidē galerias uulgò uocamus: aut subdiales, quæ tamen interdum pergulis aut foliis ac frondibus uiridibus super admotas ac transuersas perticas applicatis operiri solebant, & obtendi ad inumbrationem. Quemadmodū super thoris antiquis fieri Virgilius testatur undecimo AEneidos, Instructōsque thoros obtentu frondis inumbrant. Huiusmodi opus in hortis Theocritus τὸ φυλλάδα uocat, nos foliatam conuertere possumus, vne fueillee.

Cæterùm tectæ ambulationes antiquis fieri solebant eo lapide, quem specularem Plinius lib. 36. uocat: qui cùm facillimè in tenuissimas crustas finderetur, pellucidus admodum erat. Itaque specularia uocabantur integumenta ex speculari lapide facta, quibus ambulationes in hortis tectæ erant. Iuuenalis Sat. 4,

Quæ uehitur clauso latis specularibus antro.

Quæ autem fiunt à nobis tectæ mambulationes, specularis non sunt: sed superius clausæ, hortis uerò apertæ: ut earum iucunditate frui possimus, etiam dum pluit.

Ambulationes aut soli & aeri expositas, Plinius lib. 17. subdiales uocat, Vitruuius lib. 5. hypætras: quæ Latinè etiam subdialia siue subdiualia dici poterunt. Et quia interdum pauimentis substerni solebant, ideo subdialia pauimenta uocauit Plinius lib. 36, quas nos terracias uulgò dicimus. Atque hæc satis sint quòd ad ambulacra attinet. De interuallis autem suo loco dicemus, quando areas & puluinos explicabimus. Nunc ad pergulas ueniendū.

PERGVLAE HORTENSES: ITEM HERBAE AC FRVTICES IPSIS PERGVLIS ORNATVS GRATIA APPLICARI SOLITAE.

Pergula, vne treille, *à pergendo, ut opinor, dicta: quòd circunquaque uitis, uel quicquid aliud seritur, pedamẽtorum beneficio diuagetur & pergat. Sunt autem iunipeRinæ, uel etiam salignæ perticæ in aream aut quadratã formam ita colligatæ & dispositæ, ut super ijs discurrentes uinearum aut cucumerum rami, suis foliis mambulationes per æstatem sole feriente operiant: atque ita non parum iucunditatis & utilitatis adferant.*

Pergula etiam, inquit Budæus, pro parte domus exporrecta & propendente (uulgus uocat vne saillie) accipitur. Plin. lib. 35. de Apelle, Perfecta opera proponebat in pergula transeuntibus. Sub his enim pergulis uænales res exponebantur. Quemadmodum hodie quoque Patauij & Bononiæ fieri uidemus sub porticibus publicis.

Pergularum uerò hortensium duo genera faciemus. Rectam pergulam, quæ pedamentis solo infixis, uel ad murum recta figura compositis, fieri solet: ad quam propagatur rosmarinus, leucanthemon, & alia huiusmodi, de quibus posteà dicemus. Et pergulam cameratam, quæ uel saliæ, uel iunipero conflectitur, ad ambulationes opacandas: nomen lingua nostra à cunabulis infantium habet, vn berceau. ad quam applicantur uites, & flexiles quædam herbæ, ut bryonia & cucurbita: de quibus iterum posteà.

Primùm itaque nobis est dicendum de ijs quæ ad pergulæ rectæ ornatum conseri & excoli solent, deinde uerò

ad cameratiam pergulam progrediemur.

Itaque pergulis rectis applicantur herbæ grati odoris, in longum & altum fruticantes, præsertim in ijs hortis qui delectationis gratia facti sunt. atque hæ quidem pergulæ, murales dicentur. plerunque enim muris applicantur, concinnatis in rectum & transuersum palis, secundum quos rosmarinus & leucanthemon, interdum etiam rosaria, propagari ac dilatari possunt. Quinetiam inter pergulæ rectæ ornatum, numerabimus eas ueluti clausuras, breuiores tamen, & minus altas, quàm pergulæ esse soleant, quæ circum ipsa arearum interualla, effictis cuicunque interuallo suis ueluti ostiolis, formari solent: tum ut sint ueluti fulcra quædam spectantibus hortulos: tum etiam secundæ cuiusdam munitionis causa: ut siquando pulli uel animalia domestica hortum ingressa sint, atque adeò ipsas ambulationes, haud tam facilè areas deuastare possint. Quæ tamen clausuræ, buxis opere topiario circumpositis, & ad uarias rerum effigies efformatis, interdum fieri solent. Vnde Plinius Iunior in epist. Ab his, inquit, gestatio in modum circi, quæ buxum multiformem, humilésque & retentas manu arbusculas circumit. Sed iam ad herbas, quæ pergulis applicantur, deueniendum.

Pergulis rectis non solùm herbæ quædam odoriferæ fruticantes, sed etiam nonnullæ arbusculorum species fructus iucundissimos proferentes, applicari solent: quemadmodum sunt malus cydonia, quam granatam etiam uocamus, à granorum multitudine: malus item punica, & cæteræ huiusmodi, de quibus suo loco à nobis dicetur, ubi de arboribus fiet mentio, nempe in nostro Seminario, quod statim post hortum absoluemus. Nunc tantùm de

herbis quæ pergulis rectis admoueri ſolent dicendum.

Roſmarinum, ſiue, ut quibuſdam placet, roſmarinus, frutex non ingrati odoris, pergulis rectis applicari interdum ſolitus: uulgus noſtrum Latinam uocem imitatus, adhuc hodie appellat du roſmarin. Eum autem frutiem Plinius libanotida uocat lib. 19. cap. 12, his uerbis, Libanotis, inquit, locis putridis & macris ac roſcidis ſeritur ſemine. Radicem habet oluſatri, nihil à thure differentem. Vſus eius poſt annum ſtomacho ſaluberrimus. Quidam eam nomine alio roſmarinum appellant. Dicitur itaque libanotis, ἀπὸ τῦ λιβάνε, ἢ τῦ λιβανωτῦ: hoc eſt, à thure, quòd eius folia & radix thus oleant maximè.

Sunt autem, ne quis fallatur, multæ libanotidis ſpecies, quarum una tantùm nobis eſt cognita. Eſt enim libanotis ferax, quæ duplex eſt, mas & fœmina: folia habet roſmarino noſtro ſimilia: ſed umbellam gerit quemadmodum anethum, in qua umbella eſt cachry: cuiuſmodi in canina roſa apparere ſolet, atque in ipſo cachry ſemen complexum eſt. Cæterum hæ duæ libanotidis ſpecies nobis ſunt incognitiſſimæ. Eſt & alia libanotis, quæ ſterilis appellatur, eáque ſimplex eſt, ramos ſeſſiles habens, ac folia noſtro roſmarino ſimilia: ſed neque florem, neque ſemina gerit: paſſímque audio reperiri apud Montempeſſulanum, item etiam in quibuſdam Hiſpaniæ agris, quos ea herba ſponte adnaſcenti plenos ac refertos audiuimus.

Eſt inſuper alia libanotidis ſpecies nobis cognitiſſima, atque hæc à Galeno lib. 7. ſimplicium coronaria uocatur, quòd ad contexendas coronas ſit utilis: eámque, inquit, Romani roſmarinum appellant.

Leucanthemon, eam herbam fruticosam quidam esse autumãt, satis impropriè tamen: quæ hodie Romæ, atque adeò apud nos multis in locis, pergulis rectis admoueri solet: uocat autem uulgus iasminum, du iosmin. Cui tamen non conuenit Dioscoridis descriptio: unde à multis Zambacus esse dicitur. De leucanthemo autem sic ait Plinius lib. 36. cap. 12, Ramulos ei esse nunquam pauciores duobus in diuersa tendentes, florem candidum, lilio rubro similem, semen nigrum, latum, ad lenticulæ dimidiæ figuram, multò tenuius, radicem herbacei coloris. quæ omnia nostro iasmino haud satis conueniunt, ut eleganter ostendit noster Ruellius. Eadem, ut opinor, est quæ phalãgites siue phalangion à Galeno uocatur, quòd morsis à phalangijs (qui sunt serpentes uenenosissimi) auxilietur. Quinetiam idem nomen adscribit Plinius huic herbæ. Quod uerò addit, se in quibusdã exemplaribus pro leucanthemon, inuenisse scriptum leucacantha, certè corruptè ac mendosè scriptum fuit. est enim leucacantha, species cardui sessilis, folia lactucæa habentis, maculis albis conspersa, similis cuidam herbæ, quam uulgus uocat carduum beatæ Mariæ. Quæ uerò hîc de leucanthemo & phalangite siue phalangio à Plinio scripta sunt (si Hermolao Barbaro credimus) nostro iasmino non conueniũt, ex quo unguentum iasminum siue iasme Dioscoridis componebatur (quod apud Persas & Parthos inter epulandũ usurpabatur odoris causa. Nam hi fœtentis animæ uirus, multitudine ciborum & ebrietate natum commendatione odorum accersita summouebant) quæ uox nos admonet, ut ex ea ferè uiola alba compositum intelligamus, quæ uulgo iesiminum uocatur, distinctiones & harundinaceos parietes in hortis opere topiario conuestiens, flore candido,

præcipuæ ſuauitatis folium in uiridi nigricans, oblongũ, faſtigiatum, mucrone languido, magnitudine roſacei, ſed anguſtum. Hoc uiolæ genus ſolùm Perſis & Parthis antiquitus cognitum, & nobis hactenus peregrinum. Hæc ex Barbaro. Plura de hac re, ſi uoles, uideto librum primum Ruellij De natura ſtirpium.

Quandoquidem multis in locis roſas pergulis rectis ornatus gratia applicari uidimus, ac ueluti roſaria quædam utrinque hortum ipſum communientia fieri: idcirco admonere nos uidetur locus iſte, ut de roſis dicamus.

Roſa itaque tam florem ipſum, qui ſpina uerius quàm frutice naſcitur, quam ipſam ſpinam aut frutiçm comprehendit generali quadam ſignificatione: Græci ῥόδον uocant, eò quòd (ait Plutarchus) ῥεῦμα πολὺ τῆς ὀδμῆς ἀφίησι: hoc eſt, ingentem odoris fluxum emittat. Sunt autem roſarum uariæ ſpecies, quas ſuo ordine Plinius lib. 21. cap. 4. deſcribit. præter eas quæ ſentibus ac rubis creſcere ſolent, quas Græci caninas uocant: Plinius, quantũ ego coniicere poſſum, appellat Græculas: de quibus in rubis ſuprà diximus. Cæterum quædam ſunt roſæ purpureæ odoratiſſimæ, quas uulgus prouinciales uocat: quædam rubræ admodum, minus odoratæ, quas uulgus roſas franchas appellat, pharmacopolæ incarnatas: quædã etiam paruulæ & ſubflauæ, quas quidam damaſcenas & coroneolas nominant, præſertim in Italia. Galli autem moſchatas, quòd odore moſchum referant: atque id ab inſitione potius, quàm à natura factum puto. Sunt & roſæ albæ multarũ ſpecierum, ſed omnium frigidiſſimæ & humidiſſimæ: ex quibus fit probatiſſima aqua, quam roſaceam uocamus: item etiã oleum, quod roſaceum tum abſolutè, tum cum adiuncto appellatur. Sunt item aliæ

autumnales quæ ex caule maluaceo funduntur, foliis hibiscæis, multò tamen maioribus & asperioribus, unde quibusdam altheæ siue bismaluæ species putatur: odorem nullum referunt: dicitúrque hæc rosa, inquit Barbarus, à Græcis muscæton siue moscæuton, à propagine uiuiradicéue, quam Græci moscæuma uocant. uulgus nostrum rosas marinas appellat, alij autem transmarinas dicunt, roses d'oultre mer. Est insuper alia rosæ species, quæ uulgò rosa Hierichontis dicitur, rose de Hierico, ex qua amomũ Dioscoridis colligitur, ut putat is, qui dialogum illum conscripsit, qui Botanologicon inscribitur: cui etiamnum Marcellus & Barbarus assentire uidentur. Facilè itaque rosa omnis pergulis applicabitur, haud secus atque ipsa uitis. Omnis enim rosa, inquit Plinius, recisione atque ustione proficit: Translatione quoque, ut uitis, optimè ocyssiméque prouenit. atque hæc est ratio cur pergulis rectis facilè appliçari solet.

Quòd autem ad ueram appellationem attinet, nescio an florem ipsum, rosam: frutiçem uel spinam, rosarium: locum rosarijs consitum, rosetum rectè appellare poterimus: quemadmodum coryletum & oliuetum, &c. Sed tum Columella, tum Plinius, & alij, rosarium pro loco rosis consito frequentissimè usurpant. Rosarium serotinũ, inquit ille, perfossum & cultum habere iam tempus est: quapropter certi nihil statuere possumus. Cæterũ in ipsis pergulis, quas etiamnum rectas appellauimus, sed breuiores, quæ circũ ipsa internalla componi solent: aliquæ etiam arbusculæ propagantur, præsertim quæ topiario operi propriæ sunt, & tonsiles ac flexiles, perpetuóque uirore commendabiles: quales sunt buxus, cupressus, iuniperus: de quibus mox dicendum.

Buxus siue buxum (utrunque enim dici potest) du bouys: Pyrenæis & Cytoro montibus plurima, ac Berecynthio tractu. Huius autem tria genera facit Plinius lib. 16. cap. 16, Gallicum, quod proærum est: oleastrinum, in omni usu damnatum, ob grauem odorem. & nostrate, siue syluestre omnium minimum, sed diffusius, & dēsitate parietū uirēs semper ac tōsile: de quo hoc loco agimus. Itaque parietes illos interuallares buxis tonsilibus opere topiario compactos circum hortum, rectè buxeta appellabimus: sunt enim interualla buxis consita.

Iuniperus, du genesure, quam Græci arœuthyda uocant, solet itidem ijs pergulis appliciari: uiret enim coma perpetua, unde & topiario operi idonea: præterea cariosam senectam non sentit, ut ex trabibus templi Dianæ uisum est, inquit Plinius. eius lignum & rami odoratissimi. bacas item fert nigras, admodum odoras, quibus in suffitibus cubiculorum utimur. Est autem Dioscoridi iuniperus duplex, maior & minor, quæ sola arboris & seminis magnitudine inter se differunt.

Cedrus item, vn cedre, arbuscula non usqueadeò frequens apud nos, sed pergulis tamen idonea. Est enim, inquit Theophrastus, iunipero non absimilis, folio spinosiore & duriore, fructu etiam simili: humilior tamen, & materia incorruptior. Est & Cedrus arbor, cuius fructus cedrides Græcis appellatur.

Atqui Plinius scribit Cedrum appellari in Syria, humorem è ligno tædæ concisæ defluentem, quo cadauera in AEgypto perfusa diu seruantur. eo etiam tædæ ac funalia illinebantur: ut dum arderent, gratissimum odorē referrent. Virgilius,

Vrit odoratam nocturna in lumina cedrum.

plura uideto apud authores antiquos.

Sabina item herba frutéxue, quem noſtri du ſauinier uocant, folio ferè cupreſſi, perpetuò uirenti, in topiarijs pergularum operibus non improbatur, Græcis brathy dicitur: éſtque duorum generum. Altera tamaricæ ſimilis folio eſt, altera cupreſſo. Qua ex re quidam creticam cupreſſum dixerunt. Plinius lib. 24. cap. 11.

Atque hæ ſunt herbæ ac frutices aut arbuſculæ, quæ pergulis rectis applicari ſolent. nunc ad pergulas camerarias deueniendum, ac uitium genera & cucurbitarum ſpecies explicandæ: item etiam aliarum herbarum, quæ camerarijs pergulis circumplicari ſolent, nomina ac deſcriptiones breuiter faciendæ.

Vitis itaque pergulana, vigne de treille, Columellæ dicitur lib. 3. cap. 2, quæ in hortis ſeritur magis ad uoluptatem, quàm ad prouentum, & in pergulas ſiue rectas ſiue camerarias attollitur, ut eas ueſtiat: adiuta tamen pedamentis ſalignis infornicatis, & topiario interdum opere fabrefactis, umbroſa operacula ſubdialibus ambulationibus præbet. Eam uitem appellare uidetur eſcariam Plinius lib. 14. cap. 3, In pergulis (inquit) ſerũtur eſcariæ appellatæ, eduræ acinis, albæ, nigræque. Eadẽ etiam uitis adminicularia dici poteſt, quòd palis inniperinis ceu adminiculis fulciatur, quibus ſuis clauiculis ueluti manibus quibuſdam repens & circumplexa, umbram deãbulationibus præbet. Sed alia uitium genera, earúmque cõſerendarum rationem, ac uinorum, & huiuſcemodi rerum differentias, in alium libellum differemus, in quo uineta tractabimus.

Veniamus iam ad alias tum uites (impropriè tamen dictas) tum herbas quæ ipſis pergulis etiam admouentur.

Vitis agrestis, siquidem sumatur pro ea uite quam Virgilius, atque adeò alij authores Latini labruscam uocant, nullam aliam cum satiua uite differentiam habet, præterquam quòd ipsa non cõlitur, sed seminalis est: ut Plinius & Columella pro omni uite passim crescente labruscam accipiant, vne vigne eñ friche, delaissee, chãpestre. Eius autem racemi ad maturitatem nunquam aut rarò perueniunt: flos à Plinio œnantæ uocatur. Est autem alia uitis agrestis, quam Græci ampelon agrian uocãt, quæ fert racemum & corymbos hæderæ. Eam autem uulgus uocat solanum lignosum, quòd fructum & folia hortensi solano simulia habeat. habet præterea longa sarmenta instar uitis unum ferentis, lignosa tamen, aspera, & cortiæm rimosum habentia.

Vitis alba, Græcis ampelos leuce dicta, quòd folia & corymbos ac capreolos uitis habeat: eadémque folia alba gerat, præsertim dum grandiora sunt: uulgus Parisiensium uocat de la couleuree, quòd in modum colubri undique serpat: Picardi autem, du feu ardent, quòd quascunque partes corporis attigerit eius racemus, ipsas quodammodo adurere uideatur. nonnullis eadem bryonia dicitur, Columellæ bryonias: quibusdam psylotrum, hoc est quasi depilatorium, quia pelles insici eius acinis, quemadmodum & labruscæ, possunt.

Vitis nigra, quam alij bryoniam nigram uocant, quòd eius corymbi primùm urides, deinde uerò nigri appareant, uitis autem albæ rubri sunt. Cæterum uitis nigra folio & colore corymborum ab alba differt: habet enim folia hæderæ simdia, item etiam radicem: quæ quidem foris nigra est, intus uerò colore buxeo aut luteo: alba uerò uitis radiæ est crassissima, & albissima intus &

foris: qua nonnulli (ut est radix fissilis, & tanquam cæra in omnem effigiem ductilis) formas humanas effingunt, ut radix uideatur ea forma creuisse: atque ita uulgo imponunt, ut dicant radicem esse mandragoræ, neque posse extrahi, nisi summis cæremonijs. Atque hæ quidem omnes uitium species pergulis camerarijs applicari solent.

AEquum est etiam hoc loco nos proferre eam herbam hactenus à ueteribus ignotam, quam Barbarus Caracia appellari contendit, uulgus Italorum Charanciam. Ligures Padani Balsaminam: Hetrusci, Ierosolymitanum pomum uocant. nos etiam uulgò pomum miraculosum dicimus, pommes de merueilles. fert enim poma admodũ egregia, & uisum oblectantia, quæ dum matura sunt, sese, miraculo quodam naturæ, aperiunt, ostendúntque semina quæ intus continent, ueluti pretiosissimis quibusdam smaragdis similia. Cæterum planta ipsa tantæ est flexibilitatis, ut septi modo in hortorũ pergulis ac fenestris per cancellos opere topiario facilè digeri possit. est enim foliis uitium similibus, paulò minoribus tamen, pãpinis etiam uitem pergulariam referentibus. Huiusmodi herbam uidisse me memini in horto Renati Belaij longè omnium, qui hodie tum apud Germanos, tum etiã apud Italos uisuntur, nobilissimo, ut nihil addi possit ad absolutam horti bene exculti, & innumeris uariarũ plãtarum diuitiis refertissimi curam ac diligentiam.

Lupulus, du houblon, folia habet bryoniæ similia, sed paulò asperiuscula, flores foliaceos & candidos, qui ferè allium uinúmque subolent: Græci uulgò brytona uocant, Plinius lupum salictarium. subit enim & scandit salices atque arbusta omnia. In Flaminia quoque, inquit Barbarus, lupus reptiuus uulgari nomine appellatur:

tur: cuius duæ sunt species. Quidam falsò pro uite nigra acceperunt, alij etiam ineptissimè pro corruda. Aut hæc omnino, aut non absimilis huic herba est, inquit Hermolaus, qua Occidentis populi cæruisiam suam macératis humore floribus commendant, sapore quodam iuni.

Cucurbitarum etiamnum ferè omnia genera pergulis camerarijs applicari solent. Itaque obiter de ijs à nobis dicendum.

Cucurbita, vne courge, aut est satiua: quam Græci fœminino genere in secunda declinatione κολοκύνθη dixerunt: éstque dulcis, ut edi possit. aut est syluestris & amara, medicinis tantùm apta, quam Græci diminuta appellatione κολοκυνθίδα appellauere. uulgus uocat des coloquintes.

Rursus satiuæ cucurbitæ genera duo. aut enim facili & admodum flexibili ramorum curuitate tecta, pergulas & testudines operit: atque ideo camerariæ à Plinio dicitur, lib. 19. cap. 5, Camerarijs (inquit) uires sine adminiculo standi non sunt, uelocitas pernix, leni umbra cameras & pergulas operiens. Aut suis flagellis humi reptat, & plebeia eodem authore appellatur.

Atqui camerariæ aut plebeiæ cucurbitæ multiformes reperiuntur. crescunt enim qua cogúntur forma. alia in uentrem plurimùm turgescit: quæ quidem cruda, saporis est fatui admodum, quem nostri uulgò appellant fade: cocta autem, edi facilè potest. Alia item in longitudinem maximam producitur, ut quædam aliquando uisa sit nouem pedum longitudinis, ut refert Hermolaus: atque hæc ob id anguina à quibusdam appellata est. Alia est coactæ admodum breuitatis, digitali crassitudine, non nisi in saxosis nascens, à Græcis somphos cognominata,

quia inanis sit: à nobis autem barbara aut marina appellatur, iusculis & pulmentis idonea. Alia denique est cucurbita, quæ in lagenarum formam artificæ natura crescit, nonnunquam etiam ita formatur ac fingitur. Ligatur enim ab hortulano, quodam uinculo, ea parte qua strictiorem uult facere. Qui mos etiam antiquis esse solebat ut cucurbitas in uasa fingerent: ut ijs postea maturis & inanitis ac siccis uterentur. Nuper enim, inquit Plinius, cucurbitarum usus uenêre urceorum uice: iampridem etiam cadorum ad uina condenda. Columella, De media, inquit, parte cucurbitæ semen muerso cacumine ponito, ut fiat incrementi uasthoris: nam sunt ad usum uasorum satis idoneæ.

Halicacabum siue halicacabus, solani species, in uineis frequentissima, & propter delectationem in hortis conseri solita. fruticosa est planta, uesiculas multas proferens Septembri mense, turbinatas, ut ait Plinius: colore primùm uiridi, mox paulatim rubescente, unde à Latinis uesicaria appellata: in officinis pharmacopolarum audies uocari alcacangi, uoce quadam Arabica: uulgus nostrũ uocat des coquerelles: quod nomen ferè accedit ad id quod inditum est anemonæ erraticæ, des coquerets: nam ita legendum est. Quam autem herbam, siue frutícem uesiculas etiam proferentem, uulgus nostrum uocat des baguenaudes, certè docuit nos Ruellius esse eam quæ Theophrasto colutea appellatur: nam (inquit) frutex est quadriennio se in arborem efferens, ramus exilibus, folio fœnugræci, membraneo, folliculo pelluente, prætumido, & ueluti quodam spiritu distendente, turgido, ita ut digitis si prematur, crepitans dissiliat: in quo semen atrũ, durum, latum, lentis magnitudine. Mauritani, sermone

ſuo uernaculo Sene uocant: quæ uox officinis hodie remãſit: ut folia Sene appellẽt & folliculos ſupradicti frutícis, in quibus uis ineſt alui ſubductoria.

Eſt præterea alia, quæ multis halicacabi ſpecies eſſe creditur, nuperrimè inuenta, cuius neminem antiquorum ſcriptorum mentionem feciſſe comperio: atque hæc quidem planta pergulis operiendis eſt aptiſſima: latiſſimè enim ſuis clauiculis ſeſe diffundit, ob id operi topiario utiliſſima: fert autem ueſiculas halicacabo ſimiles, in quibus ſemen incluſum eſt, piſis aut ciceribus ſimile: in cuius medio effigies ueluti cordis humani inſculpta & inciſa apparet. atque ob id à noſtris uulgò appellatum eſt id ſemen, pois de merueilles. Viſa eſt à nobis primùm hæc planta in horto ampliſſimi Cardinalis Pariſiẽſis, quem quotidie eius frater Renatus Belaius incredibili ingenij atque eruditionis candore præditus, non ſolùm excolendum diligentiſſimè, ſed etiam innumeris uariarũ rerum miraculis exornandum atque augendum ſtudet: ut neque ſumptibus, neque labori parcat, quò uiris doctis in earum rerum cognitione, haud parum poſſit prodeſſe.

Hæc ſunt quæ de pergulis earúmque tegumentis habuimus dicenda. AEquum eſt igitur nunc, ut ad interualla, puluinos, & areas tranſeamus: deinde uerò herbas hortenſes complectemur.

AREAE, PVLVINI, INTERVALLA.

Prima ſeſe nobis offert, poſt pergularum & ambulationum explicationem, ipſarum areolarum cognitio, ſuper quibus ſemina eleganter ab hortulano diſponuntur.

Dicta igitur area (quantum ego coniicere possum) ab arã-do, quòd primùm aretur & proscindatur: deinde uerò subigatur & complanetur ipsa terra in quadratam planitiem ad multos usus, siue ad exspicanda frumenta in uillis, siue ad alicuius loci, uel etiam urbis ornatum (quæ platea uulgò dicitur) siue etiam ad hortorum elegantiam.

Quæ autem in uilla, aut etiam agro ipsa conformabatur area, ad frumenta exspicanda, ut deinde in horrea recondi possent: uulgus nostrum adhuc uocat vne aire. ea cylindro complanari solebat, ut durior esset, & flabelli duros ictus pertinacius ferret: neque granum ipsum dissiliens, aut in fissuras admittere, aut in interiorẽ mollitiem recondere posset. Virgil. in Georg. Area tum primũ ingenti est æquanda cylindro. Cato, Aream ubi frumentum teratur, sic facito: Locum ubi facias confodito: postea amurca bene conspergito, sinitóque combibat: postea comminuito bene glebas: deinde coæquato, & paxillis uerberato. Est autem cylindrus, lapidea columna, rotunda & uolubilis, ita composita, ut per locum quem complanare uolumus circumacta, facili negotio inæquales terræ glebas subigat. dictum ἀπὸ τῆς κυλινδεῖν, id est, à uoluendo. Paxilla autem dici potest quicquid ligneum uel alterius materiæ sub oblonga & rotunda forma continetur, uel ad aliquem locum complanandum, uel cuiusuis alterius rei gratia. à pauendo dicta paxilla: quòd ea terra uerberetur ac conteratur, ut solidior & firmior fiat. uulgus nostrum hortulanorum uocat vn batoir, quemadmodum fistucam ad pauimenta aptam vne hie.

Cæterum ab huiusmodi area frumentaria, areator dicitur, qui in ipsa area frumentum terit & exspicat. Columella, Atque hoc supremum areatorũ emolumentũ

percipiendorum seminum, quæ terræ crediderat. Vulgus *nostrum uocat* vn bateur en granche.

Est & area, publicus in ciuitate locus, in quem propter amplitudinem & planitiem, negotiorum causa populus commeare solet: in quo etiam mercæ & uictus publici diuenduntur, uulgus nostrum plateam uocat, vne place: *cuiusmodi conspicitur Venetiis iuxta ædem* D. *Marco sacram, & Lutetiæ multis in locis.* Suetonius Tranquillus, *Forum de manubijs inchoauit: cuius area super sestertium millies constitit. Itaque eleganter aream Malberti, aream Grauiæ, aream cœmiterij* D. Ioannis, *pro plateis dicemus, ut id etiam obiter adnotatum sit puerorũ causa.* Gell. *lib.* 20. *cap.* 1, *Ad eam fortè in area Palatina, cùm salutationẽ Cæsaris opperiremur, philosophus Phauorinus accessit.*

Area uerò, siue areola potius in hortis fit ad distinguenda semina à seinuicem, ut uiolas ab oleribus: item herbas odoratas, ab ijs quæ minus odoratæ sunt, & iusculis condiendis aut cæterijs faciendis magis idoneæ. Fitque terra prius optimè subacta. Columella, *Cùm terram bene subegeris, areolas facito. Hinc differere semina in areolas aptè & eleganter dixit idem author lib.* 11. *ca.* 2, *Tum etiam baccas lauri & myrti, cæterarúmque uiridiũ semina, in areolas differere præceperũt.* Varro *de ling. lat. Nam ut olitor differit in areas sui cuiusque generis res, sic in oratione qui facit, disertus est.* Palladius *spatia hortorum areas appellare uidetur: Hoc mense (nempe Septẽbri, inquit) spatia hortorum, quæ per uernum seminibus impleturus es, altè tribus pedibus pastinare debebis. Nostri aream uulgò uocant* vne planche, *à planitie. Plana enim area eleganter dicitur à Palladio, cùm de intubis*

loquitur, pro diligenter æquata & complanata: aut etiam ampla, propter numerosas radices. Dicitur & area quibusdam à quadrata forma, vn carreau. sed hæc nimis uulgaria sunt.

Puluini (mea quidem sententia) uidentur hoc ab areis differre, quòd molliores sint, & ueluti fimo super ipsis areis coacto tanquam tori instruantur, ad superponenda semina quæ uberius terræ alimentum desyderant: quæque propter sui frigiditatem mollioribus & calidioribus fomentis opus habent, quales sunt pepones & cucumeres: quibus etiam assidua irrigatione est opus. Fiebant enim puluini ad eorum similitudinem, in quibus sedemus, quo mollior esset sessio, etiam ipsis herbis, & minus infestarentur hyemis aquis, quemadmodum inquit Columella lib. 12. Quòd autem in areis uel super areis puluini interdum componerentur, docet idem author lib. 3, Omnium (inquit) generum ramos circa Calend. Martias in hortis per puluinos arearum disponere conuenit. nomen autem adhuc uulgò retinet: appellamus enim puluinum, vne couche, quasi torum dicere uellemus cum Plinio lib. 19. cap. 4, Fimum, inquit, tres pedes altè cum terra miscri, areis distingui, eásque resupinis puluinorũ toris ambire, singulis tramitum sulcis, qua detur accessus homini, scatebrisque decursus. Est igitur puluinus, areola terram elatam inter duos sulcos complectens, in qua semina obruuntur, quæ in agris porca à porrigendo appellatur. Varro lib. 1. de re rustica, cap. 35, Violaria in fundo facere non est utile, ideo quòd necesse est è terra ad ea obruenda puluinos fieri, quos irrigationes, & pluuiæ, & tempestates abluunt, & faciunt agrum minorem. Atque hæc de puluinis.

Interualla autem appellabimus, eos ueluti sulcos & tramites, ut inquit Plinius, qui inter quaslibet areas fiũt, ut circunquaque discurrere possit olitor, uel qui ipsius horti curam & delicias, diligenter cõtemplari uolet: præterea etiam ad aquarum decursus. areæ enim ipsæ in interuallis sese expurgant. Cato, Cùm deformabis areas, interuallum facito inter eas.

AREARVM DISPOSITIO.

Veniamus nunc ad ipsarum arearum descriptionem: hoc est, enarrationem eorum florum, herbarum, & plantarum, quæ in his cõseri & seminari solent. Quam rẽ ut breuiori & faciliori cõpendio exequamur, necesse est nos primùm ipsarum ueluti quandam diuisionem facere: nempe ut cuique areæ suas herbas proprias adscribamus, quas etiam suo ordine enarrabimus: deinde uerò ad minus generalia progrediemur.

Faciemus igitur in horto nostro quatuor areas, in quibus omnes herbas & flores hortenses cõplectemur.

Primam autem aream, cõronalem appellabimus, nempe in qua describemus herbas, & flores maximè cõronarios: hoc est, quibus puellulæ suas cõrollas & serta, aut fasciculos cõtexere solent.

Secundam, uocabimus odoratam, in qua omnes alias herbas suauis & grati odoris recẽsebimus, quæ in hortis reperiri solent: præter eas quibus cõronæ fiunt. Quo in loco etiam annumerabimus eas, quæ non solùm folia, sed & radicem odoratam habent.

Tertiam aream dicemus olitoriam, in qua duos puluinos faciemus: unum, qui acetarius dicetur: cõplectetur

enim eas herbas, quibus acetaria condiri solent. alterum, qui condimentarius uocabitur: in eo enim conserentur herbæ, quibus in condiendis iusculis utimur, uel ad saporem conciliandum, uel etiam ad purgandam, aut astringendam aluum.

Quartam uerò appellare licebit escariam, nempe in qua eas herbas conseremus, quæ edules sunt, & quibus per certa anni tempora aut crudis aut coctis uescimur. Hæc uerò duos etiam puluinos habebit. Alterum earum herbarum, quarum fructibus alimur, aut pro cibis uti possumus. Alterum autem earum quæ radices esui optimas nobis præbent, & quas pro deliciis habemus. Sed iam ad primam aream transeundum.

AREA CORONALIS.

Prima igitur area, ut iam diximus, coronalis appellatur, quæ flores & herbas coronarias complectitur. In hortis enim seri etiam coronamenta iussit Cato, mirabili maximè florũ uarietate, inquit Plinius. Quæ omnia priusquam expliçemus, commodum erit, aliquid de ipsis coronamentis & sertis ac fasciculis dicere, quáque ratione ab antiquis fiebant.

Coronamenta triplici ratione apud antiquos fieri solere, Theophrastus author est: quemadmodum apud nos quoque uidemus in ijs corollis puellaribus, quas illæ uocant des chappeaulx. Aut enim floribus odoratis fiebãt, & uiolis ijs quæ leucoiorum nomine comprehenduntur, des giroflees. Aut floribus quæ sine odore essent: ut Iouis flore, quæ Græcis διὸς ἄνθος dicitur, des coquelourdes. Item etiam cyano, herba quæ à cæruleo colore no-

men habet, uulgò blaptiſcula, des aulbiſſoins. & permultis alijs floribus eiuſcemodi. Aut etiam fiebant coronæ foliis odoratis, ut abrotono, maiorana, roſmarino, & ſimilibus. Plinius autem tantùm duo coronarum genera ponit: aliàs enim dicit floribus, aliàs foliis fieri ſolere.

Coronæ hybernæ, chappeaulx d'hyuer, fieri etiam ſolebant antiquitus, quemadmodum & hodie apud nos fiunt, ramẽto è cornibus tincto, cui terra flores negat. Plin.

Corolla, vn chappelet, propter gracilitatem nominata. fiebántque etiam antiquitus corollæ laminis æreis inauratæ & inargentatæ. Quinetiam Craſſus diues, primus argento auróque folia imitatus ludis ſuis corollas dedit: quas qui innecterent, corollarij & coronarij dicebantur, des chappeliers.

Nectere coronam, faire vn chappeau. Plinius libro 21. cap. 3, Nec nos nunc ſcilicet coronas nectemus.

Coronariæ cuiuſdam meminit Plinius ſuprà ſcripto loco, quam Glycæam appellat: quæ in primis ob ſingularẽ texẽdarũ coronarũ artẽ ſtephanoplocos appellata eſt, quo nomine Græci coronariam intelligunt, vne chappeliere.

Strophia & ſtrophiola, pro tenuibus coronis aut ſertis idem author poſuit, ἀπὸ τοῦ στρέφω, quod eſt uerto: iiſque coronis maximè utebantur ſacerdotes. Cic. de aruſp. reſp. A ſtrophio, à pſaltrio, à flagitio, à ſtupro eſt factus repentè popularis.

Serta, inquit Plinius, cùm è floribus fierent, à ſerendo ſeruiæ appellatæ ſunt: nempe à ſertis, & digeſtis inuicem floribus frondibúſque, ex quibus ab initio fieri coronæ primùm cœperant. Applicabãtur autem huiuſmodi ſerta, hoc eſt coronæ frondeæ, templis & ſepulchris, aut etiam bacchantium capitibus. Virgilius, Sertíſque recentibus

halant. Idem de Sileno,

Serta procul tantùm capiti delapsa iacebant,
Et grauis attrita pendebat cantharus ansa.

Vnde intendere locum sertis dixit idē author 4. AEneid. pro circūligare serta per aliquem locum, honoris & decoris gratia: quemadmodum profestis diebus in ædibus sacris fieri apud nos solet.

Fasciculus florum, vn boucquet de fleurs. Cicero lib. 3. Tusculanarum quæstionum, Fasciculum ad nares admouebis, incendes odores, & sertis redimiri iubebis, & rosa. Quo in loco quidam fasciculum interpretantur pro sudariolo (ita enim appellant Liuius linteolum, quo faciem abstergimus, & nares expurgamus, vn mouchoir.) Sed id mihi non satis uidetur rationi consonum. fasciculus enim per se, res inuicem & in unum colligatas significat: unde fasciculum literarū dixit Cicero, pro multis literis simul colligatis, vn pacquet de lettres. Quæ res me mouet, ut etiam rectè appellare possimus fasciculum florum, pro floribus inuicem colligatis, quos odoris gratia nonnunquam circunferre solemus: quod etiam à nonnullis olfactoriolum eleganter appellatum est.

SED iam ad ipsorum florum descriptionem ueniendum: ac primùm de odoratis, deinde uerò de ijs qui odore carent, tametsi in coronis ueniunt, dicendum.

Leucoia, leucoiorum, des giroflees: propriè quidem, hoc est, ex ipsius uocabuli significatione, de uiolis albis dici deberet: id enim Græca dictio sonare uidetur λευκόϊον: Sed tamen ad alios flores eiusdem generis etiam refertur. quanquam aut rubri, aut lutei interdum sint: sed lutea uiolæ, inquit Dioscorides, præcipuus est in medicina usus. Has autem omnes uiolas uulgus nostrum uocat

des violiers: *de quibus tempus est ut seorsum dicamus.*

Leucoion candidum, des violiers blancs, ou des giroflees blanches, *ea est uiola quam uulgò quidam gariofilatam albam uocant. Quod nomen, quanquam ineptum uideatur, ut bis idem repetitum quispiam iudicet: eo tamen loquendi genere usus est* Columella *lib.* 10,

Candida, *inquit, leucoia, & flauentia lumina* calthæ.

Leucoion luteũ, des violiers iaulnes, *uulgus pharmacopolarum, ut prius diximus, uocat uiolam* Cheiri: *frequentissima est hæc uiola super antiquis muris ac tectis.*

Ios Græcis, Latinis *uiola*, de la violette: *est propriè quam uiolam nigram, aut purpuream, aut martiam uulgò uocamus. nigra quidem appellata, quòd purpureo colore adeò tincta sit, ut nigrescere uideatur. Quidam uiolam quadragesimalem uocant, alij matrem uiolarũ. Sunt autem eius generis aliæ quidem dupliçes, quæ satione fiunt, & odoratæ sunt: aliæ simpliçes, quæ agrestes sunt, & admodum suauiter olent: aliæ ab ipsa natura albæ proueniunt, tam syluestres quàm satiuæ.*

Hesperis, *uiola à nobilitate Gallica dicta, Græco nomine inuento (inquit* Theophrastus) *quòd noctu fragrantius spiret quàm interdiu. nostris uocatur* girofle, *quòd caryophylli odorem naribus repræsentet longè uiola alba fragrantiorem: qua dote inter coronamenta uenit.*

Sed *quando de uiola nobis est sermo, subit hoc loco, ut dicam quod mihi inter legendum occurrit,* Varronem *de re rust. uiolam pro omni uiolarum genere accepisse,* Et *apricis (inquit) ut ibi uiolam seras & hortos facias.* Atque *hinc uiolaria ab eodem appellata libro primo de re rustica, capite triæsimoquinto, pro loco, uel parte aut area horti, uolis & floribus consita:* Violaria, *inquit, in fundo*

facere non est utile, ideo quòd necesse est è terra ad ea obruenda puluinos fieri, quos irrigationes, & pluuiæ, & tempestates abluunt, & faciunt minorem agrum. Sic Virgilius quarto Georgicorum, Irriguúmque bibant uiolaria fontem. Eadem etiam floralia, à florum multitudine eidem authori appellantur: Nec minus, inquit, ea discriminanda in conserendo, quæ sunt fructuosa, ab ijs quæ sunt propter uoluptatem, ut quæ pomaria & floralia appellantur.

Viola altilis Barbaro ea est, quam uulgus nostrum uocat des armoiries. Dioscorides & Plinius uettonicam coronariam appellare uidentur. Quidam etiam Britannicam uocauere, quòd in Britannia sit frequens.

Inter huius generis flores annumerandi sunt, quos Itali caryophyllos uocant ab odore, nostri des oeillets: tantùm hoc interest, quòd satione & cura olitorum tum odorem ac coloris uarietatem, tum etiam foliorum magnitudinem ac formam acquisiuerunt. Caueto autem ne cum uulgo, huiusmodi florem hyacinthum appelles. Est enim hyacinthus Græcis, quod Latini uaccinium appellant, cuiusmodi memini me uidisse in nostris pratis Gallicis: crescit enim unà cum satyrio: sed odoratissimum florem gerit, propemodum odore similem uiolæ altili, sed uehementiorem: & colore ac foliorum ordine differt à satyrio, éstque radiæ bulbosa.

Congeneres uettonicæ flores sunt quos uulgus uocat des barberies, aut des armoiries. Betonicam alteram putat esse Ruellius. ea sua spõte magis crescit q̃ prima: est etiam magis inculta, ut quæ in parietinis conspiciatur.

Narcissus etiamnum apud Italos in hortis est frequentissimus, noménque integrum apud eos retinet. dictus

autem flos, ἀπὸ τῆς ναρκης, hoc est à sopore & torpore, quòd eius odor, si diutius naso admoueatur, tandem mentis torporem inducat. Omittam hoc loco fabulam egregij illius pueri, quem in herbam sui nominis conuersum à dijs fuisse poetæ fingunt: cuius rei qui plura desyderat, habeat in promptu Ouidij Metamorphosin. Cæterũ quãdo hæc herba apud nos satis est infrequens, ut apud Italos autumnalis uiola, eius descriptionem subnectemus: Est autem dodrantali altitudine, folio porraceo, multò tenuiore & minore: caule herbaceo, glabro & cõcauo, altitudine supra dodrantem: flore albo, in medio croceo, & in aliquibus purpuræ aspectu: qui ut plurimùm in coronamenta uenit, caliçmque ueluti purpureum habet, radicem bulbosam. Cætera requirito ex Barbari corollarijs in Dioscoridem. Plinius duo Narcissi genera facit. Theophrastus florem huic esse nigrum scribit: atque id de semine ipso, quod nigrum & prælongum esse constat, intelligendum esse Barbarus putat.

Calendulam, nostri uocant du soulci, quasi solarem, cum Cornelio Celso, aut soliseguum, aut heliotropion dicere uelint. Quæ tamen an re uera ita appellari debeat, planè ignoro: nam ut hæc quidem herba cum sole sese circunagere uidetur, ita permultos habet eius proprietatis flores sibi similes. Præterea quod à Dioscoride scribitur heliotropion, id etiam scorpiuron, hoc est, scorpionis caudã, seu scorpioctonon, quòd serpentes enecet: item etiam uerrucariam, quòd trita herba uerrucas sanet, appellari certum est. Quæ omnia nostræ calendulæ haudquaquam conueniunt. Cæterum flos subflauus & luteus, quem hîc describimus, propriè quidem calendula appellatur, quod nomen adhuc hodie Itali uulgò retinuerunt: appellant

enim illi, florem omnium mensium, fior d'ogni mese, quòd quolibet mense & quibuslibet Calendis sponte renascatur tam hyeme quàm æstate. Quibusdam tamen leontopodion appellatur: caltham esse contendit noster Ruellius. uiolam autumnalem quidam uocant.

Baccharis, herba fruticosa, qua fascinum depellitur: addíque solebat in coronis apud ueteres. Vnde Virgilius,

-& baccharefrontem
Cingite, ne nocæat uati mala lingua futuro.

Aspera folia habet, magnitudine inter uiolam nigram & uerbascum: angulosus illi caulis est, cubitali altitudine aliquatenus asper, adnata multa habens: florem autem gerit ex albo purpurascentem, odoratum: radix est illi nigro ueratro simulis, odore ferè cinnamomi. Ac nequis putet nos bacchare carere, sanè frequentissimam reperimus in margine fluminis Matronæ, in agris D. Mauro iuxta Parisios uicinis, sed nomen uulgare nobis ignotum est. Caueto autem diligẽter, ne pro baccharis dicas bacchar: est enim bacchar, ea herba quam uulgus nostrũ metathesi literarum, ac diminutionis syllaba addita uocat ducabaret, Græci asarum appellant: éstque folio hæderæ, sed rotundiore. Eius folio, carpo admoto, utuntur nostræ mulierculæ ad febris ardorem depellendum.

Exigit hic locus, ut etiam de liliis pauca differamus, quando & quoddam liliorum genus in coronis uenire solet, & omnia liliorum genera sunt odorata.

Lilium itaque, quod Theophrastus λείριον etiam uocat, Græci Crinon appellant, du liz: ex Iunonis lacte natum quidam perhibent, respersa terra, dum Hercule dormientis uberibus admoto, mox post suctum digresso, lacte fluxit: ideóque à quibusdam Iunonis rosa dicitur. Fiunt etiã

lilia purpurea arte hortensi, macratis in fæce uini scapis, antequam serantur, mense Martio: *& in scrobe circunfusis eadem fæce.* Sunt *& lilia rubra, à purpureis, ut opinor, differentia: nam sponte in montibus* Patauio *uicinis, huiusmodi florem crescentem uidimus. Cui etiam similes uisuntur hodie in horto* Gasparis *à* Gabrielis *uiri inter nobiles* Patauinos *lõge nobilissimi, & omnibus animi atque ingenij dotibus admodum insignis. Cui præter omnium bonarum ac liberalium artium perfectam cognitionem, hoc etiam laudis & gloriæ accessit: quòd omnes facultates suas (quibus inter cæteros contentissimus uiuit, nihil ut amplius expetat præter id quod habet) in hortuli sui diligentissima cura insumat: neque uerò aut pecuniis aut diligentiæ parcat, ut omnibus etiam rarissimis floribus ac fructibus, ex remotissimis orbis partibus aduectis, abundet: hanc sibi laboris sui extremam gloriã proponens, ut doctos omnes iuuet, & frequentem cum ijs de plantarum cognitione sermonem habeat: se denique fœlicissimum ratus, siquando aliquid, quod nobis ignotũ fuerat, ante oculos proponat.* Sed ad rem.

Est *& aliud liliorum genus, quod lilium agreste aut syluestre uocatur, aut etiam lilium marinum,* Græci Crinon agrion, *& hemerocallen uocant: cuius flos in coronis præcipuus habetur, serebatúrque in hortis apud antiquos eius rei gratia.* Folium, *inquit* Dioscorides, *& caulem habet lilij, porraceo colore, flores in caule per singulos exortus terni, aut quaterni erumpunt, lilij diuisura: postquam dehiscere cœperunt, colore perquàm pallido, radice bulbosa.* Liliaginem *præterea appellant nonnulli, uel liliastrum, id lilium agreste, quod nullum in medio crocum habet.*

Quòd autem nonnullis lilium conuallis, seu lilium cõualliũ dicitur (de quo in Sacris literis multa: crescit enim potissimùm in uallibus & recessibus collium) id esse putat Otho Brunfeltius, quod nos uulgò uocamus du muguet. antiquis, quantum opinor, herbarum scriptoribus incognitum: tantùm enim duo folia habet, aut ad summum tria, polygonato ferè similia, quod quidam uocant Sigillum Salomonis. Aliquibus tamen magis placet eam esse herbam, quæ Galeno & Dioscoridi Bubonium uocatur, à bubone, hoc est glandula inflammata, cui adalligata herba plurimùm prodest: sed cærulei floris est Bubonium. præterea circa florem folia habet stellatim decussata. Itaque minus conuenit descriptioni.

Iris siue flammula, des flambes, à cælestis arcus figura, quæ in florum coloribus cernitur, tum etiam à foliorũ similitudine, quæ flammæ linguas referunt, dicta. Quin etiam nonnulli gladiolum etiam appellauere eadem ratione: unde in quibusdam Galliæ partibus nomen adhuc retinet: uocant enim du glay. Radicem habet odoratissimam, quam uerno tempore in solis umbra siccatam, ac minutim conscissam, nostri in capsis suis recondere solent, ut uestimentis gratiam odoris concilient. Cæterum quædam iris florem album gerit, quem cæruleo longè odoratiorem esse certum est. Reliqua ex Barbaro desumito. Nũc autem ad alios flores coronales ueniendum, qui nullius odoris sunt: sed tantùm coloris uarietate & gratia oculos oblectant.

Calathiana, uulgò des ancholies, æstiuas nectit coronas, pedali altitudine, herba folio turbinato, semper inuerso, foris striato, albo aut cæruleo. quapropter in coronamentis expetitur. rustici uocant uulgò des chaussons.

Amaranthus

Amaranthus siue amaranthum, du passe velours, quasi flos immarcescibilis dicatur: diutissime enim colorẽ retinet. Est autem flos ille spicatus quibusdam magis, quibusdam minus, admodum purpureus: aspectu pulcherrimus, nullius odoris aut saporis, qui uino albo aut aquæ per horam immersus, rubrum colorem adfert.

Iouis flos, qui Græcis dios anthos dicitur, hoc est, Iouis flamma, uulgus uocat des coquelourdes, colore tantùm commendatur, inquit Plinius, licet sine odore sit & coronarius, & obseruatur semine, tamen æstate floret, non autem per hyemem.

Anemone, passe fleur, uerbum ipsum sonat herbam uenti, quòd eius flos, dum uentus flat, aperitur: dum autem minus, clauditur. Ruellius fremuum uertit in Dioscoride, quibusdam tamen senion uocatur. Est autem duplex, satiua quæ rursus multiplex est. Puniceos habet aliqua flores, albidos aliqua, aliqua purpureos: folia coriandri omnes habent tenuissimus masuris diuisa, ad terram inclinata, colliculos lanuginosos. De hoc uide Dioscoridis caput 167. uulgò id nomen retinet, quod superius dictum est. Est etiam alia anemone erratica, quam uulgus uocat, des coquerelles, quæ primo uere crescit, flore purpureo, quo nostræ mulieculæ solent tingere oua, quæ uocant paschatis, les œufs de pasques.

Petilius flos, hactenus nobis ignotus, uulgò belueder apud Italos: apud nos, oeillets d Inde, ou de Turquie. à Petilio Lucaniæ oppido, uel luco Romano: uel à Petilia nobili Romana dictus. autumnalis quidem flos perquàm illustris, uersicolori luteo decorus, ut nihil præter odorem desyderet, striato calyculo, rosam imitante. Cæterùm minimè fugax est, herbáque ipsa, de qua prosilit, mœr-

dum arboreſcere uidetur, atque in altiſſimam magnitudinem aſcendere, ſed quotannis emoritur, nullúmque ſolum refugit.

Flammeam, Ephlogion Græci uocant: eam putat eſſe Ruellius, quam uulgus noſtrum uocat des menues penſees: apud Italos minus frequens eſt: folio mercurialis herbæ, per ambitum crenato, cauliculo triangulo intus cauo, leuiter ſtriato, ex interuallis geniculatim foliato. naſcitur coronis concinnandis, odore nullo quidem, ſed commendato colore. prorogatur uſque in autumnum. unde uiolam autumnalem quidam uocarunt, alij uiolam trinitatis appellari maluerunt, quòd tribus coloribus diſtincta ſit.

Conſolida minor, aliis ſymphytum minimum, des marguerites, quibuſdam etiam des paſquettes, ſimilis quidem eſt illi conſolidæ quæ in pratis paſſim creſcere ſolet: ſed hæc eſt ſatiua magis, & cultura elegantior apparet: cuius tamen parum meminerunt probati authores, ſed herbarij quidam uulgares. Nã ſunt apud Dioſcoridem tantùm duo ſymphyti genera: alterum petreũ, alterum ſymphytum ſimpliciter, quod intelligendum de maiore. Dicta conſolida, quòd eius folia coniunctas partes & cohærentes faciãt, quæ prius diſiunctæ fuerant. Symphytum autem petreum, dictum quòd in petris & locis ſaxoſis naſcitur: uulgus buglam uocat, du bugle. Eſt præterea aliud ſymphytum magnum, quæ conſolida maior uulgò dicitur, de la conſyre, folio hirſuto, anguſto, oblongo, ad linguæ bubulæ figuram accedente. cuius radix ut aſtrictoria eſt prædita: quæ ſi ollæ ad ignem imponatur cum diſſectis carnibus, eas conglutinet, & ex multis fruſtis, unam tantùm partem faciat. Eſt item alia conſolida, quæ media dicitur, ueteribus ignota: neque nũc

quoque omnibus cognita. Sed de coronarijs floribus satis. æquum est nunc ut ad aliam aream digrediamur, quæ odorata uocabitur.

AREA ODORATA.

Secunda hortuli nostri area, odoratas herbas complectetur, quæ aut florem nullum habent, aut si quidem habeant, eo tamen non utimur in coronis, quin potius tota herba, quæ ex se ipsa suauem odorem refert. Itaque ab abrotono incipiemus.

Abrotonum, quod mas appellatur, uulgus nostrum uocat de l'auroesne: sarmentosum est, amarum admodum, odore non usqueadeò iucundo, minúsque album quàm fœmina, semine tenui ac numeroso. Abrotonum autem fœminam, quidam chamæcypariſſum uocant, hoc est cupressum humilem: arboreſcit enim, & quandam similitudinem habet cum ipsa cypariſſo arbore, sed albius est: unde etiam uulgò nomen retinet, du cyprez. frutiçat autem arboris specie, foliis seriphij modo minutim incisis: candicat circum ramulos. Quinetiam flores permultos gerit fulgoris aurei, atque in summo comantes. Eius autem sapor & odor abrotano mari admodum proximus.

Absinthium uulgus uocat de l'aluine, alijs appellatur du fort, propter insignem amaritudinem: fortaſſis ob id quòd aloes saporem habeat, hoc est, amarum admodum. Quidam tamen nomen Latinum imitantes, uocant de l'absinse: non tam propter odorem conseritur in hortis, quàm quia sanitati commodum est.

Sunt autem absinthij tria genera. Aliud enim est Põ-

ticum appellatum, quod Græci βαρύπικρον uocauere, quia munus sit amarum : cuius pastu pecora in Ponto felle carere creditum est. Est autem folio & flore multò minoribus quàm cætera absinthia, habétque facultatem astringentem admodum, sed parum amarum est: atque id esse puto quod uulgò absinthium Romanum appellamus. Aliud item est absinthium marinum, quod & seryphium dicitur: nobis quidem ignotum, sed tamen cuius semine quidam nos uti putauere, quam illi barbotinam uulgò dicunt: qua condita utuntur aduersus infantium lumbricos. Crediderim tamen potius, id semen esse eius absinthij, quod quidam Santonicum uocant, à Santone regione Galliæ, quæ uulgò uocatur Santonge, unde & herba santonica à Columella est appellata: éstque odore iucundo, sapore minimum amaro. Cæterùm, ut reuera dicam, id absinthium, quo uulgò utimur, pugnat maximè cum descriptione Dioscoridis. Neque uerum absinthium audio apud nos reperiri: aut si reperitur, id quidem est apud Santones, aut circa Montempessulanum.

Galeopsis quoque non suauis, sed tetri potius odoris causa in hortis seritur, præsertim ijs, quorum peritæ rerum hortensium mulieres curam habent: ea enim sibi nonnunquam medentur: agripalmam uocant, de l'agripaulme, frutex est thyrso ac fronde urticæ læuoribus, quæ detrita grauem fundunt odorem: flore purpureo, cacumine caulis aspero.

Amaracum pro maiorana, quæ & sampsychus dicitur, Plinius & Dioscorides accipiũt. Galenus autem, sampsychum quidem maioranam appellat, sed amaracum aliud esse contendit: nempe idem cum ea herba quæ parthenium Græcis, hoc est uirginalis, matricaria Latinis

dicàtur: quòd cõtusa, matricis dolores sanet: uulgus nostrum uocat hanc herbam de l'espargoutte: à guttis spargendis, quòd eius folia trita & admota ori & auribus in dolore dentium, guttas pituitæ spargant & eliciant temuando. Eius herbæ descriptio proximè accedit ad artemisiam: quapropter à quibusdam etiam parthenion appellata est. Sampsychus autem siue sampsuchus, pro maiorana, quam uulgus uocat de la mariolaine, indubiè sumitur: sed & Columellam & Plinium & Varronem, item etiam Virgilium, Lucretium, & Seruiũ, idem esse sampsuchum cum amaraco asseruisse uideo: quapropter quid de hac re certi affirmẽ, nescio. Ait enim Virgilius 2. AEneid.

-ubi mollis amaracus illum
Floribus, & dulci aspirans complectitur umbra.

Quo in loco Seruius pueri cuiusdam meminit, quem regium unguentarium uocat, qui casu lapsus, dum ferret unguenta, maiorem ex cõfusione odorem creauit. Vnde optima, inquit, unguenta amaracina dicuntur. Sed hic postea in herbam sampsuchum uersus est, quam amaracũ uocat Virgilius. Hæc Seruius. Columella uerò,

Gratáque (inquit) iam ueniant hilari sampsycha canopo.

De amaraco certè intelligit. Plinius item libro 12. cap. 11, idem esse unguentum sampsychinum cum amaracino asserit, quod idem etiam facit Dioscorides libro 1. cap. 67. Lucretius,

Aut amaracinis blandum, stactéque liquorem.

De illo oleo loquitur, quod ex maiorana fieri solebat: atque hinc prouerbium, Quid cum amaracino sui? Quocirca in tanta uerborum cõtrouersia, cùm certi nihil affirmare possim, tantùm illud mihi satis fuerit explicauisse

& quid parthenion, & quid sampsychus fuerit.

Artemisia, de l'armoise, ab Artemisia, uxore Mausoli regis, quæ sibi hanc herbam uendicauit, dicta: quibusdam magis placet ab Artemide Regina Cariæ, uel ab Artemide Diana, quòd instar Dianæ parturientes adiuuet. unde à Græcis partheuis, id est uirginalis, primò appellata est, quòd uirgo dea illi nomen dederit: mox autem (inquit Barbarus) βασιλικὸν λαχάνον, id est, regium olus appellauere. Duplex autem est Artemisia: alia enim latifolia, quæ rursus duplex est, prima est folio absinthij maiore & pinguiore: altera speciosior & pinguior. prima latioribus foliis & crassioribus ramulis: altera tenuior, exiguo flore, tenui, candido, graui odore. floret hæc æstate. Item est alia herbula exilis singulari ramulo, flore tenui, abũdante, & colore rutilo, quæ artemisia monocaulon appellatur: uincit hæc odoris suauitate antedictam. Alia est tenui folio, à Græcis leptophyllos dicta: est enim folio multò minore, quàm altera, sed odoris & saporis eiusdem. Crescit autem locis maximè sabulosis. Est præterea alia artemisiæ species, quam Apuleius tageten appellat.

Calamintha calamunthæ, siue Calamenthe calamenthes, siue Calamenthum calamenthi, quidam putant eam esse, quæ uulgò dicitur herba cati, de l'herbe au chat: quòd eius odore usque adeò delectentur feles domestici, ut hac herba inuenta sese circumuolutent, & eam diutius attrectent. Quod si est, sanè erit tertia calaminthes descriptio, quæ in Dioscoride reperitur, quam nonnulli eandem esse cum galeopsi putant. Secundum autem calamenthi genus, quod Dioscorides nepetam siue nepitam à Latinis dici asserit, folio quidem est origani, odore iucundo, multò inferiore mentæ.

Est autem triplex origanum siue origanus, nempe heracleoticus, ab Heraclia ciuitate Ponti, in qua est frequēs: habet autem folia hyssopi, non tamen umbellam hyssopi modo, rotæ figura, & morbem circumactam, sed multifidam, & uelut diuisam: semen illi in summis urgis non densum, non durum. Secundum origanum, folio est prioris origani simile, sed candidiore, & id onitis dicitur. Est & syluestre origanum, folia antedictorum habens, ramulos semipedales, graciles, umbellam anethi, in qua flores albi conspiciuntur. Cæterum subortum est nouum origani genus, folio sampsychi: id est, maioranæ officinis & herbariis cognitum, quo Occidui loco alliorum utuntur, uulgò mariolaine sauuage, ou mariolaine d'angleterre. est enim, quantum ex ipsis Anglis intelligere potui, apud Britannos frequentissima.

Tragoriganum Dioscoridi, & Heraclium origanum Plinio, collatis utrinque deliniationibus, in neutro satis exactè designatis, ea erit herba (inquit Ruellius) quam uulgus nostrum nuper cœpit uocare du mastic, ab odore. Frutiæ autem est serpylli uel origani, caliculis ramisque non dissimilibus, foliis sampsuchi, flore paruo, odorato in umbella, in qua propendent incani hircorum uilli, unde ductum tragorigani nomen.

Menta uerò, de la mente, multiplex quidem est, à Græcis hediosmos dicta, hoc est suaueolens. menta autem appellata, quòd suo odore mentem excitet. Sed quæ uera menta dicitur, du baulme, folio est pusillo, nigriore & longiore, caule rubro: neque adeò fruticat. Mentastrum autem, maior menta uocatur, hoc est, quæ caule altiore, & latioribus est foliis. Est & menta aquatica, quæ à Dioscoride sisymbrium dicitur, & id duplex.

Sed ad *noſtrum pulegium ueniamus, cuius eſt duplex genus: aquaticum unum, alterum montanum. Aquaticum uulgò pulegiũ regale dicitur: montanum uerò multis polium, foliis multò antedicto minoribus, flore cæruleo, caule recto, dodrantali, in quo differt à ſerpyllo. Græci glichon uocant. Aquatico autem pulegio ſimilis quædam planta in montibus & ſiccis locis creſcere ſolet, quæ polium montanum appellatur,* du pouliot ſauuage: *folio ſerpylli, ſed paulò latiore, flore cæruleo: apud eum collem Lutetiæ uicinum frequens qui* Eritius *dicitur.*

Coſtus uel coſtum, uidetur quidem aliquantulum referre, & uel ex ipſo nomine conuenire huic plantæ, quã uulgus noſtrum uocat du coq: *eſt enim amara & odorata. Cæterùm aliis rebus haud ſatis refert deſcriptionem* Dioſcoridis: *quapropter commodius fortaſſe fuerit, ſi uulgarem plantam noſtram pſeudocoſtum appellemus: nam &* Ruellius *potius eam eſſe dicit, quæ ſiue ſiliquaſtrum, ſiue piperitis ab antiquis appellata eſt. Cæterum tria coſti genera fecit* Dioſcorides, *ſolis natalibus tantùm inter ſe differentia: fuit enim* Arabicus, Indicus *&* Syriacus coſtus: Plinius *uerò nigrum & album coſtum facit.*

Hyſſopus *ſiue hyſſopum,* de l'hyſope, *inter odoratas herbas etiamnum annumerabitur, quanquam tamen iuſculis condiendis etiam commoda ſit: ſed & floris cæruleo iucunditate coronamentis prodeſt: habet autem odorẽ ſatis acutum.* Plinius *lib. 25. cap. 11.*

Nardus Celtica, *ea eſt, authore* Marcello, *quam hodie lauandulam uocamus,* de la lauande. *dicta quidem Celtica, non quòd creſcat, aut frequens ſit in noſtra* Gallia *circa* Alpes: *ſed in* Liguriæ *montibus circa* Genuam, *in*

Gallia cõmata, uersus Apenninum montem: itẽm etiam in Pannonia. Lauandula autem dicta, quoniam magnum uectigal Genuensibus mercatoribus præbet, quotannis in Africam eam ferentibus, ubi lauandis fouendísque cõporibus Libes ea utũtur: nec nisi decocto eius abluti, mane domo egrediuntur. Hæc Marcellus in Dioscoridem.

Ozimon, regia herba, siue basilica aut basilicon à Liguribus uocata, du basilic, fragrantissimi & uehementissimi odoris, unde nomen accepisse credimus, nempe à uerbo Græco ὄζω, quod significat redoleo. Ocymon autem (ne quis fallatur) ab ὠκὺς dictum, hoc est, à celeritate nascendi, est id quod in tritico & segetibus succrescit, ac sæpius ipsas segetes suffocat: uulgus nostrum uocat de la dragee aux cheuaulx: éstque lenticula & uicia simul commista. Ocymum, inquit Varro libro primo de re rustica, capite triæsimoprimo, dictum ab ὠκὺς, quod est celer. quia aluum bubus citet, & ideo ijs datur, ut purgentur.

Ocymastrum Latini uocant eam herbam, quæ Dioscoridi dicitur acinos. uulgus nostrum uocat du basilic sauuage, quòd planè ocymum imitetur. tenuibus enim siccísque surculis est, ocymo similis, odorata, sed hirsutior: qua etiam coronæ factitantur. unde Plinius acinum & coronarum causa & caborum serere AEgyptios tradit, epimetron uocat Theophrastus.

Salua Latinis & Plinio, Græcis elelisphacos, de la sauge, dicta quòd saluos nos seruat & efficit. Est autem duplex: maior, quæ & latifolia dici potest, uirésque minus efficaces habet: & minor, quæ uulgò frãca dicitur, de la sauge frãche, à Theophrasto sphaæl⁹ appellata: quæ à multis putatur esse lauãdula, de qua prius dictũ est: quá

quidam nardum Celticam putarunt, cùm potius pseudonardus dici debeat.

Satureia, de la sarriette, quibusdam etiam Thymbra appellatur, à qua Thymbræum Apollinem cognominatum putant: frequentior in iusculis quàm sertis aut coronis. Ouidius,

Sunt qui præcipiant herbas satureia nocentes
Sumere. Columella autem Thymbram à satureia separat. De hac uerò Plinius lib. 19. cap. 8. Est & alia thymbra perpetuò uirens, uulgò appellata, sarriette d'angletere, facultate multò calidiore quàm prior, foliisque similibus, sed strictioribus & longioribus paulò, atque in ambitum serratis. Quam plãtam memini me uidisse in horto ampliſſimi Cardinalis Parisiensis.

Ruta, de la rue, quam Græci peganon uocant. Duplex est, mas & fœmina. Plinius lib. 20. cap. 13. Est item ruta satiua omnibus nota, quæ odore & gustu, pestilenti aeris inspirationi medetur: præterea etiam agrestis ruta, quæ à pharmacopolis armel uocatur, Arabico nomine, éstque tetri admodum odoris.

Tanacetum Plinio, ea est herba quam uulgò uocamus de la tanaisie, ne quis fortasse putet eam esse quæ atanasia dicitur Dioscoridi: illa enim eadem est cum ambrosia, quam antiqui cibum deorum fuisse confinxerunt, unde etiam immortalitatem præbere dicta est.

Chamæmelum, de la camomille, quòd eius mali, quod curtipendum uel cupendutum uocamus, odorem habeat, Græcis anthemis dicitur. Cuius sunt tria genera, floribus tamen inter se diuersa.

Thymus, uel etiam thymum, du thym, apum melliferarum pabulum. unde Virgilius,

Dúmque thymo paſcentur apes, dum rore cicadæ.

Sunt autem eius apud Hermolaum Barbarum genera duo: candidum, quod radiæ eſt lignoſa, & in collibus naſcitur, éſtque omnium optimum: alterum nigricante flore, minoris pretij.

Eſt etiam epithymum ſiue epithymus, quo thymi auſcutam conuertere poſſumus: dictum, quia thymo ſuperfloreat. Cuſcuta enim, ſiue conuoluulus Dioſcoridi, ſi ramos thymi in hortis uicina apprehenderit, ſeſe ita circunligat ipſi thymo, ut etiam ab ipſa eadem thymi radiæ nutrimentum ſibi familiare accipiat, atque etiam floreat quemadmodum ipſe thymus, & uires etiamnum ſimiles à thymo mutuatur: interdum quidem maiores & uehementiores, quod idem aliquando facit in hyſſopo & ſaluia.

Praſium Græcis, marrubium Latinis, quod nomen etiam uulgaris ſermo retinet, du marrubium. Duplex quidem eſt: album, quod odore eſt iucundo, ſapore amaro: hinc obſtructiones potentiſſimè liberat. Aliud uerò nigrum, odore fœtido, & foliis non uſqueadeò albis, Græci appellant balloten, nos marrubium commune, uel marrubiaſtrum: creſcit enim paſſim in agris circa margines itinerum: utrunque autem marrubium, præſertim ballote, folia mentaſtri habet, ſed paulò maiora. Eſt aliud praſii genus Theophraſto, quod eſt folio herbaceo, & miſuris altioribus, ſerratis, reliqua autem candido praſio ſimile: ſed hoc Theophraſti praſium officinæ uocant praſium uiride. Stachys, frutex marrubio ſimilis, paulò tamen longiora habens folia & plura: præterea modicè hirſuta & dura, iucundi odoris ſaluiam montanam, & mollem ſaluiam & nauicalam uocant.

Melissophyllon, uel meliphyllon, de la meliſſe, dictum à Græcis quasi folium apium & melleum, siue mellitum folium, Latinis apiastrum. non quòd syluestre sit apium, quemadmodum mentastrum, ut Valla existimauit, sed quòd apibus iucundissimum sit: unde hac herba solent cõfricare aluearia ipsi rustici, siquando apes reuocare cupiunt, dum aufugerunt: quemadmodum etiã dum cupiunt eas exire, cõfricant ea herba quæ cotyla fœtida appellatur. Cæterùm id apiastrum etiam à Latinis citrago nominatur, quòd trita malum citreum oleat, quod uulgus uocat vn citron.

Orminum siue etiam horminum, de la toute bonne, Plinius putat esse quam Latini cuscutam, hoc est, syluestrem asparagum uocant. Est autem horminum, hortense & agreste. Hortensis autem hormini folia sunt latiora & albiora, agrestis nigriora & strictiora, utriusque caulis quadrangulus. Quidam tamen negant id olus hortense, quod horminum uocamus, esse uerum horminum: cuius opinionis est episcopus Megalonensis, uir cùm multarum rerum cognitione insignis, tum maximè de herbariæ rei scientia bene meritus. Sed ut ad rem redeamus, hortensis hormini flore & semine in dolio uini, dum adhuc feruet, imposito, aiunt gratiam maximam conciliari ipsi uino, & gustum referre uini odorati & Cretici, quod uulgò maluaticum uocant.

Anethum, de l'anet, marathro ferè simile conspicitur, umbellámque odoratam gerit, floribus luteis undique refertam, quos siccatos in sole, & capsis suis impositos, nostræ mulierculæ in summis deliciis habent, ad uestium odorem, atque etiam linteorum. Sed nunc ad aream olitoriam ueniendum.

AREA OLITORIA.

Tertiam hortuli noſtri aream, olitoriam appellabimus, nempe in qua uarij generis olera reperiuntur, quibus tum in acetarijs, tum etiam in iuſculorum condimentis utimur. Quapropter duos eius areæ pulunos faciemus. Alterũ quem acetariũ uocabimus, in quo herbas eas recẽſebimus, quibus crudis, & oleo, aceto ac ſale conditis ueſcimur, præſertim æſtate. Alterum quem condimentarium dicemus, in quo eas etiam referemus, quibus in condiendis iuſculis, uel ad ſaporis gratiam, uel etiam ad uentrem ſoluendum utimur. Ac primùm de acetarijs dicendum.

PVLVINVS ACETARIVS.

Primùm igitur declarabimus quid acetarium: deinde uerò ad eas herbas, quibus acetaria fiunt, ueniemus.

Acetarium, vne ſalade, ab aceto fortaſſis deductum eſt, quòd herbæ ipſæ cum aceto & ſale edantur: quemadmodum ſalita uulgò, tum apud nos, tum etiam apud Italos appellatur à ſale. Plinius uerò ab accipiendo acetarium deduci uidetur innuere lib. 19. cap. 4, Horti (inquit) maximè placebant, quia non egerent igni, parærentque ligno. Expedita res, & parata ſemper: unde & acetaria appellantur. Itaque ab accipiendo deduci uidetur, quòd ex ipſis hortis expeditæ herbæ & paratæ ſemper in uſum noſtrum à nobis accipi poſſunt. Iam ad ipſas herbas deſcendamus.

Lactuca, quam Græci Thridacem uocant, laictue. Dicta (inquit Palladius in Ianuario) quòd abundantia

lactis exuberet, quod quidem lac uentrem leniter mouere dicebatur: unde apud ueteres in primis epulis ueniebat. Martialis,

Prima tibi dabitur uentri lactuca mouendo
Vtilis. Cæterum lactuca est agrestis & hortensis: agrestis quidem alia est, quam nonnulli pro uera endiua ostendunt. Quædam uerò quæ chondrilla uulgò dicitur, atque ea est quæ materno sermone à nostris appellatur du lettron: folio quidem cichorij, latiore tamen, albiore, & munus inciso, sed lactescat quemadmodum lactuca. Hortensium autem lactucarum quædã sunt sessiles, crispæ, & capitatæ, quas uulgus uocat, des laictues a pomme: quoniam dum percreuerunt, folia earum ueluti mali cuiusdam speciem rotundam præ se ferunt. quædam altè assurgunt, & eæ quidem omnes, dum grandiores sunt, amarescunt. Est etiam lactuca crispi folij, inquit Columella cap. 3. lib. 11. quæ Ceciliana & Betica dicitur, à regionibus in quibus crescit.

Seris Græcis, ea est quam Latini intybum, siue intybam, siue intubum uocant, nos uulgò ab intybo nomine corrupto uocamus de l'endiue. Vnde prouerbiũ ab eius amaritudine deductum, Intyba successit ambrosiæ. Est enim, inquit Virgilius, amaris intyba fibris. quæ tamen eradicata, & terra obruta, amaritudinem deponit: id enim ab olitoribus didicimus. Eadem herba Celso uocatur etiam ambubaia, & quibusdam Italis scauiola. Est autem duplex, satiua & agrestis. Satiua, rursus etiam duplex, latifolia, quã cichorion domesticum uocamus: angustifolia, quæ (ut prius dixi) endiua uulgò dicitur, nomine corrupto ab intybo. Erratica uerò, siue agrestis intyba, proprio nomine cichorion appellatur, de la chico-

ree: quam etiam ab insigni amaritudine Græci picrida uocauere. est autem duplex, quemadmodum prior.

Hieraciam maiorem uulgus nostrum uocat luteam, uel croceam cichoream, à similitudine quam habet cum intybo. nanque caulem emittit asperum, subrubrum, spinulis horrentem, intus cauum, folia ex interuallis rariusculè laciniata, flores in oblongis capitulis luteos. Hieraciã Græci uocant, quoniam accipitres scalpendo eam, succóque oculos tingendo, obscuritatem discutiant.

Hieraciæ minori etiam uulgus nostrum cichorij aut intybi nomen dedit: uocant enim rustici de la cichoree ou endiue sauuage. nam folia ex interuallis habet diuisa, caulículos teneros, urentes, in quibus flores lutei circinantes emicant.

Cicerbitam Latini, atque adeò Columella, Græci sonchon, appellant quandam intybi siue ambubaiæ speciẽ, atque etiam lactucæ: nam & lacte abundat, quæ antiquis esui erat, & in hortis serebatur. Est enim mollis & esculenta, nunc autem nobis neglecta, & tantùm auiculorum cibo commendata: uulgus uocat du laceron. Est & præter hanc etiam altera agrestis herba, huic propemodum similis, sed animalibus ingrata propter spinosa folia. Huius quidem herbæ speciem esse crediderim, quam appellamus à foliorum figura dentem leonis, sed in caulem non assurgit. uulgus nostrũ uocat du pisse en lict. est enim sylueſtre intubi genus: quapropter eam Plinius inter genera cichorij annumerat, appellátque hedypnoida libro uicesimo, cap. 8.

Malua, des maulues, à molliendo dicta, quasi moluua, inquit Varro, quòd aluum molliat. Ea enim utebantur antiqui etiam in acetarijs cum lactuca ad soluendam

aluum. Vnde Martialis,

Vtere lactucis, aut mollibus utere maluis.

Idem libro decimo,

Exoneraturas uentrem mihi uillica maluas
Attulit, & uarias, quas habet hortus, opes.

Et nos quoque hodie maluarum decocto uti solemus in clysteribus ad aluum ciendam & urinas: desiit enim satiua esse malua. Erraticarum autem maluarum quædam est pumila, & humi serpens, fértque flores ex cæruleo purpurascentes: quædam altius attollitur, & arboresæns malua appellatur. Quædam est etiam quæ flores ueluti rosæ simules autumno gerit, quos uulgus uocat roses d'oultre mer, ut prius à nobis dictum est.

Est & alia maluarum species, quæ folium mollius, & duplo crassius habet, quàm ipsa malua simplex, unde nostris bismalua appellatur, des guimauues: Græcis ebiscus, siue ibiscus, atque etiam althæa dicitur. Virgil.

Hœdorúmque gregem uiridi compellere ibisco.

Hoc est, ut quidam interpretantur, bismaluæ caulibus: arboresçit enim in tantam altitudinem, ut apud Germanos agros culmina domorum pertingere uideatur. Hoc autem caule utebantur pastores, quòd flexilis esset, neque adeò durus, ut tactu animalia offendere posset.

Est præterea alia maluarum syluestrium species, quæ Græcis alœa dicitur, frequens in sylua D. Mauri iuxta Parisios: folia habet maluæ, sed masa magis, ad uerbenacam accedētia: caules tres aut quatuor habet, cortice cannabino uestitos. Videto Dioscoridem.

Acantha, siue acanthos, siue acanthus, inter herbas emollientes hodie usurpatur, quemadmodum & malua. Quapropter succurrit, ut hoc loco à nobis describatur, quanquam

quanquam in acetarijs non ueniat. Hanc autem uulgus brancam ursinam appellat, nisi mauis dicere brancam hircinam. Folia enim habet cornibus hircorum similia. Cæterum emolliẽdæ alui facultatem retinet, unde à Virgilio mollis acanthus dicitur: & à medicis inter quatuor remollitiua, quæ appellant, annumeratur, quibus utuntur in decoctione clysterum. Plinius libro 22. cap. 22, Acanthos (inquit) est topiaria & urbana herba, elato longóque folio, crepidines marginum, assurgentiúmque puluinorũ toros uestiens. Duóque eius genera facit, aculeatum & crispum. Porrò acanthi folio ueteres ob pulchritudinem & figuræ elegantiam epistylia communiebant, & uestibus pretiosis figuram acanthi foliorum circuntexebant. Vnde Virgilius,

Et circuntextum croceo uelamen acantho.

Oxalis uulgò nota, de lozeille, à sapore acetoso dicitur, unde adhuc Italis acetosa appellatur. Multiplex quidem est: satiua, quæ latiora folia habet, caulem uersus pediculum rubescentem, atque ea tum in acetarijs, tum etiã in iusculis usus est. agrestis, quæ multò minora & numerosiora folia habet, quam uulgus uocat de la vinette, à succo quodam uinoso. ea autem nostræ mulieculæ in ardore febrium utuntur: contusa enim, & cum sale carpo imposita, mirè refrigerat. Sed tam agrestium quàm satiuarum sunt rursus multæ aliæ species.

Portulaca, du pourpier, quibusdam etiam de la pourceleine, Græcis andrachne dicitur, uulgo nota: habet subrotũda folia, crassa, qualia in aizoo maiore uidemus. Estq; maior & minor, quæ foliorũ magnitudine tantùm inter se differunt. Est & portulaca, quæ aquatica dicitur, folia tenuiora habens & latiora, florẽ itẽm cæruleũ

& rotundum: præterea altius attollitur.

Bipinnella, de la pimprenelle, dicta quòd folia habeat circum ipsum caulículum alternatim diuisa, ac semper gemina, ut ueluti in duas pinnas assurgere uideantur. Est autem herba huic propemodum similis, quæ Græcis empetron, Latinis saxifragia dicitur: quòd in locis petrosis nascatur, & frangendo in uesica calculo plurimùm sit utilis. Cæterùm hoc differt bipinnella à saxifragia, quòd hæc pilosa folia non habeat, illa uerò maximè. præterea bipinnella (præsertim quæ uera est) trita, cucumeris odorem refert: quemadmodum & alia pratensis herba, quæ uulgò ulmaria dicitur, quòd ulmo similia folia gerat: præterea confractus bipinnellæ caulis, ueluti neruum quendam in medio habere uidetur, cuiusmodi in plantaginis folio confracto apparere solet. quæ omnia signa, saxifragiæ nõ insunt: quinetiã ipsa saxifragia flore (qui albus apparet) decidente, aculeo caret: quem habet illa quæ geranion Dioscoridi, officinis cõllum gruis, siue acus pastoris dicitur: habet etiam folia ad bipinnellæ figuram tendentia, præsertim quæ minor est, & humi serpit: uulgus uocat de l'herbe Robert.

Vtimur etiamnum in acetariis ea herba, præsertim cõdita, ut solet capparis, quæ Græcis Crethmon, siue crithmon, aut crithamon dicitur, à seminis figura, quod (præsertim hordei) crithen Græci uocant: estque empetri, hoc est saxifragiæ species: Latinis batis, siue baticula dicitur: uulgus nostrum appellat de la bacille, de la creste marine. Itali del fenoechio marino. plurima inuenitur condita sale & oleo apud pharmacopolas.

Olus cordum, satiuam batim uocat Columella, quasi serotinum, quòd non nisi appropinquante uindemia, cõ-

diatur: alioqui emicat ferè in marinis scopulis & crepidinibus inaccessis.

Et quando capparis nomen nunc incidit, commodius est ut de ea etiam tractemus. Capparis igitur frutex est ramosus, per terram sparsus, ab radice una interdum duodecim, nonnunquam etiam triginta ramos producens: ubi iam grandior est, spinas acutas profert: atque ob id à nonnullis cynosbatos, hoc est sentis caninus dicitur, de quo prius latius dictum est. Folia autem mali cotonei gerit, florem oliuæ simulem: qui conditus, quemadmodum prius in crithmo diximus, cum sale & oleo, saporis est optimi, & acetarij uicæ per hyemem à nobis editur: uulgus nostrum uocat des cappres. Cæterùm stolones etiã gerit, longos tres aut quatuor cubitos: crescit maximè in ruderibus & cœmentis lapidum.

Asparagus, des asparges, duplex quidem est, altilis & hortensis, stolones oblongos producens, qui facillimè & celerrimè quidem cœquuntur: ac deinde aceto & oleo conditi, primis mensis edi solent pro acetarijs. hinc prouerbiũ de re, quam celerrimè perfici dicimus, Citius quàm asparagi cœquantur. Est & asparagus erraticus, qui ueluti lignescit, & spinosa folia habet, profértque stolones admodum exiles: qui si in hortis transferantur, nunquam grati sunt saporis. Satiuos autem asparagos Columella à rusticis suis antiquus cœrudam uocari dicit. Quo in loco subit ut obiter illud adnotem, antiquos asparagorum nomine usos pro omnibus herbarum, arborum, aut fruticum stolonibus, aut, si mauis dicere, turionibus: uulgus nostrum uocat des reiectons, qui ab antiquis edi solebant acetariorum uicæ, habebantúrque in summis deliciis: Græci ἀκρόθρυα uocauere.

Cardamum Græci, Latini naſturtium appellant, du creſſon alenois. Dicitur autem cardamum ἀπὸ τῆς καρδίας, quoniam cor fouet: & in ſyncope illa, quam medici cardiacam uocant, plurimùm ualet, nempe dum uires alicui repentè deficiunt, ut animo linquatur. Naſturtium autem appellatum eſt à naribus torquendis, quòd odore & ſeminis acrimonia, ſternutamenta prouocet. unde etiã à quibuſdam Gallis uocatur hodie du nafitort: ſemen autem habet ſimile ſynapi, folium erucæ diuiſura, ſed & ſapore & odore acri.

Eſt & aliud Naſturtium aquaticum, à quibuſdam cardamina appellatum, quòd ſapore ſit cardamo ſimile. Quidam eam herbam eſſe putant, quæ Græcis Sion, Latinis lauer dicitur: unde literarum metatheſi pro uerla berula poſtea dicta eſt corruptè: uulgus uocat de la berle. habet autem folia utrinque pinnata, ſaporem uerò ſiſymbrij, quod uulgò balſamita dicitur: éſt que foliis mentæ, ſed maioribus: nam de priori ſiſymbrio Galeni intelligo, quod ueluti pſeudomenta, uel mentaſtrum appellatur.

Siſymbrium autem alterum Galeni, quod aquaticum eſt & ſylueſtre, & à quibuſdam cardamum appellari dicit, quòd cardamo ſimile quiddam guſtu præ ſe ferat: omnino putarim id eſſe, quod noſtri creſcionem, à creſcendi celeritate appellant du creſſon: cuius ſanè maxima eſt apud doctos contentio. Hermolai enim argumento id quidem olus non poteſt eſſe quod Sion à Dioſcoride & Galeno deſcribitur, quanquam ſanè in eiſdem aquis cum Sio creſcere ut plurimum ſoleat: ſed Sion imbecillioris caloris eſt, præterea leuiora & tenuiora folia habet & odorata, erucæ ſimilia dum grandeſcit. Siſymbrium autem

siue crescio, calidum est maximè, ut etiam menses & Venerem cieat: præterea folia habet crassiora & breuiora ac rotundiora, minúsque odorata, neque incisa.

Eruca Latinis, Græcis euzomos, quoniam iura commẽdet, uulgò de la roquette: dicta quidem salax poetis, quòd Venerem moueat sua caliditate: idcirco lactucæ iũgitur in cibis, ut contrariam uim temperet. Est autem simillima huic herbæ, quæ in uallis nostræ urbis frequentissima est, potissimum ad D. Iacobi & Michaelis suburbia: fœtet autem mirum in modum, & florem luteum gerit, appellatúrque erisimon Græcis. Hæc autem eruca hortensis, qua Itali maximè utuntur, in acetarijs & epulis flore est paulò pallidiore: cæterum trita, rapum olet, neque grati odoris mihi unquam usa est. Itaque eandem prorsus existimem fuisse cum nostra uallari herba: sed hæc agrestis & inculta est, folióque longiore & acuminato: illa uerò satiua & hortensis, folio obtusiore, latiore & breuiore, & minus inciso. Est præterea alia eruca, quæ proprio nomine agrestis eruca dicitur, passim in nostris uitibus crescens, folio satiuæ simili, strictiore tamen & minore, flore luteo, quæ præsertim circa Calendas Iunij erumpere uidetur è terra: nam alio tempore uix reperitur: eius enim semen diutissimè in terra asseruatur, priusquam germinet.

Senecio, du senecon, etiamnũ in acetariis gratissima est, quanquam à nostris rarò assumatur. est folio erucæ, flore luteo, qui tandem ueluti in pappos euanescit, quos uulgus puerorum appellat barbe dieu. Græcis dicitur herigeron, hoc est uernus senex, uel citò aut uere senescẽs, quòd citò in pappum & lanuginem abeat.

Lapathum Græci, Latini rumicem, Barbari lapathiũ

uocant eam herbam quæ uulgò parella dicitur, de la parelle, de la pacience. Huius autem quatuor genera facit Dioscorides: quorum omnium folia, semen & radix ad ulcera cacoethe (quæ etiam malefica ulcera capitis manantia uocantur, la male tigne) mederi optimè certum est. detersoriam enim facultatem habent admodum efficacem.

Lapathum autem satiuum multiplex est: aliud enim est quod folia oblongiora & latiora habet, atque id quidem uulgus uocat de l'ozeille: de qua prius in oxalide. Aliud est folio multò breuiore & subrotundo, quam uulgus uocat ozeille de Tours: atque ob hoc quidam lapathium rotundum appellauerunt.

Est & oxylapathum, dictum quidem à saporis aciditate, non autem à foliorum acumine, ut quidam putauerunt, qui lapathium acutum uocant, ab acutis foliis: atque hoc quidem Picardi uulgò nominant de la surelle.

Aliud autem lapathũ est agreste & erraticum, quod quidem in pratis, sylus, ac montibus frequentissimum est, habétque folia plantagini similia.

Est item aliud lapathum maius, quod Græci hippolapathum uocant, quasi lapathum magnum, non quòd aliquid habeat cum equo simile: sed quòd tantùm sit omniũ maximum. Id enim solent gratiæ in suis uocabulorum cõpositionibus obseruare Græci, ut quas res magnas aut amplas facere uolunt, equi aut bouis appellatione declarent: quemadmodum in hippolesino, hippomarathro, buglosso & buphthalmo uidere est. Atqui hoc quidem lapathum maius, latissimum folium habet & longissimum, semen & radicẽ rabarbaro similẽ: hoc tãtùm folia inter se differunt, quòd folia rabarbari partæ inferna incisa

ſunt,& ad pediculum minus lunata. Creſcit potiſſimùm in aquis,unde etiam hydrolapathum à Græcis dictum.

Borago,boraginis,des bourroches.Cuius floribus cæruleis utimur in acetariis delicatioribus,quibus etiam conditis, pro cibo delicatiſſimo ueſcimur. Omnes in ea opinione ſunt,ut ea herba ſit quæ antiquis dicebatur buglo ſſa,ſiue buglo ſſum,aut etiam buglo ſſus,hoc eſt,bouis lingua: quòd linguæ bubulæ ſimilia folia habeat. Sed floris ſimilitudine inter ſe aliquantulum differunt. Faciemus itaque duo buglo ſſi genera:atque alterum quidem,minus buglo ſſum uocabimus, eritque uulgaris noſtra borago: alterũ uerò maius, quod alio nomine circion à Dioſcoride appellatur.Atque hinc illud eſt, quòd Cato in libris de agricultura admonet, inſitioni admouendum folium linguæ bubulæ, ne aqua intromittatur: quod quidem de boraginis noſtræ folio intelligendum:latius enim folium habet,quàm quod circion dicitur:eius enim circii folium triquetrum eſt, & oblongius, atque etiam albicans: floréſque amariores gerit, quàm ipſa borago, quæ & folia habet nigriora,& flores dulces. Quapropter Barbarus, cùm de buglo ſſo agit,illud ſemper addit, Quæ uulgò borago dicitur.Dicta quidem borago,ut quibuſdam placet, quaſi corago: quòd ex uino pota,animi lætitiam augeat, unde Græcis euphroſyne appellata: éſtque melancholicis optima ad animi lætitiam conciliandam.

Cærephyllum, du ſerfueil, dictum quòd cærea folia, hoc eſt flexibilia,uel cærei coloris habeat. Caue autem ne pro cærephyllo,ſerpillum dicas,ut nonnulli uoluere. nam ſerpillum, id eſt quod paſſim in uiis agreſtibus ſerpit, unde etiam nomen traxit, uulgus uocat du ſerpolet. Quod autem Plinius ait cærephyllum, à Græcis etiam

pæderota appellatum, id quidem nescio quo iure affirmet. Audio enim eam herbam quæ Græcis acanthos, uulgo branca ursina appellatur (cuius folio ueteres epistylia insignia reddebant, quòd in quamuis formam flexibile esset) etiam pæderota appellari: hoc est puerilem, quòd ea pueri ludentes oblectarentur & gesticularentur, quēadmodum lappæ maioris folio, quæ ob id personata dicta est, quòd ea herba ueluti personas facerent pueri uultu operto & obducto ipso folio.

Tarcō, uulgò du targon, herba ueteribus incognita, quæ hortulanorum diligentia & industria nobis in usu uenit: folio est hyssopi, longiore tamen: quod dum editur, salinam prouocat sua caliditate, estur in acetariis cum sale & oleo.

Fœniculus, siue fœniculum Latinis, du fenouil, Græcis marathron dicitur, solétque, dum adhuc tenellum est, neque dum in caulem assurrexit, in acetarijs uenire: non enim altè assurgit, appellatúrque fœniculus dulcis: quæ quidem dulcedo mest semini & toti plantæ, tum à solo, tum etiam à satione. Est & aliud fœniculum maius, quod ueluti arboreſcit, & à Græcis hippomarathrum uocatur, ea ratione quæ prius dicta est in hippolapatho. Aliud est insuper quod nunquam attollitur in altam magnitudinem, & minora folia habet ad folia anethi accedentia, quàm fœniculum commune, uocatúrque id à Græcis meon, uulgò autem fœniculus tortuosus dicitur. Quin etiam aliam quandam herbam pratensem, daucum cretiam, & folio & umbella referentem audio à nostris uulgò fœniculum porcinum appellari, quòd folia fœniculo similia habeat, & porcis saginandis prosit. Cæterum (ni fallor) ea est quæ peucedanum Dioscoridi dicitur, La-

tinis herba ſtataria. Mittit enim peuædanum tenuem ex ſe caulem, gracilem, fœniculo ſimilem, & circa radices denſa copioſáque coma folioſum.

PVLVINVS CONDIMENTARIVS.

Cramben Græci, Latini braſſicam appellant des choulz, quaſi caules dicere uelimus: quo etiam nomine à Catone appellata eſt braſſica, quoniam nulla temere herba caule ſit amplior. Sunt autem braſſicarum multæ ſpecies, quas qui perſequi uelit, tum à differentiis ipſarũ, tum etiam à facultatibus, infiniti propemodum fuerit laboris. Eſt enim rubra, alba, & uiridis braſſica, quæ omnes eandem facultatem habent. Eſt item Theophraſto braſſica craſſa, item etiam leuis, quæ à Græcis leophyllos dicitur: & agreſtis, quæ omnium efficaciſſima eſt, creſcítque locis maritimis & præruptis. Eſt inſuper crambe capitata, des choulz cabuz, omnium in cibis delicatiſſima: quæ quidem Columellæ, & alijs rei ruſticæ ſcriptoribus tritiana dicitur. Plinius lacuturres uocat à loco in conualle Aricina, ubi quondam fuit lacus & turris. Apianam braſſicam uel Græco cognomine ſelinoidem uocat Cato, quam nos uulgo dicimus choulz creſpes. Sabellicam ſiue marucinã appellat Plinius, rubram, medicamentis aptam, uulgus noſtrum des choulz rouges. Quinetiam alia eſt quæ à Græcis crambe thalattria, Latinis braſſica marina appellatur (creſcit enim locis maritimis frequentius) quæ à Plinio olus marinum dicitur: uulgus autem noſtrum ſoldanellam uocat. eſt enim conſolidandæ rupturæ admodũ commoda & utilis. Cæterum braſſicam ex lachrymis Lycurgi quidam natam fuiſſe dicunt: unde etiã ad ebrietatem plurimùm ualere putant.

Atriplex Latinis, Græcis atraphaxis, uulgò des arroches, des bonnes dames. quidam ab atrore dictam putant, quidam uerò imitatione Græcæ uocis atraphaxis. Olus atriplicis, inquit Columella libro 11, quod Græci uocant atraphaxim, circa Calendas Octobris obrui debet. A nonnullis etiamnum chrysolachanum dicitur, hoc est olus aureum: quòd quædam atriplicis species sole lucente, aureum colorem oculis referat. Est autem triplex eius oleris species: quoddam enim album muenitur, quoddam etiam rubrum, aliud uerò uiride. Sed omnium eandem esse in purgando uentre facultatem certum est: sùntque omnes semine foliaceo.

Est & olus atripliæm referens, cuius tamen folia primis uitæ rudimentis, cùm adhuc silet caulis, in orbẽ circinnantur: uerùm cùm emicuit, iam adulta in acumen exeunt, & ima pediculi parte laciniantur, cauliculo cubitali, lacte pauco madente, quibusdam ramulis brachiato, flore luteo, auri colorem imitante, calyce paruo, in quo lactucæ semen continetur. nostrum uulgus chrysolanum, uel chrasalinam uocat. Sunt qui crassulam minorem appellare uelint: nescio an ad chrysolachanum referri debeat.

Syluestrem præterea atripliæm officinæ nostræ uocant herbam in uitibus & cultis sponte nascentem, quam tamen quidam putant esse syluestris bliti genus: ea pauperes rustici mœrdum uescuntur ut olere, cùm melioris copia non suppetit. cauliculum fundit binûm palmorum altitudine, mollem, subalbidum, folia mercuriali aut hæderæ similia, certis intersticiis subalbida, semen prope folia paruum, rotundum. Eam putat esse noster Ruellius, quam antiqui cyniam siue cynocramben appellant.

Molochia & atriplex marinum Mauritanis uocatur frutex quidam halimo similis, & ei quem uulgus noſtrũ uocat blanche putain, cuius folia ciborum gratia decoquũtur, & ab accolis maris per oppida & uicos, manualibus faſciculis compoſita uænum deferuntur.

Syluestrem porrò braſſicam, quam alij petræam, alij erraticam uocarunt, Theophraſtus æram, Plinius cramben ſpeciali nomine uocauit. Ea eſt coma læui, parua, rotunda: ramis foliiſque permultis condita, ſatiua candidior: ſucco aſpero, & inſtar medicamenti amaro: unde fit ut iuxta uitem ſata, eam enecet. quapropter dictum eſt ab Androcyde, cramben uino aduerſari, crapulámque cercere. hinc illud Satyrici,

Occidit miſeros crambe repetita magiſtros.

Beta, de la porree, olus uulgo notiſſimum, dictum à ſimilitudine quam habet cum β litera Græca, dum ſemine turget: habet enim ſummitatem in cacumine reflexã. Atque eadem ratione, à caulis rectitudine, quæ literæ iota ſimilitudinem quandam referre uidetur, cùm matura eſt: à quibuſdam, nempe in agro Turonenſi, Iota appellatur, de la iote: ultimi Picardi Romanos appellant, des romans: quòd id olus à Romanis primùm inuentum ſit: nonnulli etiam Longobardos uocant, des lombardettes, nempe Tornacenſes. Delphinates reparatam nominant, quod nomen etiam ab antiquioribus medicis in uſu fuit. Quidam etiam ſiclam uocant: ſed hæc magis rubra eſt: eſt enim alia alba, alia etiam nigra, quæ omnes uentrẽ optimè ſoluunt. unde Martialis,

Et pigro uentri (inquit) non inutiles betas.

Sed beta candida magis aluum ſubducit, cuius etiam radix tenuioris eſſentiæ creditur. Græci autem Betam Teu-

tlon appellauerunt.

Seutlomalachon recens Græcia fecit olus, quasi dicat maluaceam betam, quòd, ut reor, parentum adulterio natum existiment ueteribus inauditum: fortè quòd figura & denticulato seminis habitu betam, & mollitia maluam mentiretur. Spinaceum olus uulgò dictum esse putat Ruellius.

Blitum, olus omnium insipidissimum & fatuum: unde uulgò rudes & inutiles, blitæos appellamus, blistres: nobis autem ignotum, sed apud Hispanos & Italos frequens: habet autem semen foliaceum, ut atriplex: racemosum, ut beta. Cæterũ folia nostris spinatiis ferè similia. Quapropter facilè iudicauerim nostrum esse blitum, quæ spinatia uulgò uocamus, des espinars, à spinoso semine: quorum nulla mentio apud antiquos plantarum scriptores. Hispani tamen aiunt se habere aliud bliti genus, à nostris spinatiis longè diuersum. Itaque quid statuam non habeo, ac litem ipsam sub iudice relinquam.

Bupleuron Græci uocant oleris genus, quod sponte nascitur etiam in agris, foliis multis, longisque, capite aut muscario anethi, inquit Plinius, laudatum in cibis.

Iasione Theophrasto, olus est syluestre humi serpens, copioso lacte succulentum, flore candido, folio unico: sed ita implicato, ut plura esse uideantur: uulgus uocat du liseron.

Selinon Græci, Latini apium uocãt: éstque illud quod nos uocamus uulgò du persil: & quia in præruptis montium Macedoniæ crescit, ideo petroselinum Macedonicum appellatur, du persil Macedoine. Est autem id omnino simile nostro hortensi & domestico selino, nisi quòd odore est paulò iucundiore: omnia enim agrestia, præser-

tim quæ in ſaxoſis & petroſis creſcunt, multò ualentiora ſunt ſatiuis, & odorem uehementiorem præ ſe ferunt. Semen itaque & folium petroſelini Macædonici, ſunt multò efficacioris roboris, quàm ſelini aut apij domeſtici ſiue hortenſis. Quod autem uulgò (& id quidem falſò) uocamus apium Macædonicum, apparétque ſelino maius, id ſanè eſt quod Græci hippoſelinum, Gaza equapium uertit, Latini oluſatrum, & olus pullum appellant. Columella lib. 11. cap. 3, Atrum olus (inquit) quod Græcorũ quidam hippoſelinum, nonnulli ſmyrnion, paſtinato loco, ſemine debet conſeri, maximè iuxta macériam. Atqui ſmyrnion hodie quidam putant eſſe quod nos leuiſticum dicimus, uulgus uocat de la leueſſe: quidam falſò liguſticum ſiue libyſticum uocant. Eſt autem apij ſpecies, dicta quidem ſmyrnion, quaſi parua myrrha, quòd eius ſemen atque adeò tota planta, odore myrrham referat. Quod uerò uulgò apium uocamus de l'ache, procul dubio eſt id quod Dioſcorides eleoſelinon uocat. Petroſelinum autem noſtrum uulgare, eſt id quod ille uocat oreoſelinum, hoc eſt ſelinum montanum, quod in montibus & ſaxoſis locis potiſſimum creſcit: unde nomen petroſelino, ut iam dictum eſt.

Crocus, du ſaffran, unde croceus color appellatus, qui flori ipſius croci ſimilis eſt: & crocota ueſtis, quæ croceo colore tincta eſt, de qua in libello De re ueſtiaria ſatis diximus: eſt autem croci flos, lilio quadantenus ſimilis, ſed cæruleus, florétque quotannis: multas ſpicas & adnata aut nucleos producere ſolet, qui tertio quoque anno caſtrandi ſunt & ſeparandi, alioqui ſuffocaretur tota plãta adnatorum multitudine. Cæterum hyeme uiret, floret autem maximè autumno, & in medio flore uirgulas

quaſdam rubras oſtendit: quæ deinde ſiccatæ, & aqua diſſolutæ, iuſculis colorem & gratiam præbent: poſtquã autem flos croci decidit, folia multiplicantur.

Sinapis etiam in condimentis uenit, plæraque Græcia napy uocat, quaſi naphy (inquit Athenæus) quoniam non ſine natura ſit, ſed acri, & proinde incommoda donetur: aut quòd puſillo ſit corpore. Sinapis uerò dicta, quòd olfactũ luminibus officiat. unde Columella, Séque lacæſſenti fletũ factura ſinapis. Et Nicãder in Georgicis,

Semina tractanti morſum factura ſinapis.

Tria ſinapis genera. Sylueſtrius, ubique ſponte naſcens. Exilius, quod uulgus à minori proceriate ſanelam uocat. alia numeroſioribus altioribuſque ramulis brachiantur: rapo ſimilia, ſed folio minore & aſperiore. uerum ſemen euariat, in uno ruſeſcit, in altero candicat. hãc blanche mouſtarde, illam nigram muſtardam uocat uulgus: quo nomine uocat ipſum etiam condimentum: ſemen autem appellat du ſeneué.

Porri quoque folia & radices in iuſculis edi ſolent, uulgus uocat des porreaulx, olus notiſſimum. Cuius ſatio fit denſior, ut inquit Columella, ad fibras intondẽdas & folia deſecanda, ut ſint eſui in iuſculis: id quidem ſectiuũ appellatur. cùm autem ita depangitur, ut fiant capita latioris incrementi, id quidem Columellæ capitatum porrũ dicitur: gethyllida Græci uocant: cuius cultus, aſſidua ſarritio eſt & ſtercoratio: nec alius tamen à ſectiuis porri cultu, niſi quòd toties rigari & ſtercorari, ſarriríque debet, quoties demetitur.

Eſt autem aliud porri genus agreſte, quod quia in uitibus frequentius creſcit, Græci ampelopraſon, hoc eſt porrum uitium, uel uitigineum appellauere. eſt autem folio

tithymali (inquit Dioscorides) flore purpureo, caule lychnidis herbæ, semine nasturtii. prosilit bicubitali caule, foliis porraceis, sed angustioribus: flore candido, radiæ bulbosa.

Est & aliud porri genus, quod cum allio degenerat, atque ob id à Græcis scorodoprasum appellatum, hoc est, allium porraceum: est enim porri folio, sed odore & sapore allij: adnata non habet, neque spicas: aut si quidem habet, rarissimæ sunt. frequens in pratis crescit.

AREA ESCARIA.

Veniamus nunc ad quartam hortuli nostri areã, quam ab ijs herbis, quæ esui nobis esse possunt, escariam appellabimus, præter eas tamen quæ in priore area consertæ & explicatæ sunt: illarum enim foliis & caulibus tantùm uti solemus tum in acetariis, tum etiã in iusculis: harum uerò tum fructibus, tum etiam radicibus uescimur, non solùm coctis & præparatis, sed etiam crudis: quemadmodum rustici solent, qui propter continuos & assuetos labores, uenriculo sunt admodum robusto. Itaque æquum fuit earum seorsum herbarum propriam & peculiarem aream fecisse. Cuius tamen, quemadmodum & prioris, quæ olitoria dicebatur, duo etiam erunt pluuini. In quorum altero eas herbas committemus, quarum fructibus uariè præparatis quotidie uescimur. In altero uerò eas recensebimus, quarum radices in alimoniam uertimus. Sed iam æquum est, ut ad priorem pluuinum ueniamus, quem ab ipsis herbarum fructibus, fructuariũ appellabimus. Sunt enim nobis necessariò confingenda nomina, ut res ipsa & magis succinctè, & magis proprie

à nobis pertractetur. Neque uerò legibus oratorijs astrictus esse debet, qui quæ oratoris non sunt (hoc est forensis, causidici, & rhetoris) Latinis uocibus efferre cupit.

PVLVINVS FRVCTVARIVS.

Fructus sanè herbarum uarij sunt: alij enim in rotundam malorum formam succrescunt. Quales sunt peponum species uariæ, item mandragoræ quoddam genus, cuius fructum nos poma Cupidinis, Itali melezanas uocant: alij uerò seminum esculentorum gratiam ac dulcedinem nobis præbent, quale est marathrum, de quo iam suprà diximus: item etiam anisum & œrianum, quod nos œriandrum uocamus: addam etiam papauer, quod tamen medicamentosum est magis: huius enim semine ad somnum conciliandum utimur. Aliæ denique herbæ sua etiam folia fructuum uice nostro gustui suauissima reddunt: cuiusmodi sunt eæ de quibus in area superiori à nobis fusissime dictum est. Sed iam à peponibus incipiendum.

Peponum itaque multa sunt genera, ab ipsorum sapore & figuris petita. Est enim uentrosus pepo, qui uulgò dicitur pompon, éstque ab ipso pediculo usque ad oculum striatus. Est præterea alius paulò oblongior, striis non usqueadeò prominentibus, quem fœminam appellant: atque hanc uulgus quoque peponam uocat. Sunt & alij pepones, quos hircos siue hircinos aut hircas uocamus, põpons turquins, habentúrque apud nos in summis deliciis: súntque coloris multum uuridis, ut nigri quodammodo appareant, saporíque admodum delicati. Quinetiã artæ hortensi & diligenti sationis cura ab olitoribus hoc

est

est inuentũ, ut peponum semen saccharo, aut aqua saccharata irrigatũ, ipsis fructibus, qui deinde succrescunt, saporis admodũ dulcis, qualis est sacchari, gratiam addant: quemadmodum quoque pyra mosçata & rosacea fieri uidemus. Pepones itaq; eiusœmodi uulgò saccharati uocantur, pompons succarins.

Melopepones autœm à Græcis dicti, quasi cydonij, ἀπὸ τοῦ μήλου, hoc est, à pomo uel malo: quod dum absolutè profertur, de cydonio intœlligitur, quod & cotoneum appellatur, uulgus uocat vn coing: Itali Latinæ uocis uestigia retinentes, melo codognio. habent autem melopepones, mali cydonij figuram, eósque uulgus appellat melones, des melons, quos ut cognoscamus & discernamus à peponibus, sciẽdum est pepones maiores esse striatos, in ipsa cautate aquam habentes, œrnem molliorem, leuiorem & insipidiorem: melopepones autem, duriorem magis, firmam & solidam: porrò paruam habent cauitatem cum multis seminibus: neque tam grandes sœpius reperiuntur, quàm ipsi pepones, succúmque iucundiorem habent, & œrnem ut plurimum albicantem.

Est & alius pepo, qui citrulus à practicis medicis uocatur, quasi citreolum dicere uelint, quòd citrei mali colorem & formam habeat, éstque (quantum audio) saporis cucumerini. Cuius folia à peponum aut melonum foliis hoc differunt, quòd pluribus incisuris diuisa sint, ueluti in alarum aut pennarum formam.

Succurrit hoc loco, ut inter peponum genera adnumeremus eos ueluti pepones in Melita insula Siciliæ proxima frequentes, quos uulgus Italorum bothecas uocat. reperiuntur enim etiam apud Italos, præsertim in Campania: habent autem folia melonum foliis simulia, tamen la-

tiora, florem quoque similem, sed latiorem: fructum uerò multò crassiorē, striis haud tam facile perspicuis. Quinetiam pediculum crassum habent, in quo uidentur maximè à melonibus differre. Cæterùm fructus uarij sunt: alij enim albicantes, alij natura multò uiridiore apparent: qui cùm permaturuerunt, incredibilem dulædinem ori præstant: quorum succo, ardenti febre laborantes, rustica Melitænses in potu utuntur.

Sunt præterea etiam alij pepones, quos uulgus uocat pompons d'hyuer: nos uerò uulgarem quoque dictionem imitantes, pepones hybernos, siue mauis hyemales appellabimus: possunt enim ad hyemem usque adseruari, neque unquam in ipso solo matureſcunt, sed collecti, & solaribus appensi, tandem maturi & flaui fiunt, ut etiā hyeme gratissimum succum & cibum præbeant. est autem fructus eorum minor paulò, quàm peponum esse soleat.

Et quia cucumerum paulò antè mentionem fecimus, æquum est ut de ijs etiam disseramus. Cucumerem igitur, quem uulgus uocat vn concombre, dupliçm faciemus, satiuum & agrestem. Satiuus quidem descriptione non eget, atque ab aliquibus, nempe Columella & aliis, uocatur anguinus, à flexibus, quòd instar anguis sit flexuosus. Agrestis uerò, uulgò cucumis asininus appellatus, folia habet priori similia, minora tamen, & aspera magis: sed fructum fert oliuæ simulem, paulò maiorem, & striatum aliquantulum: qui dum exœrnitur, ueluti uentosa sonat, & semen longissimè iaculatur: cuius succo conficitur id medicamentum, quod medici elaterium uocant. Cæterùm cucumis Græcis sicyos dicitur: quod nomen etiam cucurbitæ, & ei instrumēto, quo sanguinem extrahimus,

(uentosam quidam nominant) commune est.

De cucurbitis autem hoc loco nihil est quod dicamus, etsi fructus sit esui commodissimus: satis enim dictum est de ijs in superioribus, ubi de pergulis egimus: applicatur enim cucurbita pergulis camerariis, potissimùm ea quæ fert fructum lagenulis simulem, quem quidam lagenulatum uocant.

Mala insana, Barbarus in Dioscoridis caput 79. libri quarti de mandragora, ea esse dicit quæ ab Italis melezana, à nostris poma Cupidinis uocantur, pommes d'amours: de quibus nihil à ueteribus scriptum fuisse udeo: sicut hercle multa quondam fuere quæ hodie uel ignorãtur, uel certè non habentur. Mala ergo insana à frutice uulgari sunt passim nascentæ, ut melones & cucurbitæ: pari quoque cultu, foliis propè ficulneis, flore oblongo, speciosо, candido. Manditur uulgò pomum ex oleo, sale, pipere, fungorum modo coctum. Hæc Barbarus. Huiusmodi autem poma uidimus in hortis Renati Belaij Cenomanẽsis episcopi, Cardinalis Paris. fratris. Sed & folia eius frutices nobis apparuerunt parte altera spinis horrida: atque adeò totus caudex, & maximè quæ cuppula uulgò uocatur, sub qua continetur fructus: flos autem pallidior nobis usus est, potius quàm albus.

Solet in hortis mandragora conseri ob pulchritudinem tum mali quod producit, tum etiam foliorum ac plantæ totius. Herba uulgò nomen retinet, maris & fœminæ differentia. hæc nigra est, angustioribus, quàm lactucæ foliis humi procumbentibus, hirsutis, fructu mespili amplitudine, in luteum languido, sorbi effigie, in quo semen seu pyri. Mas candidus est, foliis altis, latioribus, pomo duplo maiore: grauis odoris, alioqui non ingrati: in quo

ſemen cõtinetur, renis effigie per medium crenatum. radicem albam gerit, quam imperita uulgi multitudo, hominis effigiem repræſentare falſò credit. Id enim (inquit Ruellius) magorum cõmentum eſt, rem ſuam inſigni aliqua uanitate oſtentantium.

Conſeritur etiam in hortis frutex humi ſerpens, neque ſe altius attollens, ex quinquefoliorum genere fructum ferens eſui gratiſſimum, rubeſcentem, præſertim dum maturuit, nucis auellanæ magnitudine, qui à noſtris æſtate habetur in deliciis: editúrque interdum cum cremore lactis, aut uino, ſaccharo imbuto, uocantúrque fraga, des fraiſes, ſúntque omnibus nota. Virgilius,

Qui legitis flores, & humi naſcentia fraga.

Seruius grammaticus, neſcio tamen qua ratione, mora terreſtria appellat. Sunt autem quædam fraga, quæ à poetis montana uocitantur, quòd paſſim in ipſis montibus & ſyluis creſcere ſolent, ut ea à ipſis terreſtribus aut ſatiuis diſtinguerent. Quinetiam fragorum quoddam genus nobis uſum eſt tam odorum, ut nihil odoratius dici poſſit, éſtque is fructus paulò maior alijs fragis, quorum omnium, quemadmodum & rubi idæi, color duplex cõſpicitur: fraga enim ſunt quædã alba, quædã rubra, eiuſdem tamen utraque facultatis.

Corianon præterea, quod & Corion & Coriandrum dicitur, de la coriãdre, in hortis noſtris hodie cõſeri cœpit: folia habet ad radicem lata, quæ dum percreuerunt, ſunt fœniculo ſimilia: paulò tamen latiora, ac quodammodo flaueſcentia: florem album gerit, ueluti ex quadam umbella parum diuulſa, neque admodum cõacta prodeuntem. Cæterùm ipſa planta admodum fœtet, non ſecus atque illa quam cotylam fœtidam uulgò uocamus:

uerique tamen idem odor non est: semen autem cœto maceratum esu quamoptimum est, alioqui inter uenena à Dioscoride enumeratur, ut sua frigiditate mentem offendere dicatur. Sed & coriandri semen, saccharo conditum cum aniso, & aliis permultis, pharmacopolæ in suis tragematis reponere solent, & in bellariis à nobis editur.

Anisum autem, de l'anis, cuius meminit Plinius lib. 19. cap. 8. & lib. 20. cap. 17. quod & anicetum uocatur, quoniam anethi modo, inquit Barbarus, appetentiam ciborum præstet: planta fœniculo congeneri crescit, cuius prima folia latiora sunt aliis: quæ dum ipsa herba in caulem assurgit, semper minuuntur, semenque ad ipsius fœniculi saporem etiam accedit: dulcius tamen, quo utimur ad flatus uentriculi discutiendos, optimum autem in Syria & AEgypto nascitur.

Cinara, cardui satiui species, cuius summitate & uelluti fructu (quem Græci scolymon, Latini strobilum uocant, quòd sit ipse echinus uel capitulum nuci pineæ simile) in eduliis utimur: atque hunc quidem Hippocrates cœalum uocat: cui dictioni articulus Arabum subinde à quibusdam est additus, & alcœcalus dictus est: deinde uerò corrupto articulo, articœcalus, uulgò artichault. Tota autem planta, atque adeò totus ipse carduus à Columella cinara appellatur, fortassis ob id quòd dum seritur & excolitur, cineribus maximè gaudeat: aut enim ille lib. 11. cap. 3, Cinaræ sobolem melius per autumni æquinoctium disponemus, semen commodius circa Cal. Martij seremus, eiúsque plantam circa Cal. Nouembris deprimemus, & multo cinere stercorabimus. Quidam tamen malunt cinaram à Cinara puella dictam, quæ in eius speciei carduum mutata est.

Papauer, etsi in edulijs frequens usqueadeò non sit: tamen & quia in nostris hortis frequentissimus est, & quòd eius semine plurimùm in medicamentis utimur ad somnum conciliandum (unde soporiferum papauer à Virgilio dictum est) prætermittendum hoc mihi non uidetur ut de eo dicamus.

Papaueris igitur (quod Græci Mecon, uulgus uocat du pauot) quatuor genera à Galeno enumerantur: quæ quidem uel floris colore, uel folio deciduo, uel nasculis & semine inter se differunt. Papaueris autem satiui aliud album dicitur, quod & flore & semine deprehendi tale esse potest, eóque permultos uti uidimus in iusculis ad soporem concitandum. aliud uerò nigrum appellatur, éstque tale & semine & foliis & floribus: quæ quidem nigricantia apparent, cuius multus & præcipuus usus est in re medica. Est & aliud papauer, quod Dioscoridi & alijs cornutum siue corniculatum appellatur, florémque luteum gerit, cuius siliquæ in extremo ueluti colubri rictum præ se ferunt. Quarta papaueris species est, quæ passim in agris crescit, dum frumenta messem appetunt: dicturque papauer erraticum aut rhœas, uulgò du ponceau, ou du coquelicoq: folia & semen papaueris habet: cæterum rubra, & admodum decidua, siliquas etiã multò minores. Illud autem memoria tenendum est, omnia papauerum genera, singulis annis semine erumpere, non ex uetere radice: solum papauer corniculatum radicæ esse perpetua, ac semine & radicæ crescere. Sed iam æquum est ut ad puluinum radicarium descendamus.

PVLVINVS RADICARIVS.

Absoluta ea hortuli nostri parte, quæ semina & fru-

ctus herbarum, quibus uescimur, comprehendebat, superest tantùm ut de ijs disseramus, quarum radicibus aut crudis aut coctis quotidie in cibis utimur, ac primùm ab ipsa radicula incipiendum.

Radiculam Columella, Græci raphanum uel raphanida uocant, Itali uocem adhuc retinentes, vn rauanel: Galli vne raue appellauere. caule uno assurgit ferè arboreo, ut in ruta cernitur: quapropter hoc oleris genus dendrolachana Græci uocant, hoc est, ut uertit Gaza, oleriarborem, & quasi olus arboresæns. Cæterùm raphani radiæ cruda, minutim concisa, cum aqua & salis pauxillo hodie utimur ad prouocandam ciborum appetentiam & urinas prouocandas. Tantùm illud notandum est, radicum raphani alias esse dulces admodum, alias subacres, alias omnium acerrimas: quarum succo cum oxymeli, Galenus usus est ad uomitum excitandum. Aliam præterea raphanum agrestem posuit Dioscorides, quam Romanis Armoraciam appellari contendit, folia satiuæ simulia habentem, multóque magis lapsanæ. Crescit potissimum circa margines itinerum, & loca arenosa. Est insuper alia herba, quæ radiculæ quoque nomen apud Latinos retinuit, ab eius præcipua & utiliore parte, nequis fortasse nominum affinitate hallucinetur: eámque Græci struthion uocant, nonnulli lanariam herbam uocauere ab usu, quòd eius radix, quæ magna est, concisa, purgandis lanis admodum conferat. Plinius lib. 24. cap. 11, Spinosa est herba, caule lanuginoso, flore spectabili, sine odore, &c.

Rapum siue napum Latini, Græci gongylida siue gongylen appellant, uulgus uocat vn naueau, genus oleris in usu frequentissimum apud nos, præsertim in condiē-

diuiſaulis: ſunt enim napi ipſis rapis congeneres. Cæterùm utriuſque uariæ ſunt ſpecies, quas qui diligentius conſyderare uolet, requirat Theophraſtum libro 7. cap. 4, & Plinium lib. 18. cap. 13. Item de napo Buniade, Dioſcoridem, cap. 121. lib. 2.

Cæterùm (ne quis fallatur) rapum neutro genere apud authores tantùm inuenitur, non autem rapa fœminino. Nam quòd legitur in Plinio cap. 13. lib. 18, In tranſcurſu eas attigere noſtri: antiquus Budæi codex manu ſcriptus habet ea. Ac paulò pòſt, Quadrupedes & fronde eorum gaudent, non autem earum. Item, Homini non minor rapitiorum ſuis horis gratia, quàm cymarum. non autem rapaciorum, alioquin ſecum pugnaret Plinius, cùm ſtatim poſtea dicat, Flaccidorum quoque, & in horreis eneatorum. Ac paulò pòſt, Genera eorum Græci duo fecere, &c. Rapitia frondes ſunt raporum, quæ decoctæ in uſu erant etiam ipſis agricolis. Cato cap. 35, Rapinam & coles rapitij unde fiant. Rapina autem, locus eſt rapis conſeminatus. Columella, Nam & napinæ, itémque rapinæ ſicca neis locis per hos dies fiunt.

Taceo hoc loco, quòd cyclaminum ſiue tuber terræ, quem uulgus uocat panem porcinum, Latini etiam rapũ appellauere, ſiue terræ umbilicum: quia rapi ſimilitudinem præſe fert, ut rapum eſſe dixeris, niſi fructum uideas: folio eſt hæderaceo, purpureo, uario, caule glabro, quatuor digitorum magnitudine, flore purpureo: roſæ figura, radice nigricante, modicè lata, in medicinis commendatiſſimum. Eſt & aliud tuber terræ Latinis dictum, Gal. des truffles: *Græcis hydnon, ſiue, ut multis placet, œdnon, à tumore: in deliciis ſemper habitum. Naſcitur hoc ſine ulla radice, & folio, & flore, utrinque terra circun-*

datum, nullis fibris nixum, nec utique extuberante loco, aut rimam agente: siccis & sabulosis locis gignitur, præsertim autumno per tonitrua. Duplex tuberum genus, are nosum unum, dentibus inimicum: alterum synœrum, bonum, suauissimum, colore flauescente.

Rapunculus autem siue napunculus, uulgò responses, radicula est diutum lautiorúmque mensis petita, qua potissimum tempore quadragesimali utimur. Herba uerò ipsa, folia gerit angusta, in mucronem desinentia, cauliculos multilateros, florem cæruleum lychnidi herbæ similem, nisi quòd numerosiores fert rapunculus, apparéntque apud nos præsertim circa autumnum. Eam herbam quidam locustam, siue pedem locustæ appellauere, ab ipsius radicis similitudine: unde etiam existimauerunt Iohannis Baptistæ cibum in deserto fuisse: nam & locis incultis crescit: ueriſimile enim non est animalibus illis, quæ locustarum nomen habent, quenquam uesci posse. Neque uerò omnino alienum uidebitur, si etiam hoc dicamus, quandam esse herbam ueteribus incognitam, quæ uulgò scrofularia maior dicitur, radicæ propemodū similem ipsi rapunculo: gratissimi item saporis, & gustus iucundissimi: cæterum folia diuersa habentem, utpote uiolæ nigræ.

Pastinaca duplex: agrestis, quæ & daucus quibusdam appellatur (cùm tamẽ à dauco differat situ purpurei flosculi in medio umbellæ apparentis) uulgus autem nostrũ pastinacam agrestem uocat, des panais. radicem habet caro simulem, quam rustici pro panace usurpant, folia utrinque distincta per alas. Est & satiua quæ Columellæ lib. 9. cap. 4, edomita appellatur, quam (inquit) staphylinum Græci uocãt: éstque hæc hortensis & latifolia, ra-

diæ multò crassiore & iucundiore, quàm quæ erratica est, & à pharmacopolis Baucias appellatur: est enim tenui folio, & radiæ minore. Satiuam autem pastinacam uulgus uocat des pastenades: habétque folia utis & ficuum stellatim disposita, florem luteum.

Panacis autem genera multa sunt tum apud Plinium, tum etiam apud alios authores, quæ quidem difficillime in nostrum usum reduci possunt. Est enim panax, quod heracleoticum dictum est, siue heraclium, quòd ab Hercule inuentum sit: éstque foliis asperis ad ficulnea tendētib⁹, herbacei coloris, in ambitu quinquepartito diuisis, caule ut ferulæ altissimo, qui lanugine quadam incanescit: flore luteo, semine odorato, radicibus multis ab una origine prodeuntibus, succo graueolente, qui scalpello abrasus, ac deinde in sole siccatus, à pharmacopolis opopanax appellatur: crescit autem potissimùm circa aquas.

Est & panax asclepium ab AEsculapio inuentore sic dictum, quo nomine unam ex suis filiabus appellauit. est autem folio maiore quàm fœniculus, caule leui, geniculato, &c. uidete Dioscoridem. Aliud est præterea panacis genus, quod chironium dicitur, à Chirone centauro medico inuentum. éstque folio amaraci, flore aureo, radiæ parua, breui & odorata. Quinetiam ea herba quæ Dioscoridi Ligusticum appellatur, quòd in Apennino Ligustico crescat circa Genuam, panacis species esse creditur: est enim huic simillima: atque ob id ab indigenis panax appellatur: radiæ autem & caule heracleotico panaci simile est, caule tenui, geniculato: foliis sertulæ Campanæ, quæ Græcis melilotos dicitur, du melilot: mollioribus tamen, & odorantibus circa umbellam, in qua semen est longum, durum, amarum, secundæ speciei Dauci conueniēs.

Quod autem pharmacopolæ corruptè leuisticum appellant, de la leueſſe, id ne credideris eſſe idem cum liguſtico Dioſcoridis, quod & Galenus Libyſticum appellat: id enim Ruellius noſter (uir incomparabili doctrina & eruditione præditus, & rei herbariæ omnium longè peritiſſimus) putat eſſe uerum Smyrnium Dioſcoridis: tota enim planta myrrham olet. Smyrnium autem uerum, Manardus, ſingulare quoddam noſtri temporis ornamentum, putat eſſe id quod uocamus petroſelinum Macedonicum, ut prius iam dictum eſt.

Sphondylion Græcis, Latinis rutinalis herba, quibuſdam uſa eſt eſſe panacis ſpecies, hodiéque uulgò uocatur panaiz ſauuage: tãtùm ob id, quòd folia panacis habeat. Gignitur in opacis ferè circa paluſtria.

Carus ſiue caros, ſiue carum cari, uulgò des carottes, radicem etiam nobis iucundiſſimam præbet, qualis eſt paſtinacæ: rubram tamen, interdum etiam coloris buxei, quæ cum aceto & oleo ac ſale editur acetarij uice, prius tamen cum uino cocta, aut inter cineres. Cæterùm umbellam etiam paſtinacæ ſimilem gerit.

Siſaron Græcis, Romanis ſiue Latinis (inquit Dioſcorides) Siſer, id eſſe putant omnes, quod nos uocamus des cheruitz, cuius radix elixa aut frixa, eſui nobis eſt gratiſſima, præſertim circa Quadrageſimæ tempus.

Cepa cepæ, ſiue cepæ ceparum, lachrymoſum olus, multiplex, ſed omnium uires eædem: tantùm enim ex nationibus diſcrimina ceparum petita ſunt: aliæ enim Sardiæ, Cnidiæ, Samothraciæ: aliæ Setanicæ fiſſiles, & Aſcaloniæ ab oppidis nominatæ: quæ uocabula Theophraſtus lib. 8. de plantarum hiſtoria, & Plinius lib. 20, latius tradoebunt. Sunt præterea aliæ dulces, aliæ acres: quædam

item albæ, & quædam rubentes. Sunt & cæpollæ ab antiquis appellatæ, cæpis quidem minores, quas uulgus nostrum appellat des oignonnettes, *quarum foliis ternis, interdum etiam quaternis tantùm uti solemus in acetariis, ad frigidorum olerum qualitatem emendandam. Sed & quæ paulò maiores sunt cæpæ, ferè sine capite, cæruicis tantùm lõgæ, ideóque in frondem luxuriantes, sæpiúsque retondentur, à Græcis gethri nomen acceperunt, quarum foliis & radiæ usus est in condimentis: puto à nostris appellatas* des ciuots ou des ciboules. *Marsicã enim simpliciẽ, quæ ab* Hermolao *describitur, habétq; radicem ampliorem & solam, atque ob id à rusticis, inquit, unio appellata est, sanè eam esse puto quam nostri, rusticam illã uocem imitantes, appellauerunt* oignon, *quasi unionem dicere uoluissent: quia singulari constet capite, nec pluribus coagmentetur bulbis. Cæterùm, quæ cæpæ sunt albæ & recentes, mitiores esse solent: quæ autem ueteres & flauæ, acriores.*

Allium item, quod Græci scorodon uocant, uulgus nostrum des aulx, *non contemnendum in ruris honore & hortorum disciplina locum meuenit: honestum enim ac gratum rusticæ plæbi obsonium: quapropter etiam à Columella inter hortorum delicias annumeratur libro* 11. *cap.* 3: *Vlpicum, inquit, quod quidam allium Punicum uocant, Græci autem aphroscorodon appellant, quòd opinor tritum in oleo & aceto, murum quantum increscat spuma: longè maioris est incrementi quàm allium: ídque circa* Calendas Octobris, *antèquàm deponatur, ex uno capite in plura diuidetur. habet enim uelut allium plures cohærentes spicas, eáque cùm sint diuisæ, liratim seri debent, ut in puluinis positæ, minus infestentur hyemis*

aquis. Hæc ille. Quibus uerbis, & quid sit ulpicum, & quid allium, cognoscas.

Cæterùm, caput allij antiqui (inquit Galenus) dætin nominabant, uulgus nostrum teste d'aulx. Allij autem comas cum capite solo, molyzam Hippocrates appellat. Allium syluestre, aulx sauuage, passim in pratis crescit, uocatúrque Græcis ophioscorodon, quasi serpentis allium. foliis est prælongis, teretibus, intus concauis, iuncæam speciem repræsentantibus, caule procero, leni, purpureos flores ostentante, fastigio tum colore, tum forma conspicuo, radice capitata, nucleis spicatim compactilibus intumescente, summo uertice capillamentis fibrato. Aliud haberi syluestre allium tradit Plinius, quod ursinum uocant, odore, molli capite, prætenui, foliis grandibus.

Scorodoprasum autem aliud est allium porracei generis, de quo prius in porro diximus: habitu enim porrum & allium refert atque æmulatur, & utrunque exprimit olus: inde & medias uires simul porri allij que naturam conflauit. allium porrinum uocant officinæ, mutuato ab utroque parente uocabulo. Atqui uarias alliorum differentias, ut enumerare difficile esset, ita certè nimis longum & prolixum, quàm institutum nostrum expostulat. Itaque qui hæc desyderabit, habeat in promptu necesse est Plinium, Dioscoridem, & Theophrastum.

Postremus diebus apud nos quorundam studiosorum diligentia, inuenta est herba, quæ quia confricata allium quadantenus redoleat, à Græcis scordion appellata est, à Latinis uerò trixago palustris, quòd locis palustribus potissimum crescat, hactenus quidem incognita. nam & pharmacopolæ huius loco aliam herbam & facultate & figura longè omnium diuersissimam usurparunt,

quæ Barbaro ſcorodotis appellatur: nihil enim habet ſcordio ſimile, præterquam quòd allium redolet. Scordion enim multò minus eſt, & folia chamædryos gerit, quæ uulgò uocatur, de la germandree.

Bulbus Græcis ſiue bolbus, cibus Veneris, irritamento potius quàm uitæ utilis: quo tamen ad prouocandam appetentiam utimur, unde uulgò nomen retinet, des appetitz. Latini Aſcalonitas uocant, quod etiam nomen uulgus retinuit, des eſchalottes. Martialis multis in locis ſalacès bulbos appellat, quod & ex illo epigrammate facilè coniicitur,

Cùm ſit anus coniunx, & ſint tibi mortua membra,
Nil aliud bulbis quàm ſatur eſſe potes.

Eſt etiam bulbus agreſtis, cuius flore ruſticæ mulierculæ in ſuis coronis utuntur, quem Græci Codion uocant. Syluestres autem, & ſponte natos bulbos, uulgus noſtrum uocat ſuo more oignons ſauuages. Quinetiam alius eſt bulbus, qui lanoſus dicitur, & in litore frequens: inter cuius primas tunicas, inquit Marcellus, & id quod manditur, tam uera lanæ eſt ſimilitudo, ut ex ea ueſtes confici poſſint. Rurſus alius eſt bulbus, uomitorius appellatus, ad differentiã bulbi cibarij: éſtque foliis nigris, radiæ allio ſimili, & uomitum ciet. Sunt & alia permulta bulborum genera ab eorum magnitudine, colore & figura petita: quæ qui diligentius cognoſcere uolet, requirat Theophraſti librum octauum de plantarum hiſtoria, & Plinium, apud quem Gallia Remenſis hoc nomine laudatur, quòd bulbis plurimùm abundet: ſponte enim illic naſcuntur & creſcunt.

Nobiliſſima bulborum ſcylla, quam uulgus, exemplo Varronis, ſquillam uocat, des ſquilles, medicamini præ-

cipuè nata, acetóque exacuendo: quod ob id squillitium seplasiarij uocant. Duo scyllæ genera: masculus, albis foliis: fœmina, nigris. Tertium genus est cibis gratum, & esu tenerum. Epimenidia scylla uocatur, ab usu nomen sortita, angustiore folio ac minus aspero, seminis plurimũ. genus unum scyllæ, aut bulbum eius omnem, ab Hippocratæ schænum uocari Galenus est author.

Pancration, pusillam scyllam aliqui uocare malunt. Ea est radiæ bulbi magni, colore ruffo purpuraſcente ue: gustu amaro, qui os accendat: foliis lilij, uerùm longioribus. Sunt qui nostris Gallis propriè loquentibus existiment appellari sciboule, quasi pusillam scyllam, sed imperitum uulgus, hoc nomen cepis communicauit.

Id genus bulbi, quod in hortis coma copiosiore uiret, nucleis gracilioribus, uulgus nostrum uocat des porrettes, aut des oignonnettes, à porri uel unionis tum sapore, tum forma: eadem quoque grandioris formæ bulbos donarunt appellatione: radiæ seritur bulbus hortensis. nam semine, partim primo, partim altero prouenit anno.

Bulbina, foliis est porraceis, flore uiolæ purpureo, siue ferrugineo in spicis, nigro semine foris: rubicundo radicis bulbo, squamis carentæ. Mauriæ buberigim cognominant herbarij, quam bulbis croci repræsentant, foliis porri, floribus uiolæ: addúntque esse hermodactylorum speciem.

Asphodelus, quæ & hastula regia & albucus dicitur (uulgus pharmacopolarum corrupto nomine uocat aphrodilorum) inter bulbos à Plinio connumeratur libro 22. cap. 22. Est autem folio porraceo, radiæ bulbosa & multiplici, ut interdum ad triginta bulbos producatur, magnitudine, figura & sapore scyllæ radici similis, quæ esui erat antiquis cum ficubus, uel cocta inter cineres.

Seritur præterea in hortis, radicis nomine, ea herba quæ Græcis helenium (uel quòd ex lachrymis Helenæ nata sit, uel quòd ab Heleno Troiano inuenta) uulgò autem enula campana, Columellæ inula appellatur. Eius autē foliū est latissimum, ad symphyti foliū accedens, de quo prius à nobis dictum est: sed est albicans, & partē altera lanuginosum: florem gerit lutеum, radicem crassam, & amaram odoris optimi: quæ cum melle aut saccharo condita, aduersus aeris pestilentis noxam plurimū ualere dicitur: quo nomine etiam cruda à multis tempore pestis manditur, & in hortis eius rei gratia conseritur.

Alterum genus helenij affert Dioscorides ex Cratæia herbario, ramulis cubitali magnitudine, serpilli modo per terram repentibus, folio lenticulæ, sed longiore & crebro, radice pallida, digiti crassitudine, cortice nigro.

Atque hæc erit quartæ hortuli nostri areæ clausula: à qua dum recedimus, totam rei hortensis rationem breuiori, quàm fieri à nobis potuit, stylo, studiosis iuuenibus relinquimus. non enim iis hæc scripsimus, qui in re herbaria adeò sunt exercitati, ut tum Græcos, tum etiam Latinos authores omnes, qui de hac re diligentius scripserunt, facillimè teneant. Quapropter etiam medicas herbas, hoc est, quæ medicis solis sunt cognitæ: præterea quæ nostræ regioni familiares non sunt, omisimus. Tantùm eas descripsimus, quas mediocritas nostra aut adsequi per se quidem potuit, aut amicorum diligentia cognoscere. Veniendum ad ea quæ polliciti sumus de cultu & satione hortorum, ex quibus facilius ueriora cognoscatis. Parum enim est, quicquid in horto poni ac seri debet cognouisse, nisi positionis & soli rationem perspectam habeatis.

DE

DE CVLTV ET SATIONE HORTORVM LIBELLVS, EX ANTIQVORVM AGRICOLARVM SENTENTIA PRAECIPVÈ COLLECTVS.

ABSOLVIMVS *tandem id omne quod ad frutiœs & herbas in hortis cõseri solitas pertinere uidebatur, omnémque, qua instrui debeat, aut etiam possit hortulus, materiem adolescentulis nostris proposuimus. Superest, ut qua ratione disponi soleat ea materies, quóque pacto & excolere & fodere hortos deœat, facilè ac breuiter doœamus ex antiquorum agricolarum sententia atque authoritate. Frustrà enim quis cognouerit quicquid in hortis succrescere soleat, nisi etiam hortum excolere, & plantas suis locis disponere, atq; eas fouere sciat. quemadmodum frustrà literas, & dictionum significationes teneat, qui non idem intelligat qua ratione ex literis dictiones, & ex iis oratio perfecta cõponi ac cõstrui debeat.*

Itaque dicamus primùm de positione hortorum in uilla aut suburbiis, aut etiam ipsa urbe: deinde uerò, quod solum eligere, quo pacto id munire ac sepire & fodere oporteat: postea quomodo areæ & interualla ac puluini faciendi, & quid in his secundum anni tempora seri, quo pacto hortum excolere deœat, ut tandem ad remedia deueniamus eorum uel animaliũ, uel tempestatum, quæ noœre, & incommodum hortis adferre solent.

HORTI POSITIO AC SITVS.

Sub urbe cõlere hortos expedit (inquit Varro) sicut uio-

laria & rosaria: item alia multa quæ urbs recipit, cùm eadem in longinquo prædio, ubi non sit quò deferri possit uenale, non expedit colere. Cato quoque plurimùm laudat fundum suburbanum, in quo & arbusta ad uites, & salicta locis aquosis, uietis, ac prope amnes serantur: & prata sunt irrigua: seminaria quoque loco quamoptimo & apertissimo ac stercoratissimo ponantur, in quibus suum quodque fructus genus conseri oporteat. Summittito (inquit) sub urbe hortorum omne genus, coronamenta omne genus, bulbos Megaricos, myrtum coniugalem, & alia id genus facito ut serantur. Cæterùm hortus præsertim olitorius irriguus esse debet propter fœcunditatem.

Quòd autem ad eius situm attinet: Fœlix horti positio est (inquit Palladius) cui leuiter inclinata planities, cursus aquæ fluentis per spatia discreta deriuat, neque uerò usqueadeò magnus esse debet. fœcundior enim est culta exiguitas, quàm magnitudo neglecta.

Fontem in horto esse oportet, nisi riuulo fluenti irrigetur, aut amni admodum uicinus sit: aqua enim alimentum herbis præbet. si fons desit, imprimendus est puteus: quanquam multo labori sit olitoribus aquam inde haurientibus: necesse est enim ut crebrò irrigetur hortus, eóque fit (inquit Plinius) ut satum quamœlerrime erumpat, & latissime adolescat. Sed ut certam perennitatis puteus habeat fidē (inquit Columella) tum demum effodiēdus est, cùm sol ultimas partes Virginis obtinebit, id est mense Septembri, ante æquinoctium autumnale. Siquidē tunc maximè explorantur uires fontium, cùm ex longa siccitate æstatis, terra caret humore pluuiali. Si nequeas puteum imprimere, piscina iuxta Palladij sententiā subtus construenda est (cisternam nostri uocant) ut illinc

aquas pluuia conferente, hortus per æstuos rigetur ardores. Si uerò hac omni facultate caruueris, semper altius tribus uel quatuor pedibus ad pastini similitudinem fodies hortulum, qui sic cultus, negligat siccitates.

In fundo suburbano, horti & pomaria domui proxima esse debebunt, sitq; hortus sterquilinio maximè subiectus, cuius succo sponte fœcundet: ab area longè situs sit. nam puluerem palearium fert inimicum, siquando per trituram uentus possit paleas aut puluerem in hortum perferre quæ oleribus nocent.

Quòd autem ad cæli clementiam & loci salubritatem attinet, frigidis prouinciis, orienti, aut meridiano lateri hortus esse debet oppositus, præsertim si talis est qui & arbusta & seminaria contineat: ne alicuius maximi montis obiectu, his duabus partibus exclusus, algore rigescat, aut per partem septentrionis remoto, aut occidentis in uesperam sole dilato. Si poteris (ait Cato) hortus sub radice montis siet, in meridiem spectet loco salubri. In calidis uerò prouinciis, pars potius septentrionis optanda est, quæ & utilitati & uoluptati & saluti æqua bonitate respondeat. Palus omni modo uitanda est, præcipuè quæ ab austro uel occidente est, & siccari consueuit æstate. pestilentiam enim uel animalia hortis inimica generat.

Considerandа est præterea fluuij natura, cui proximus erit hortus, an plerunque aliquid exhalare soleat, quod sit & nobis & plantis inimicum: peculiare enim est id permultis fluuiis. Itaque hoc si acciderit, ab ea positione erit abstinendum.

SOLI BONITATIS ET PRAESTANTIAE ELECTIO AC CONSYDERATIO.

Plurimùm attendendum est ultra ea, quæ superius enumerata sunt, etiam ad soli naturam & bonitatem, siquando frugalem ac luxuriosum & fœcundum hortum expostulemus. Non enim quodlibet solum herbis hortensibus amicum esse solet. Itaque glebam acceptam consyderabis hoc modo ex antiquorum agricolarum sententia, ne alba & nuda sit, ne macra sabulo, sine admistione terreni: ne creta sola, ne arenæ squalentes, ne ieiuna glarea, ne auro si pulueris lapidosa macies, ne salsa uel amara, uel uliginosa terra sit: ea sunt enim soli uitia. Probabis autẽ glebam putrem ferè nigram, & ad tegendam se graminis sui cratæ sufficientem, ac mixti coloris: quæ si rara sit, tamen pinguis soli adiunctione glutinetur. Pingue uerò solum agnoscæs, si glebam paruulam dulci aqua conspserseris & subegeris: nam si glutinosa est, & digitis adhæret, constat illi messe pinguedinem. Dulcis etiam esse debet: quod facilè explorabis ipso gustu, si ex ea parte agri, quæ magis displicet, glebam fictili uase, dulci aqua madefactam, intincto digito, & linguæ admoto, saporis iudicio, qualis sit cognoscas.

In summa, omnino eligendus est ager pinguis ac resolutus, qui minimũ laborẽ poscat, & fructum maximũ reddat. Deterrimum omnium est solum, quod siccum erit simul & spissum & macrum uel frigidum. In genere soli, uitanda est creta, quam argillam dicimus, atque rubricæ. Laudat id solum Varro, quod benignum cùm sit, producit ebulos. Id laudat Columella, quod ultrò alit ul-

mos,& ſylueſtri palmite lætetur,ſiue unedines,quæ pruna ſunt agreſtia,& mala ſylueſtria ſpõtæ ferat: ita enim ſolum probatur,etiam ab ijs quæ producit:ſed ex neceſſitate tamen mixta ſtercore quælibet terra conuenire poteſt.

QVOMODO VARIE CLAVDENDVS HORTVS.

Vbi ſolum horto fodiendo idoneum elegeris,tum id eleganter circunſcriptum, & undique terminatum communiendum erit, antequam colas, aut aliquid in eo ſeras: debent enim horti eſſe clauſi priuſquam conſerantur. Sed munitionis multa ſunt genera, quemadmodum iam ſuprà docuimus,cùm eſſet nobis de hac re ſermo.

Naturale ſepimentum dicitur Varroni, quod obſeri ſolet uirgultis aut ſpinis, habétque radices uiuæ ſepis: ac uiatoris prætereuntis laſciui non metuet facem ardentem.

Sepimentum agreſte uocatur, quod ex agreſti ligno fiat,ſed non uiuit: ſtructilem ſepem uocat Columella uel ſepem uirgeã: uulgus noſtrum haye ſeiche. Fiebat apud antiquos palis ſtatutis crebris ac uirgultis implicatis,aut latis perforatis,& per ea foramina traiectis longuriis ferè binis,aut ternis,aut ex arboribus truncis demiſſis,& in terram deinceps conſtitutis.

Sepimentum militare dictum, quòd eo genere milites ſua caſtra tueri ſoleant. fit autem ſecundum uias publicas, aut ſecundum amnes, ne periculum ſit animalium aut latronum,aut ne flumen agris noceat. Ita uerò fiebat apud antiquos: Foſſa idonea ſic fodiebatur circa hortum uel agrum, ut omnem aquam pluuialem recipere

posset: fastigiúmque habebat, ut aqua è fundo exiliret. Agger intrinsecus fiebat iunctus fossæ, ita aridus, ut eum transcendere non esset facile. Aggeres quidam faciebant sine fossa, eósque, muros uocabant.

Fabrile sepimentum uocabant antiqui, quod macériis fiebat, sed pluribus modis. Aut enim fiebat luto & lapide eleganter cõstructo, præsertim ijs locis, quibus uicinæ sunt lapidicinæ: aut ab ijs, quibus cõpia suppetit. Fiebat & è latéribus cõctis, aut crudis, aut terra & lapillis compositis in formis, atque ita parietes figuratos imitabantur.

Omnium utilior sepes (præsertim in agris) & minorem impensam desyderans, est ea quæ uepribus fit, spinis cõsitis: diuturnior enim immensis temporibus permanet. quapropter ab antiquis plurimùm commendabatur, quia hunc ueprem manifestum est interimi non posse, nisi radicitus effodere uelis: atque etiam post ignis iniuriam melius renascitur. Fiebat autem hoc pacto: Semina rubi, paliuri & spinæ, quæ rub⁹ caninus uocatur, natura colligebant: misebant cum farina erui, ex aqua macerata: dehinc funes sparteos ueteres hoc genere mistionis sic inducebant, ut intra funes semina recepta seruarentur usque ad uerni temporis initia. Locum in quo sepes futura erat, duobus sulcis circunuallabant, tribus à se pedibus separatis, sesquipedis altitudine, idque æquinoctio autumnali, ubi terra imbribus maduerat. factos sulcos perhyemare sinebant, postea Februario mense, per utrosque sulcos, funes cum seminibus obruebant leui terra. Itaque trigesima die procedebant sentes, quos teneris adminiculis adiuuabant, quibus inter se sentes per spatia uacua relicta iungerentur.

Alij sepem uiuam sic fãciunt: Sambucos humiles plan-

tant ſpatio trientali: inde ſemina ruborum oblongis inſerta paſtillis, ordinatim deponunt: ſepem triennio faciũt, & furi & pecori inuiam. Poſt trimatum, gaudent rubi ſingulis annis aduri: aduſtione enim duriores aſperioréſque erumpunt. Atque ea demum eſt claudendorum hortorum uniuerſa ratio.

HORTI FOSSIO, ET AREARVM DISPOSITIO.

Quando & autumno & uere plurima in horto ſerũtur, ob id partes horti, quas autumno conſerere uoles, debes ad hyemem conuertere: quæ autem ſpatia uere conſerere uoles, ut per æſtatem fructus reddant, ea ad Septentrionem erunt conuertenda. Sed & ſolum, quod autumno inſtituere tentabis, menſe Maio conuertere oportet, ut æſtiuo ſole & gleba ſoluatur, & radices herbarum inurantur. Ager autem quem uere conſeri oportet, is paſtinandus eſt autumno circa Calendas Nouembris: & poſt autumnum patieris effoſſum iacêre brumæ frigoribus & pruinis inurendum. quemadmodum enim calor æſtatis, ita uis frigoris terram concoquit, fermentatámque ſoluit. Peracta bruma, tum demum ſtercus iniicitur. Cúmque ſationis appropinquabit tempus, dilapidandus & exherbandus erit locus: iterúmque ſtercorandus, & rurſus poſtea reſodiendus: diligentíque foſſione ita iterandus, ut ſimo terra commiſceatur. Optimum autem ſtercus ad hunc uſum aſini, quia minimum herbarum creat: proximum, uel armenti, uel ouium. nam quod homines faciunt, quáuis habeatur excellẽtiſſimum, non tamen neceſſe eſt adhibere, niſi aut nudæ glareæ, aut ſine ullo robore ſolutiſſi-

mæ sint arenæ, cùm maior scilicet alimenti uis desyderatur.

Post refossionem, circa Idus Ianuarias, hortus pergulis instruitur, antequam areæ disponãtur: eas siue rectas, siue inflexas, & cameratas facere uoles, tibi licebit. Iuniperino ligno si componantur, decennio nihil attingendum erit: si salicis perticis, triennio nouam operam desyderabũt. circa pergulas qui rosaria cõserere uolet, Februario id faciat oportet.

Rosaria autem seruntur sulco breuissimo: aut scrobibus ponenda sunt, uel urgultis, uel etiam semine. Semina rosarum (inquit Palladius) non putemus esse medios flosculos aurei coloris, sed baccas, quas in breuissimi pyri similitudinem, plenas seminibus post uindemiam reddunt maturas: quarum tamen maturitas ex fusco colore & mollitie poterit æstimari. Eo pacto facies si iasminon aut libanotida, aut granata conserere uoles, nisi malis pergulas utilibus honestiores reddere.

Cõpositis in ambitum hortuli pergulis, refossa humus in areas diuiditur, relicto foras cospatio, quod ambulationibus aut sphæristeriis destinare uolemus: quæ spatia sabulo tenuissimo conspergenda erunt, ne per pluuias aut imbres solum pedibus hæreat. Sic autem postea informandæ erunt areæ ad libellam, ut facile runcantium manus ad dimidiam partem latitudinis earum perueniant: ne qui persequuntur herbas, semina proculcare cogantur, sed potius per semitas ingrediantur, & alterna uicæ dimidias areas erũcent. Areæ (inquit Palladius) faciendæ sunt angustiores & longæ: id est, duodecim pedum longitudine, & sex latitudine, ut sint propter spatia utrinque purganda diuisæ. Margines uerò earũ locis humidis uel irri-

guis duobus pedibus erigantur: siccis uno extulisse sufficiet.

Spatia inter areas facienda erunt, per quæ humor locis irriguis effluat: ea ipsis areis altiora esse debebunt, ut facilius ingrediatur areã de superiore parte humor admissus: & ubi sitientem saturauerit, in alias possit exclusus auerti.

DE SEMINVM NATVRA ET ELECTIONE, ALIQVOT PRAECEPTA ANTIQVORVM.

Hortus (inquit Palladius) qui cælo clementi subiacet, & fontano humore percurritur, propè est ut liber sit, & nullam serendi disciplinam requirat.

Frigidis locis autumnalis satio cælerior fiat, uerna uerò tardior.

Calidis regionibus, autumnalis satio serior fieri potest, uerna autem maturior.

Quæcunque serenda sunt, cùm luna crescit, seminentur: quæ autem secanda sunt, uel legenda, cùm luna minuitur.

Omnia quæ seruntur, diebus tepidis melius, quàm siccis aut frigidis serũtur: nã tepor euocat, frigus includit.

Si necessitas coget in salsa terra aliquid plantari aut seminari, extremo autumno plantandum est, uel cõserẽdum, ut malitia soli hybernis imbribus eluatur. Aliquid etiam terræ dulcis uel arenæ fluuiatilis subijciendum est, si illi uirgulta committimus.

Semina, plusquam annicula esse non debent, ne uetustate corrupta non prodeant.

Trimestris satio, locis frigidis & niuosis conuenit, ubi qualitas æstatis humecta est, cæteris raro respondet euentu.

Semen trimestre, locis tepidis melius respondebit, si seratur autumno.

Genera omnium frugum, seminum, uel suraulorum præclara serere potes, sed terris tuis experta commutte. in nouo enim genere seminum, non est spes tota ponenda.

Locis humidis semina citius quàm siccis degenerant: quare subinde succurrat electio.

Quæ florent, tangenda non sunt.

Omnia legumina Græcis authoribus seri iubentur in sicca terra: faba tantummodo in humida debet spargi.

Semina fauente cælo sata maturius prodeunt: tepentibus locis & apricis, aut illustratis, citissime prorũpunt.

Recentiora semina, maturius gignũtur, in porro, gethyo, cucumere, cucurbita.

Vetera semina, cælerius proueniunt in, apio, beta, nasturtio, cunila, origano, coriandro.

Calidis credita locis semina, cælerius caules creant, semen ocyus reddunt.

Omnium cælerrime nascuntur semina ocymi, bliti, napi, erucæ: tertio enim die erumpunt, omnium difficillime apium.

DE SATIONVM TEMPORIBVS, SEMINVM CVLTVRA, ET VARIA COMMITTENDARVM HORTIS HERBARVM RATIONE.

Serendi tempora licet per menses certa designent an-

tiqui agricolæ, tamen ſecundum loci & cæli naturam, unuſquiſque ea apud ſe poteſt cuſtodire, modò id perpẽdat quod mox docebimus, quædam eſſe quæ cælerius, quædam quæ tardius proueniant.

Nullam aliam operam aut curam poſt ſationem deſyderant hortenſes herbæ, præter ſarculationem, runcationem, exherbationem, & rigationem. Sarculationem uocant, quam uulgus noſtrum dicit ſarcler. nam etiam ſarculum appellant vn ſarclet. Ea ſarculatio fit, tum ad dilapidandum ſolum adhuc ſuccreſcentibus ſeminibus, tum ad herbas noxias eadem opera conterendas. Runcationem uocat uulgus noſtrum tondre. nam runcam nominat vne ſarpe. Exherbatio, manu fit: atque obid à ſarculatione differt. uulgus uocat eſmonder. Rigatio autem locis ſiccis, tepida potiſſimum aqua fieri debet, ut quæ putcolis mane extracta ſit, ad ſerentium tempus reſeruetur in alueo, idque ſub dio, ut à ſole aliquantulum concoquatur. Frigida aqua, ſalſa, omnibus plantis inimiciſſima eſt.

Semina quæ tantùm autumno ſeri debent, ut per totã hyemem in terra durent & macerentur, ſunt, allium, cæpæ, capitula, ulpicum, ſinapis.

Quæ ſemina, pro arbitrio, uel autumno, uel uere ſeri poſſunt ad uſum noſtrum in aere clementi, & terra fœcunda, ſunt, braſſicæ, lactucæ, cinaræ, erucæ, naſturtij, coriandri, chærephylli, anethi, paſtinacæ, ciceris, papaueris. Nunc ad ſingularum, quæ in hortis ſeruntur, herbarum naturam & uariam culturam.

Lactuca toto anno ſeritur ac tranſfertur, ſi locus eſt latus, ſtercoratus & irriguus: ſemine adhuc tenella cùm emergit, diebus tepidis pangi debet, & rarior poni, ut in

latitudinem magis se fundat. Ne durescat, sæpius poni debet: eo enim pacto teneritudinem consequutur. Candidã fieri aiunt, si fluminis uel litoris arena frequenter per medium conspergatur. Capitata fiet, si sæpius pangatur, & frequenter attondeatur leuibus digitis.

Intybi & cichorij eadem ratio est, nisi quòd intybum magis hyemem sustinet: ideoque uel frigidis regionibus, proximo autumno seri potest. fit album, si consperſum prius per aliquot dies fuerit, & imbribus super arena irrigatum: amat humores & terram solutam. quum quatuor folia produxerit, ademptum transfertur ad locum stercoratum. Sunt qui eius radices fimo tingant.

Blitum & spinatia nullum solum, modò cultum fuerit, respuunt: ea autem olera neque runcari, neque sarculari flagitant. Cùm semel satum comprehenderint, per multa sæcula caduco semine reuiuiscunt.

Atriplex ab exitu ueris ad autumnum seri potest: amat plurimo humore satiari. Semen statim atque sparsum est, obrui debet. Interiacentes herbulæ, subinde radicitus eruẽdæ. Transferri non postulat: melius tamen inolescet, si rariore spatio pangatur.

Beta potest æstate tota seri: agrum amat putrem, lætũ, humidum: transfertur: frequenti gaudet effossu, largóque cupit stercore satiari.

Brassica toto potest anno, solo credi: terram amat pinguem & subactam: argillam & glaream timet: sabulonem & arenas odit, stercore gaudet, & sarculatu proficit: uastior euadet, si terra continenter operiatur: frigidas & pluuiosas regiones amat.

Nasturtium, si cum lactuca seratur, egregiè prouenit, humorem diligit, fimum aspernatur.

Apium locis calidis & frigidis melius prouenit, mangonio cultum, & diligentia mansuescit. magnum fit, si semen, quãtum tribus digitis capi potest, linteolo clausum, scrobiculis mergatur. Crispum fiet, si tundantur semina, uel super euanescentes arenas pondus scala uolutentur, aut pedibus enata proculcentur.

Asparagi panguntur solo humido, subactóque, scrobiculis ad lineam directis, quibus bina ternáue grana, semipedis spatio discreta mergantur, quousque coeuntibus radix cõnexa, & multis irretita capillamentis coalescit, quæ uocatur spongia. Asparagus qui primò profertur, confringi debet, ne imualida adhuc radix moueatur: biennii morã habet spongiola asparagi, éstque fimo & runcatione continua nutrienda: nam quod primo anno producitur, id graminis speciem referre uidetur.

Malua pingui solo lætatur, humidóq; lætamine gaudet. Transfertur, quũ folia quatuor habere cœpit: ea enim antiqui in acetariis & iusculis uice olerum utebantur.

Serpillũ plantulis & semine prouenit: uerũ lætius frõdebit, si iuxta piscinã, lacũ, uel putei margines deponatur

Smyrnium, pastinato solo, semine debet conseri, maximè iuxta maceriam: quoniã & umbra gaudet, & qualicunque conualescit loco.

Fœniculum primo uere seritur, loco apricò & modicè saxoso.

Anisum & cuminũ locis lætioribus melius seritur & enascatur: item & cæteris, si humore satietur & stercore.

Coriandrum amat terrã pinguem, quanquam & macrum solum nõ aspernetur. Semen quò fuerit antiquius, modò uetustate non exactum, eò melius reputatur: delectatur humore.

Sinapis terram diligit aratam, & ſi fieri poteſt, aggeſtitiã: nullum tamen ſolum recuſat: puluere fouetur: quapropter ſarculari debet, ut eo ſubinde reſpergatur: uliginem non reſpuit. Semen quod eſui parabis, robuſtius plãtæ tranſlatu reddes.

Chærephyllum, agrum lætum, humidum, & ſtercoratum deſyderat.

Capparis, ieiuno ſolo & gracili gaudet, æſtate floret, herbas in uicinia ſpontæ perſequitur. Sub occaſu Vergiliarum exareſcit.

Anethum tepidiore ſolo gaudet: rigetur, ſi imber non irroret: rarius ſeri lætatur.

Ruta ſeritur locis apricis, ſolius cineris reſperſione contenta: loca deſyderat altiora, quibus humor elabatur.

Satureia & hyſſopus pingui agro gaudent, non ſtercorato, ſed apricо.

Mentha & origanum plantis uel radicibus ſeruntur, loco humido, uel circa aquas: apricum ſolum nec pingue, nec ſtercoratum deſyderant.

Thymum melius prouenit plantis, quàm ſemine: agrũ diligit apricum, maritimum, macrum.

Origanum amat aſpera & ſaxoſa loca: ſtercorari tamen & rigari appetit, donec conualeſcat. Eandem culturam appetit petroſelinum.

Violas qui facturus eſt, terram ſtercoratam & repaſtinatam minimum altè pedem, in puluinos redigat: atque in plantas hornotinas (ait Columella) ſcrobiculis pedalibus factis, ante Calendas Martias diſpoſitas habeat. Semen autem uiolæ (ſicut olerum) in areis, duobus temporibus ſeritur, uere & autumno. Colitur autem eo modo, quo & cætera olera, ut runcetur, ut ſarriatur, ut im-

terdum etiam rigetur.

Rosam fruticibus ac surculis disponi per surculos pedales conuenit per idem tempus quo & uiola. Sed omnibus annis fodi antæ Calendas Martias, & interputari oportet: hoc modo culta multis annis perennat.

Vettonica altilis, quem oœllum à pulchritudine nostri uocant, aut caryophyllon Itali, semine rarius seritur: sed meunte autumno, sobolem à radiœ copiosam eruere debes, & patulis fictilibus aut turbinibus cadorum pangere, in terra fimo putri saturata: ut cùm hyemis geliadia premunt, recondatur sub tecta, locis à frigoribus tutis. Propagatur æstate, surculis minutis, è maiori planta desumptis circa eius pedem, cùm nondum calyces emisit: atque ita integram aream ex una planta si uoles efficies. Sunt qui caryophyllon tritum pediculo admoueant circa radiœm, ut id redoleant uettonicæ flores: alij frequenti depositione latiores flores & elegantiores prouenire tradunt, à loco in quo tales proueniunt, cognomen accipientes, nempe à prouincia (quo nomine Galliam Narbonensem appellant) prouincialem Vettonicam dicunt, oeillet de Prouence. ut distingant huiusmodi flores ab aliis non ita uastis aut odoratis, neque tanta cultura expolitis, quos rosetas uocant, oeillets de rosette.

Petilius flos, quem uocant nostri oœllum Indicum, seritur media æstate, ut autumno arboreſcat, & flores producat usque ad hyemem. Semine seritur & surculo, sed surculus per hyemem perit, quantumuis bene custodiatur. nullum solum respuit, pinguem tamen si nactus fuerit terram, in magnam altitudinem crescit, ut syluescere uideatur, & in multos ramos arboris aut fruticis modo attolli.

Ocymum citius nasci proditur, si statim ubi satũ est, aqua calida perfundas. Rem miram de ocymo narrant, quòd modò candidos flores, modò roseos pariat: si ex eodem semine frequenter seratur, modóque in serpillum: si solibus exponatur, modò in sisymbrium degenerabit.

Papauer locis siccis & calidis, quemadmodum & olera, seminatur. Fertur utilius erumpere, ubi uirgæ & sarmenta fuerint combusta. Cæterum papauer & anethum eandem habent conditionem sationis, quam chærephyllum & atraphaxis.

Napi gaudent riguis, solo putri & soluto: quanuis deuexo & sabuloso, gratiores cibis nascantur. Circiter Augustum, & post pluuias debent semina deponi. Simulem habent culturam raphanus & quæ rapa dicuntur.

Porrum uerno tempore satum autumno transferri debet, ut capitæ grandescat. Sarculis circunfoditur assiduè: & comprehensa porri planta, ueluti forcipibus alleuatur, ut manitas spatij, quæ radicibus subest, incremento capitis suppleatur. Sectiuo porro Nero Cæsar authoritatem dedit, quo singulis diebus cum oleo ad uocem conseruandam utebatur. Id si uolueris rectè facere, eodem more quo capitatum inter quaternos digitos depangas, & cùm conualuerit, deseces. In eo autem porro, quod magni capitis facere uoles, seruandum erit, ut antequam porrum ipsum trãslatum deponas, omnes radiculas amputes, & fibrarum summas partes intondeas.

Cepæ feracem terram desyderant, pinguem, uehementer subactam, stercoratam, irriguam. Rarius ponendæ, stercorandæ & saraulandæ. Si capitatas cepas facere uoles, folia omnia sunt detrahenda, ut succus ad inferiora cogatur. ubi caulem cœperint excitare, fulciãtur adminiculis,

ne

ne uentorum afflatu, languidæ æruicæs deturbentur, seminaque uentilatu crebro decutiantur. Maturitatis præferunt initia, cùm nigricant. Vellendi sunt thalli semsici, & in sole siccandi.

Allia liratim seri debent, ut in puluinis posita, minus infestentur hyemis aquis. Itaque aream in sulcos digeres, quales fieri solent locis campestribus ad utandam uliginem: sarculatu sollicitata putrescunt. Si capitata fieri uoles, ubi cœperit caulis prodire, proculcabis, atque ita succus reuertetur ad spicas.

Vlpicum autem, quod quidam allium punicum uocãt, (Græci aphroscorodon appellant) lõgè maioris est incrementi, quàm allium: ídque (inquit Columella) circa Calendas Octobris, antequam deponatur, ex uno capite in plura diuidetur.

Melones & peponum omnia genera, puluinis factis & subactis deponantur. Rarius serendi, ut distent inter se semina pedibus duobus. Sæpissime irrigentur, nisi proximam à riuulo profluente aut uicino irrigationem accipiant. Odorati nascentur, si eorum semina multis diebus inter rosæ folia sicca mergantur. Si suaues effici uoles, eorum semina lacte per triduum maceranda sunt, & siccata ponenda.

Cucumeres etiam in puluinis seruntur, sulcis altitudine sesquipedali, & trium pedum latitudine depressis: inter quos octo pedum spatia relinquantur, ubi possint liberius euagari. dulces fient, si semina ouillo lacte & mulso maduerint. prælongi prouenient, si aquam patenti nasculo duobus palmis inferiorem subijcias: ad eam siquidem confestim prorepent: quare magis in longitudinẽ crescentes effundentur.

Cucurbita solum pingue diligit, humidum, stercoratúmque. Hoc uerò in cucurbitis insigne notatur (inquit Ruellius) quòd longas pariunt & exiles quæ in earum æruicæ leguntur semina. Quæ aluo latuerant, cucurbitas creant crassiores: quæ in fundo uentris, latas: si in uniuersis seminibus obruantur, ubi cœperunt adolescere, iuuantur adminiculis. Quæ sationi dicãtur, usque ad hyemem in sua uite dependeant, deinde sublatæ in sole aut fumo seruentur, alioqui semina marcore putri confecta tabescunt.

Carduus satiuus, quem articocalum uocant, terram stercoratam diligit. melius prouenit, si crescente luna, solo mandentur semina, spatio semipedis discreta. Si tamen in solido pangantur, inuersa ne defigantur semina: alioqui pumulos debiles & mauruos creabunt: nec altius debent imprimi, quàm ut terra demergentium digitorum primos attingat articulos. Seminum cacumina si deprimas, spinosa non erunt folia, minus etiam echini.

Frutices in horto quomodo conseri debeant, te docebit Seminarium. Cæterum aliæ tam coronariæ quàm etiam esu utiles herbæ, à nobis hoc loco prætermissæ sunt, quasi nullam aliam culturæ rationem desyderẽt: harum enim nonnullæ sponte crescunt, aliæ pari cum superioribus satione delectantur.

REMEDIA ADVERSVS NOXIAS AERIS TEMPESTATES, ET INFESTA HORTIS ANIMALIA.

Satis in horto plantulis, non solùm inimica est, & nocumentum adfert grando, rubigo, nebula, fulgur, pruina,

quæ peruersi sunt aeris uitia, sed etiam animalia quædam locis apricis post pluuias nascentia, omniáque in horto consita mirum in modum infestantia: campas & erucas uocant. Bestiolarum quoque alia genera hortis innascuntur: culicæs napis, raphano uermiculi, item lactucis & oleri. Vtrisque hoc amplius, limaces & cochleæ. Infestant & culicæs hortos riguos, præcipuè si sint arbusculæ aliquæ. Formicæ quoque & talpæ, non minima hortorum exitia sunt: porros blattæ infestant, quas ob id porricidas Græci uocant. Locustæ quibusdam locis noxiæ, non solùm hortensibus herbis, sed & arboribus omnibus uim inferunt: addemus his bruchos & mures agrestes: in Italia etiam scorpiones, serpentes, uespertiliones, & huiusmodi animalia nascuntur: quæ nisi ab hortis arcerentur olitorum industria, nullam aut iucunditatis aut utilitatis inde gratiam consequeremur. Itaque hoc loco remedia ab antiquis proposita aduersus hæc omnia, paucis enumeranda sunt, à quibus hortensium rerum peritus sibi cauere possit.

Contra grandinem, omne spatium horti alba uite præcingere antiqui suadebant. Philostratus iubet, cùm grandinem uidemus imminere, ut utuli marini pellem, uel hyenæ, uel crocodili, per horti uel domus spatia circunferamus.

Fulmine hortum non percuti dicebant Græci, obruto in horto fluuialis equi, quem hippopotamon uocant, tergore. Tradunt alij non esse noxias horto tempestates, si fictili nouo obserata rubeta rana in medio obruatur. Segetibus idem prodest.

Si nocent nebulæ, sarmẽta, & palearum acerui, euulsáque herbas & frutices per hortum, uel uineam aut

campum incendito : fumus huic rei medebitur . pluribus itaque locis per hortum disposita purgamenta simul omnia combures , quà uentus inspirat : ita enim impendens malum auerti creditur.

Quum rubigo imminet, iubet Berytius bubulum cornu dextrum cum fimo sicuri , ut plurimum circumcirca fumum concitet, præsertim quà uentus perflat , sic ut omnis fumus contra rubiginis impetum feratur : ita enim noxiam cæli occasionem discutiet.

Satis fabis hortum à prunis lædi negant.

Omnia semina horti uel agri refert Anatolius ab omnibus malis ac monstris tuta seruari, si syluestris cucumeris tritis radicibus antè macerentur, quàm seras.

Vt olera infesta animalia non generent, in corio testudinis omnia semina quæ sparsurus es sicces, uel menthã pluribus locis, maximè inter caules seras. Hoc idem præstare fertur eruum aliquantulum satum, præcipuè ubi radices & rapa seruntur . Cicer etiam inter olera propter multa portenta serendum est. Erucam pluribus in locis inter olera satam , ab infestis animalibus uindicari tradit Frontius. addidit hortum ab eisdem non impeti, si anserino stercore muria resoluto olera perfundantur. In testudinis corio semina resiccata nulli erodentium iniuriæ obnoxia futura tradit Anatolius.

Contra limaces & cochleas prodest amurca recens, uel ex caminis fuligo conspersa.

Contra erucas, quas Græci campas uocant, uulgus nostrum chenilles , quidam uirgis sanguineis plantas uel arbores tingunt : alij cancrum fluuialem in medio horto suspensum auxiliari tradunt: alij rore aquæ perfundunt plantas, in qua uitigineus cinis maduerit : alij circa ar-

borum crura & ramos, bitumen, & ignem non expertũ sulfur accendunt. Sunt qui semina prius macerent lixiuio, quod è ficulneo cinere prius stillauerit, uel erucarum sanguine, uel semperuiuae succo. ficulneum cinerem alij spargunt super erucas. Malunt quidam scyllas in horto serere, uel fungos qui ex iuglãde concreti exeunt, concremare, ut eo nidore campæ enecentur: uel fimo uespertilionis interimere. nonnulli fasciculos allij sine capitibus comburunt per horti spatia, ut eo nidore intereant. Alij per ipsa horti spatia, ipsas erucas coctas in aqua cum anetho spargunt, sicque iam enatas interimunt.

Pulices olerum, quos uulgus uocat des puſſons, necantur aceto acri succo hyoscyomi misto, & superinsperso. eosdem ius decoctæ conizæ perimit, uel aquæ respersus, in qua melanthion, hoc est gith herba, maduerit.

Culices hortorum fugantur cremore calaminthæ. Abiguntur & macerata ruta, per areas consperſa: galbani, sulfuris & cumini suffitu necantur. Florentes quoque cannabis surculi, inuolantia culicum agmina coercent. Bubulũ stercus suffitum culices persequitur: item inulæ radix, adiecto buccinorum crematorum cinere.

Ne blattæ (quas prasocurides Græci uocant) porros enecent, uentriculum ouis statim occisæ, non elotum, sed sordibus suis plenum, spatio quo abundant, non altè, sed superficie tenus operire debebis: post biduum reperies animalia ipsa congesta uentrem hunc replere.

Formicas fugari Diophanes tradit, si quæ ex eis captæ concrementur: si caudices herbarum, aut arborum, ad quas plurimæ sunt, perlinas lupinis, aut taurino felle cum amurca tritis, uel bitumine cum oleo: uel si lachrymã papaueris aceto resolutam, cauernulis earum infuderis.

perimuntur etiam nidore syluestris cucumeris inænsi. Si foras ueniunt formicæ, omne horti spatium cinere signemus. Si cõscendunt arbores, cretacea linea latiore in orbem circum arboris caudicem aut imum truncum facta atque itẽrata, prohibebis ne cõscendãt. Limo marino, aut cinere, aut heliotropio herba, obturata formicarum foramina, eas enecant.

Volucres locustæ fugantur ab hortis, si aliquæ ex iis urantur in medio, uel si aliquas earum macératas limo obruas. Nihil attingent locustæ, quod porro aut centaurio aqua resolutis fuerit aspersum.

Contra bruchos non minimam hortorum pestem iubet Didymus, circa caudices arborum aut herbarum, prope radicem, tria grana sinapis obrui.

Aduersus agrestes mures Apuleius suadet semina bubulo felle macéranda. Nonnulli rhododaphne foliis aditus eorum claudunt: quia rosis his, dum in exitu nituntur, intereunt.

Talpæ nunquam effodient hortum in quo ricinus, quam palmã Christi uocant, uel sponte, uel accitus proueniat. Sotion Græcus author, ut talpas uel enecés uel fuges, nucem perforari iubet, in qua paleas & sulfur ac cedriam includas, & incẽsam in maiori talparũ aditu ponas, reliquis foraminibus diligẽter occlusis, ne fumus exeat.

Ne carbunculi hortis aut utilibus noceant, quidam tres cancros uiuos cremari iubent in arbustis.

Serpentes omni propè fugantur austeritate, & nocentes spiritus innocentia fumi graueolentis exagitat. Vstum igitur galbanum, uel cerui cornu, uel radix lilij, uel ungula capræ profuerit.

Cremati scorpionis nidore, reliquos omnes protinus

fugari, author est Diophanes. Sandaracha cum galbano, butyro, uel adipe caprino suffita, & scorpios & serpentes omnes abigit. Plutarchus negat scorpium ad id unquam adrepere, cui nucula coryli suffixa cohærebit.

Vespertiliones in horto non aduolare tradit Africanus, in quo per itinera platani frondes pendeant. Necantur etiam hæderæ suffitu.

Ranæ si garrulitate sua per noctem te infestent, incensa lucerna, lacus ripæ, aut fluminis, aut riui, hortum præterlabentis admoueatur.

Ea sunt hortorum præcipua incommoda, quæ recensere aut animaduertere potuimus, quibus etiam sua remedia uoluimus adhibere, ex bonis authoribus collecta: ne quid hortensium rerum studiosus in hoc negotio nostræ operæ desyderare possit. Cupimus autem, si quando nobis per ocium licæat, etiam de apibus in hanc sententiam aliquid conscribere, quod ad rem hortensem pertinere iudicabimus, idque etiam ex antiquorum agricolarum authoritate. Necesse est enim eum qui cultum & undecunque instructum hortum habere uolet, etiam apibus operam dare.

Seminarium.

POST hortum elegantèr excultum, consequens esse uidetur, ut uiridarium uobis ostendamus, hoc est, eum locum, in quo fructiferarum præsertim arborum multitudo probè consita atque ordinata esse conspicitur: uulgus uocat vn verger: nos etiam seminarium dicere possumus. Nam reliquas arbo-

res, quæ nullam agricolæ manum expostulant, postea in sylua describemus.

Seminarium (inquit Budæus, singulare totius Galliæ ornamentum) locus est subactus, in quo semina aut utriũ aut arborum panguntur: ut cùm ad certam quantitatem excreuerint, in uinetum, uel arbustum, uel pomarium transferantur. Rustici quidam hodie uocant uulgò, vne bastardiere. Columella lib. 3, Qui uineam uel arbustum constituere uolet, seminaria prius facere debebit. sic enim sciet cuius generis uitem positurus sit. Nam quæ pretio parata disponitur, certam generositatis fidem non habet: quoniam dubium est, an is qui uendidit, legendis seminibus adhibuerit diligentiam.

Semina hoc loco, quemadmodũ in alijs multis intelligi debent, non quidem pro granis, sed surculis depactis: qui cùm radices egerunt, in seminarium aut uinetum transferuntur. uulgus nostrum uocat des plantes, præsertim in uineis: in arboribus autem, des sauuageaulx. Colum. lib. 5. cap. 10. de pomario, Semina lege crassa, non minus quàm manubrium bidentis, recta, læuia, procera, sine ulceribus, &c. Virgil. neu ferro læde retuso Semina. Vnde eleganter dixit Columella, Deponere semina scrobibus, Enterrer les sauuageaulx es fosses: Cùm (inquit) semina depones, dextra sinistráque usque in imum scrobem fasciculos sarmentorum, brachij crassitudinis, demittito. Quinetiam semina ipsa quando in seminario ordine serebantur, à Columella ordinaria semina appellata sunt: hoc est, per ordines disposita, lib. 3. cap. 13: Consitis (inquit) pluribus inter ordinaria semina malleolis.

Sed de consitione seminum, quæ per ordinem fiebat, suo loco. Quin & huiusmodi semina interdum qui-

dem plantæ dicuntur. Virgilius,
Hic plantas tenero abscindens de corpore matrum
Deposuit sulcis. Dicuntur & seminaria, plantaria. Virgilius 2. Georg. Et uiua plantaria terra. Plinius lib. 13. de palmis loquens, Ergo (inquit) plantaria instituunt, anniculásque transferunt, & iterum bimas. Itaque & plantarium & seminarium pro eodem accipi nihil uetat.

Seminarium autem id in quo tenella adhuc semina educanda (inquit Budæus) depăguntur deponuntúrque, Plinius nutricem appellauit lib. 17, Omnia ea (inquit) statim opus est nutrici dari, atque in seminariis adolescere, iterúmque migrare. Idem alibi, Quamobrem & seminarij curam antè conuenit dici, quàm transeatur in alia genera. Nam & huic principio eligi solum refert: quoniam & nutricem indulgentiorem esse, quàm matrẽ sæpe conuenit. Vnde illud Virgilij,
Mutata ignorent subitò ne semina matrem.
Itaque arbores dum surculis seruntur per ordinem, id est plantulis (quæ etiam Græcis τὰ σπέρματα uocantur, hoc est semina) conficiunt seminarium & quasi surcularium quoddam. nam segetes fusim seri solent.

Iam & seminaria ulmorum dicere possumus pro ulmario: hoc est, loco ulmis consito, & in quo multa ulmorum semina depacta sunt: vn lieu auquel on nourrit & esllieue des petis ormiers pour replanter ailleurs. Columella lib. 5. cap. 5, Id autem facilè consequi poterit, si ulmorum seminarium paratum habuerit. Atque eadem quoque ratione seminaria pomorum, pro pomariis, aut locis pomorum seminibus aspersis sumemus: cuiusmodi nonnulli nostratum instituere solent, ut Normani:

appellántque uulgò pepinaria, des pepinieres : *præsertim cùm ex granis pomorum aut pyrorum cõsita sint. nam etiam taleis terris infixis cõseri solent: quemadmodum æraſorum seminaria, quæ uulgus uocat*, Vne cerisaye : *nos æraseta uocare poterimus, ut satis in sequentibus suo loco declarabitur.*

Porrò *tandiu dicuntur seminaria, quandiu ipsæ arborum plantæ, aut etiam ipsi surculi grandescere & adolescere incipiunt, ut iam possint aliò transferri: cuius rei rationem multis uerbis explicat* Columella *lib.5.cap.5.*

Cùm *autem ita percreuerunt plantæ, ut iam non amplius semina, sed arbores dici possint, aut arbuscułæ, ac suo ordine in unum locum cõsitæ sunt: non tunc quidem seminarium, sed arbustum efficiunt, si quidem locus ille uarias arborum species cõtineat, ueluti sunt ea loca quæ nostri uulgò appellant uergeria*, des vergers: *cuiusmodi quiddam post fructiferas arbores in hoc seminario explicatas subiungemus, libello tamen seorsum edito, cui Fonticuli & Spineti nomen subnectemus. Arbusta etiam accipit* Virgilius *pro nemusculis uel etiam syluulis, quarum arbores desectæ sunt, ut iam amplius nullam umbram præbeant, & arbuscułæ potius quàm arbores dici possint: uulgus nostrum uocat* vn taillis, *in quibus per extremos æstus, cicadæ maximum strepitum emittunt: unde* Virgilius, Resonant *arbusta cicadæ.* Idem, Non *omnes arbusta iuuant, humilésque myricæ.*

Quòd *si hæc quidem loca uel agrestia, uel etiam hortensia unam tantùm arboris speciem recipiant, uel amœnitatis gratia, uel etiam utilitatis : ea quidem ab eius arboris specie, cuius cõsita sunt, nomen accipient, neque generalius arbusti uocabulum habebunt. Amœnitatis qui-*

dem gratia, ab iliæ arbore (quæ nobis satis est infrequens: cuius tamen folia aquifoliæ ferè similia sunt, quam uulgus uocat Du houx, nisi quòd nigriora & breuiora apparent) iliætum appellabimus, locum ilicibus cõsitum. Martialis,

Vicini strues iliæti.

Sic etiam à salicibus salictum, Vne saulsaye, de quo in Arbusto posthæa sumus acturi. Varro, Idoneus locus eligendus ubi facias salictum & arundinetum. Vtilitatis autem gratia, ut ad olei prouentum, locum oleis arboribus cõsitum, oliuetum appellabimus (quod oletum antiquè Catoni dicitur, cuiusmodi multa loca uidentur in Gallia Narbonensi) ad pomorum prouentum, pomarium: simili quoque ratione castanetum, æraſetum, & cætera huiusmodi, quæ pro cõsitarum arborum nominibus sua etiam nomina sortiri possunt.

Sed ut nostri seminarij significationem absoluamus, hoc unum addere libet puerorum causa, Seminarij significationem à Cicerone elegantissimè transferri ad fomitem, fontem, & originem alicuius rei, uel locum in quo res aliqua incremẽtum cepit, tam in bonum quàm in malum. Itaque ait in Pisonem, Ex illo fonte & seminario triumphorum, cùm arida folia laureæ retulisses. Hoc est, ex eo loco, è quo maximi triumphi & cõronæ laureæ reportari solent. Idem Off. lib. 1, Id autem est (inquit) principium urbis, & quasi seminarium Reip. Hoc est, hinc nostra Resp. duxit originem, & inde orta est. Idem oratione tertia in Catilinam, Qui nisi exeunt, nisi pereunt, etiam si Catilina perierit, scitote hoc in Rep. seminarium Catilinarium futurũ. Hoc est, ab his pessimis nebulonibus scitote multos suborturos Catilinæ similes, nisi auferãtur.

Quòd autem ad uerba ipsius seminarij culturæ propria spectat, dicitur à Columella lib. 5. cap. 8. cœli seminarium bidentibus aut sarculis: cùm ipsa terra, in qua arborum semina disponere cupimus, à nobis subigitur & exaratur, siue etiam cœmplanatur. Dicitur etiam runcari, & fodi eidem authori, cùm ipsa semina expurgantur, & radicæs fouentur denuo. Quinetiam quàm frequentissime seminarium sarriri, & rastris excœli iubet idem Columella, cùm herbæ succrescentes, & inutiles rastris auferuntur: ne mitius terræ alimentum, quod tenellis adhuc radicibus educandis proprium esse debet, aliò transferatur. Multa alia uocabula sunt huic rei propria, quæ in eũ locum differre melius est, in quo de arborum culturæ ratione & nominibus singulatim disseremus. Superest nunc, ut nostrum ordinem sequamur: ac post explicatam seminarij significationem, arboris & fruticis nomina declaremus. Post hæc autem ad earum partes digrediemur.

ARBOR.

Arboris significationem ex Theophrasti capite quinto libri primi de historia plantarum ita desumemus: Arbor *est, quod ab radicæ, caudiæ simplici, ramosum, nodosum, surculosum, haud facile dissolubile assurgit: ut olea, ficus, uitis. quæ omnia uocabula capite sequenti à nobis fusissime explicabuntur.*

Arbores lætas appellauit Columella beaulx arbres & bien cultiuez: *quemadmodum* Virgilius *Lætas segetes: hoc est opimas, elegantes, proseras, & bene excultas: ne quis putet etiam feracs significare:* Solent *enim (in-*

quit ille) etiam, quantumuis lætæ arbores, fructum non afferre.

Arbor retorrida, quæ ita à sole torrefacta est, ut protinus arescat, & sicca cõspiciatur. Colum. Si in olea unus ramus aliquando cæteris lætior est, nisi eum recideris, arbor tota fiet retorrida.

Arbor pomifera, Arbre portant pommes ou poires, arbre fruictier: quæ mala fert atque etiam pyra, quæ sub malorum & pomorum genere cõprehenduntur: de quibus Columella lib. 5. cap. 9. Ita quoque & arbor nouella, & arbor uetula dicitur, pro ea arbore quæ paucorũ aut multorum iam annorum est. Cic. 5. de fin. Arborémque & uetulam & nouellam, & uigere & senescere. Ieune ou vieil arbre.

Arbor quoque cõliculum agere dicitur, Iecter vne petite souchette, cùm attollitur, & ueluti cõrpus facit, neque dum fructum profert, sed tantùm ipsum alimentum è terra attrahit, ut grandescat. Columella, Cum subactus ager, cõsitus non est, arbor cõliculum agit.

Frondere etiam dicitur arbor, quemadmodum & florere, Faire branches, florir, cùm ramescit, & ramos effundit, ac ueluti brachia quædam in altum expandere uidetur. Colum. lib. 5. cap. 9, Quem ita ponere cõuenit, ut si non periculum à pecore habeat, exiguus admodum supra scrobem emineat: lætius enim frondet.

Luxuriare præterea dicitur arbor, quæ uberiores & diffusiores ramos producit, quàm par est. Columella, Ca cumuna uirgarum & arborum ne luxuriẽt, demutilato.

Arbusculæ eidem authori sunt tenellæ adhuc arborũ plantæ, & trãslationi, aut, si mauis, depositioni, aut explantationi idoneæ: uulgus uocat des plantes, ou des

arbreaulx. Colum.lib.5.cap.8,Excultæ quinquennio arbuſculæ,habiles trãſlationi ſunt.Et paulò pòſt, Ipſæ autem arbuſculæ hoc modo poſſunt tranſferri. Antequam explantes arbuſculam,&c. Quo ex loco tranſferendarum & explantandarum arbuſcularum rationem latius diſcito.

Arboreſcere dicuntur plantæ,uel etiam frutices(de quibus ſtatim dicemus) dum in arboris magnitudinem & formam aſſurgunt: uires tamen eaſdem neque robur tam ualidum habent,neque etiam interdũ ligneſcunt:quemadmodum de malua refert Theophraſtus, quæ menſibus ſenis aut ſeptenis ita grandeſcit cultura, ut ab herbacea natura ac forma diſcedere uideatur,& in arborẽ tranſire, ut longitudine craſſitudinéque inſtar haſtæ poſſit attolli. Quapropter cõmodè ad uſum baculi uenit, quo bubulci & paſtores utebantur ad cõpellendos greges. Vnde Virg. Hædorúmque gregem uiridi cõpellere hibiſco. Quod enim ait Theophraſtus, puto de althea ſiue biſmalua,ut uulgus uocat, intelligendum eſſe, quam Dioſcorides ebiſcum ſiue hibiſcum appellat cum Virgilio.

Quinetiam uirgulta & olera quædam etiam arboreſcere uidentur,præſertim ea, inquit Theophraſtus,quæ caudicẽ uno conſiſtunt:ut arboris quaſi naturam adipiſci ſpectentur, quemadmodum radix & ruta: & quidem fere omnia olerum genera, aut certè plurima, quaſi ramos quoſdam capeſſunt, totáque in arboris figuram mutantur. Quapropter oleri arbores à quibuſdam appellata ſunt, hoc eſt olera arboreſcentia: diutamen durare nequeunt,neque hanc formam retinere.

Arbuſtiuus locus Columellæ lib.3.cap.13,dictus eſt locus arboribus conſitus, utilitatis aut amœnitatis gratia,

Vn lieu planté d'arbres. *qui etiam locus arbusti significatione intelligitur, ut prius dictum est. Col. lib. 5. cap. 5, Qui uolet frequẽs & dispositum arbustum paribus spatiis, fructuosúmque habere, operam dabit, ne emortuis arboribus rare sat. Gellius arboretum uocat lib. 17. cap. 2: Conualles (inquit) & arboreta magna erant. Arbustiuæ quoque uites ab arboribus dictæ sunt, quibus olim applicari & maritari ac iungi solebant: ut etiam nunc solent apud Italos. Col. Arbustiuam uitem tam putare quàm alligare diligenter oportet. Quod nomen deductum puto à uerbo arbusto arbustas, significante agrum arboribus conserere ad maritandas uites. Plin. lib. 17. cap. 23, Transpadana Italia præter supradicta, cornu, populo, tilia, acere, orno, carpino, quercu arbustat agros.*

Arborator antiquis dictus est (quemadmodum uinitor) is qui arborum colendarum & conserendarum curam & cognitionem habet. Col. lib. 11. cap. 1. Nam & arator reperitur aliquis bonus, & optimus fossor aut fœnisector, nec minus arborator aut uinitor.

Sed nequis uerborum affinitate facilè deludatur, prius quàm ad arboris partes descendamus, dicendum nobis uidetur quid sit arbutus, quando simile quiddam cum arbusto habere uidetur. Est igitur arbutus, arboris agrestis genus, mala acerrima ferentis, quæ dum matura sunt, fragorum formam & colorem referunt. Græci mimecyla uocant: Narbonenses Galli Des sarbousses. Est autem fructus ærius iucundissimus. Frutticosa quidem arbor est, & raram umbram præstans, potissimum in syluis. Vnde Virgilius, Et quæ uos rara uiridis tegit arbutus umbra. Eius fructum Plinius unedonem appellat, quòd asperitate sua & acerbitate, præsertim dum immaturi sunt fructus,

plures edi non possint. Quidam etiam arbutum neutro genere pro fructu usurpant, ut author est Valla. Sed & ipsam arborem Dioscorides & Galenus comaron appellant. Quod nomen uulgus Italorum adhuc integrum retinuit: & fructum, epimelida Græci uocauerunt: de quibus postea in sorbis. Videto Plinium lib. 15. cap. 24. Virgilius 2. Georg. Dant arbuta syluæ. Sed hæc obiter.

FRVTEX autem Theophrasto dicitur id quod ab radice, caudice multiplici, ramosúmque se attollit, ut rubus, paliurus: (quem tamen inter carduos coniunxisse uidetur Virgilius) Vnde fruticosæ etiam plantæ dicuntur, quæ sua natura nunquam in arborem attolluntur, aut arborescunt: sed statim ab ipsa radice sese in ramos diffindunt, & brachia attollunt: qualis est corylus, rhamnus, &c.

Suffrutices autem uocat Plinius, qui mediam quandam habent consistentiam inter arborem & fruticem, uel etiam inter herbam & fruticem: ut quatenus lignosi sunt, arbores aut frutices dici possint: quatenus autem altius non attolluntur, neque tam multos ramos habent, eósque tenellos & deciduos, herbarum naturam imitentur: qualis est matiana, ligustrum, &c.

Frutescere dicuntur quædam arbores, quæ nisi sæpius purgentur & amputentur, à sua natura & forma desciscunt, & ab arboribus in frutices degenerant: qualis est myrtus, inquit Theophrastus. Dicuntur præterea herbæ quædam frutescere, quæ in frutices aut suffrutices attolli uidentur, & ramos multos producunt: cuiusmodi est abrotonum utrunque. Columel. Itaque cum truncus recisa, etiam lætius frutescat, hoc est, uberius attollitur. Vnde frutetum Columellæ dicitur locus fruticibus consептus, lib. 3. cap.

3. cap. 11, *Quam ob causam (inquit) syluestris ager præcipuè est eligendus, qui etiam si frutetis aut arboribus obsessus est, facilè extricatur.* Sed de arboris & fruticis significatione hactenus. *Nunc ad ipsas partes ueniendum.*

PARTES ARBORIS.

Incipiemus à radice, atque adeò inferioribus & maioribus arborum & fruticum partibus: deinde uerò ad superiores & minimas diuertemus.

Radix (*inquit* Theophrastus) *tam in arbore, quàm in alia quauis planta, est id quo alimentum à terra attrahitur. dicta, ut quibusdam placuit, quòd sæpe effossa terra parumper radatur, ut arbor frutiçscat. uulgus nostrũ uocat* vne racine. *cuius partes quædam circunquaque adhærentes, quibus ueluti lacertis nititur, & terram undique comprehendit, capillamenta appellantur.* Colum. *lib. 4. cap. 11, Qui non solùm in eo errabant, quòd primi anni capillamenta seminum intacta, sed & post bienniũ unua radix recidenda erat.* Vides *quemadmodum capillamenta & unam radicem separet.* Appellat *autem unam radicem, ipsius radicis corpus, & ueluti caudicem ipsum, qui quemadmodum arbor ipsa, ramos suos habere conspicitur, uocatúrque à* Columella *libro 4. cap. 8. mater,* la maistresse racine. *Caueto autem, ne pro unica radice unum radicem dicas: est enim aliud unum radix, ut posteà explicabimus suo loco. Cæterum capillamenta, seu capillos radicis dictos puto, tum ab ipsa formæ similitudine, quam cum capillis nostris habent: tum etiam quòd quotannis attonderi soleant, ut arbor crasse-*

ſcat, & maior ſuccì cœpia ſurſum attollatur, neque in ipſa radicis uſqueadeò multiplicis ſubſtantia hæreat. Quinetiam hæc capillamenta Plinius fibras appellauit lib. 18, Frumenta, inquit, multa radicantur fibris. Vnde fibroſa herbarum potiſſimùm radix, & capillata ſiue capillaris dicitur apud authores, ad differentiam radicis bulboſæ, hoc eſt rotundæ, & quæ bulbi ſimilitudinem habet. In arboribus uerò hæc capillamenta, ramorum nomen tenent: ſunt enim craſſiora, quàm in ipſis herbis, ut iam nomen latius promereantur. Colum. lib. 5. cap. 10, Cùm ad ſcrobis ſolum radix peruenit, duritia humi cœrcita recuruatur, & ex ſummo duorum ramorum ambas radices emittit. Dicitur item radix limoſa, quæ dum frangitur, ſuccum quendam limoſum emittit: uel quòd terræ ſubſtantiam ita reſoluit, ut ſemper limo obducta appareat. Eſt præterea cauernoſa radix, quæ multas intus cauernulas habet, & quodammodo foraminulenta eſt, neque ſolida & compacta apparet. Addendum eſt etiam, radicem geniculatam ab authoribus uocari, quæ nodoſa eſt, & multos ueluti geniculos profert, qualis eſt polygonati radix, quod uocamus ſigillum Salomonis. Item etiã cortiœſam, quæ corticem habere uidetur. Plin. lib. 20. cap. 19, Syluestrium unum genus, ceratitim uocant, nigrum, cubitali altitudine, radice craſſa & corticoſa. Quin & nomina radicũ ab ipſa forma fingi poſſunt, ut craſſam, longam, ſpiſſam, breuem radicem dicamus, quemadmodũ à colore & ſapore potiſſimùm ſumi ſolent aliæ differentiæ.

Radicare autem dicuntur arbores uel etiam plantæ, cùm ipſius radicis beneficio creſcere uidentur, ut eſt in priori exemplo Plinij. Eadem quoque ratione dicitur ar-

bor cæpere radicem, prendre racine: quando succum terræ sibi familiarem facit, & ipsum attrahit, atque in alimoniam conuertit. Plin. Cùm pali defixi radices cæpissent. Idem lib. 17. cap. 23, In terra non pauciores gemmæ quatuor obruuntur ad radicem cæpiendam. Qua etiam loquendi forma, dicitur arbor eidem authori lib. 16. cap. 31, agere radices in profundum: hoc est, penitus radicare. Legi præterea apud Plinium, circunfodere radicem & subarare, pro circunfodiendo & subarando euellere & extrahere. Quòd si radix rumpatur, & suo loco moueatur, propriè admodum luxata radix dicetur. Plinij locus sic habet lib. 17. cap. 24, Aut circunfossor, uel etiam subarator imprudens luxauit radices. Quinetiam mittere radicem, pro cæpere radicem, uel producere & exerere, Columella dixit lib. 3. cap. 18, Nam (inquit) & radices è capite, quà recisum est, æquè mittit.

Caudex siue codex (nam utrunque antiqui protulerunt, quemadmodum saurex & sorex) dicitur in arboribus & fruticibus id quod ab radice supra terram simplex assurgit: éstque commune pariter annuis ac perpetuis arboribus, inquit Theophrastus. La souche. potéstque dici caudex, ipsius arboris corpus, quemadmodum caulis ipsarum herbarum: dicúntúrque caudices aut caules, quádiu ipsa arbor aut herba recta stat. nam quod ex caule aut caudice desecatur, id quidem non caudex aut caulis, sed pars caulis aut caudicis appellabitur. Quanquam tamen antiqui tabulas ligneas, in quibus inclusa cæra erat ad aliquid stylo describendum, uel etiam omnino caudicas, & ex caudicum partibus læuigatis & tenuioribus factis compositas, codices siue codicillos appellauerunt: quòd ex arborum codicibus uel codicum partibus

tenuioribus, nempe membranulis & tunicalis fieri solerent. Quod nomen apud nos quoque in eadem significatione remansit, frequentissimúmque est apud authores. Est præterea animaduertendum, antiquos plurium tabularum contextum, cuiusmodi in nauibus uel ædificiis conspicimus, codicem appellauisse. Vnde Appium Claudiũ Caudicem primùm cognominatum putant, quòd eiusmodi contextus rationem primus inuenisset. Sed uereor ne sint hæc præter institutum.

Truncus autem (ut ad rem redeamus) le tronc, dicitur pars codicis, uel etiam caudex ipse ramis truncatis superstans: nisi mauis interpretari truncum, partem caudicis, radici uiciniorem, quæ crassior apparet. Colum. lib. 4. cap. 8, Quoniam si iuxta truncum radicem præcideris, ex cicatriæ plures enascentur. Quinetiam truncum pro arbore quæ transfertur ex seminario, sumpsit idem author lib. 5. cap. 9: Truncus (inquit) aptior translationi est, qui brachij crassitudinem habet.

Si uerò arbor inutili quadam fruticatione multos ueluti caudices emittere uideatur, cuiusmodi solent cerasus, prunus, corylus: tantùm is caudex iustè appellabitur, qui est medius & robustior: alij autem uicini ab eadem radiæ prodeuntes, qui quidem desecari & transplantari solent, ut arbor crassior sit, & ne soboles luxurians parentem enecet, stolones appellantur: uulgus nostrum reiectos uocat, des reiectons. à quibus, inquit Varro lib. 1. de re Rust. ca. 2, Licinius Stolo primus cognominatus est, quòd nullus in eius fundo reperiri posset stolo: effodiebat enim circum arbores è radicibus, quæ nascerentur è solo, quos stolones appellabant. Vocantur etiam huiusmodi stolones, soboles, ab olescendo. Colum. lib. 5. cap. 8, Omnis dein-

de soboles quæ ex uno stirpe nata est, quotannis extirpanda. In uineis autem appellãtur pampini: unde pampinare uites, superfluos stolones resecare, quod etiam ad arbores conuenire posset: de quibus postea.

Pullos etiam arborum uocat Cato cap. 51, quos reiectos uulgò uocamus, uel des pions: Ab arbore (inquit) abs terra pulli qui nascentur, eos in terram deprimito. Pullulos quoque eosdẽ uocauit Plinius lib. 17. Nullis uerò tales pulluli proueniunt, nisi quarum radices amore solis in summa tellure spatiantur. Atque inde pullulare uerbum deductum, quasi pullulos emittere, quod & pullulascere dixit Columella lib. 4. cap. 21. repionner.

Sed ne caudicis partes omittamus, prius quàm ad ramos transeamus, sciendum est caudicem constare ligno, cortice, tunica, & humore, siue medulla interna, quæ matrix dicitur.

Lignum, est pars arboris interna, præcipuè in caudice, quæ fissilis est & dura, du bois: éstque ueluti caro ipsarum arborum: unde lignescere dicuntur plantæ quædam, atque adeò radices, quæ in ligni duritiem concrescãt & siccãtur: qualis est raphani radix, & caulis ferulæ atque etiã thapsiæ, quæ lignosum caulẽ proferre dicãtur.

Pectines à Plinio dicuntur in arboribus, & earũ materia, per longitudinẽ rectæ pectinũ modo lineæ & interualla, quæ Græcis κτένες appellãtur. In quibus autẽ arboribus uariant pectinum illorũ lineæ & interualla, adijcere Plinius solet aliquid, quo uarietas illa possit indicari, obliquos, crispos, nodosósue pectines appellans.

Cortex, pars superior & ultima, atque ab ipso subiecto corpore separabilis: éstque ueluti corium & operculum, ac crusta quædam ipsarum arborum & plantarũ. Virg.

Ruptus de ſubere cortex. Vne eſcorce. *unde decortiare & excortiare arborem dicimus. Atque hic quidem cortex quibuſdam arboribus læuis, quibuſdam rugoſior apparet: cuius diminutiuo, corticula, uſus eſt Columella lib. 12. cap. 47.*

Liber autem, dicitur cortex interior, ipſi ligno adhærens. Colum. lib. 5. cap. 10, Ita librum arboris moleſcere ſinito. Vnde librum remittere dicitur arbor, quando corticẽ ſua ſponte relinquit. Colum. lib. 11. cap. 2, Poſſúntque, ſi iã librum remittunt, inſeri oleæ uel emplaſtrari. Virgilius tenuem tunicam appellat in Georg. Et tenues, inquit, rũpunt tunicas. Ac paulò pòſt, Vdóque docent moleſcere libro. Vnde libri appellati, qui ex tunicis illis arborum interioribus primùm conſtare ſolebant. Hinc etiam delibrare arborem, apud Columellam, hoc eſt, uſque ad corticem interiorem diffindere, ut craſſior poſtea euadat.

Matrix Theophraſto dicitur, quod in medio ligni uel caudicis tertium à cortice continetur, quæ à nonnullis cor, ab aliis medulla appellatur. Le cueur de l'arbre. Quin & pulpam in arboribus id uocat Plinius lib. 16. cap. 38, quod nos in animalium corporibus muſculũ appellamus.

Lachryma uerò eſt is humor, qui ſtatim deſecto caudice uel ramo, aut aliquibus tantùm, ipſo ligno proſilit & apparet: uulgus uocat la ſeue. Vnde lachrymantes calamos, hoc eſt, taleas quæ inſeri ſolent, uocat Plinius lib. 17. cap. 14: & in proœmio lib. 23, lachrymam uitis uocat, quæ ueluti gummi eſt.

Muſcus, Græcis bryon (quanquam etiam bryon populi candidæ uuam ſignificet) aliis ſplanchnos, aliis ipnos dicitur: uulgus noſtrum uocat de la mouſſe, eſt id quod in ipſa corticis arborum quarundam ſuperficie lanu-

gnosum apparet, œu cani quidam ipsarum arborum uilli.

Rami sunt (inquit Theophrastus) qui à caule uel caudiæ fissi, multipliçs sparguntur, quos nonnullis placuit nodos appellare: súntque ueluti quædam ipsarum arborum brachia, quibus sese latius diffundunt & expandunt, atque in altum attolluntur. Vnde Virgilius,

Tum fortes latè ramos & brachia tendens.

Quod alibi dicit, frondes explicans, ipsas frondes pro ramis ponens: cùm tamen frons propriè dicatur id, quod ipse ramus circunquaque producit: multa interdum folia habens, & nonnihil corticis, ac ueluti caudiculi. Vnde frondosus ramus dictus est Liuio decimo ad urbe condita: & frondea corona, quæ multis frondibus laureis, uel hæderaceis foliosis contexta est: ramis enim contexi corona nõ dicitur. Hinc etiam frondare arbores dicimus, profrondes amputare & leuare: hoc est, ramos arborum expurgare, & inutilem frondium propagationem exsecare. Virgil. -omne leuandum Fronde nemus. Hoc est, frõdibus spoliandum. Quod munus qui exequebantur, frõdatores appellati sunt: & frondaria fiscina, in qua expurgatæ & desectæ frondes reponebantur. Colum. Cùm frondere cœperunt cacumina sici, ferro summa prodest amputare. Idem lib. 5. cap. 8, Lætam frondem olea non induet. Eleganter, pro uberem frondem non producet. Quod Ciæro primo Tuscul. quæst. frondescere dixit: Cælum (inquit) nitescere, arbores frondescere. hoc est, in frõdes abire, & frondibus uestiri. Cæterum rami tandiu dicuntur in arboribus, quandiu ipsi corpori coniuncti sunt: cùm uerò ab ipso corpore desecti & exempti, ramalia appellantur proprié. Ouid. lib. 8. Metamor. Multifi-

dáſque faces, ramaliáque arida tecto. Perſius Saty. 1, Vt ramale uetus uegrandi ſubere coctum.

Ramus autem arboris cum fructu decerptus, termes appellatur. Horat. Nunquam fallentis termes oliuæ. Vnde terminare uerbum deductum, quoniam antiqui diuſiones agrorum, priuſquàm metæ inuentæ eſſent, termitibus ſignabant. Gellius tamen lib. 2, ſpadicem uocauit, auul ſum è palma termitem cum ipſo fructu. Itaque ſpadicis nomen proprium ipſi palmæ erit, quemadmodum palmes ipſarum uitium.

Tabulata dicuntur rami effuſiores, & in plana tendentes, non in altiora creſcentes: quales in platanis potiſſimum & ulmis conſpiciuntur. Virgil. Summáſque ſequi tabulata per ulmos.

Suraulus, eſt id indiuiduum Theophraſto, & ſimplex, quod ex ramis uel caudiæ oritur, qui etiam frondes gerit: nihil enim prohibet quin ramus & frondes & ſuraulos producat. Græcis autem κλάδος dicitur, quale præcipuè (inquit Theophraſtus) germen annotinum apparet. Vnde ſuraloſi rami Plinio appellantur, ſuraulis referti.

Malleolus, ſuraulus eſt utrinque capitatus è duro. Cic. de Senect. Malleoli, plantæ, ſarmenta, uites, traducs, &c. Columella malleolarem uirgam appellat, quam ait non amplius quàm ſex gemmarum eſſe debere. gemma autem quid ſit, quid item malleolus, draco, &c. in Vineto noſtro latius docebimus: hæc enim ad uitem magis pertinent uocabula.

Oculi in arborum ſuraulis dicuntur, unde germen producũt, ſiue germinant, des oeilletons: atque hinc inoculatio, quam propriè emplaſtrationem uocat Columella,

cùm oculus surculi aperitur, ut alterius arboris oculum intus inseramus: cuius rei ratio sequenti capite diffusius à nobis explicabitur.

Gemma, idem quod oculus: frequentius autem est apud rusticos: quod nomen ut formarent, translatione sumpta à lapillis pretiosis, necessitas cœgit, inquit Quintilianus lib. 8. & Cicero 3. de Oratore. Virgil. Et læto turgent in palmite gemmæ. Itaque gemma si in arboribus sit, uulgus nostrum uocabit des boutons: & gemmare arbores dicet uulgus boutonner: quod & gemmas agere dicit Columella lib. 6: & gẽmascere lib. 5. cap. 10. Vnde bigemmes & trigemmes palmites appellat. Si autem in uitibus fuerit gemma, uulgus nostrum appellabit vn bourion: & gemmare uites dicet bourionner, quod Virgilius dicit trudere gemmas, 2. Georgicorum,

Sed trudit gemmas, & frondes explicat omneis.

Germen autem est id quod ex ipsis arborum surculis primo uere exit, ex quo deinde folium producitur. nam gemma propriè floris est, quanquam utrunque confundatur. Plin. Densante se frondium germine. Vnde germinare dicuntur arbores primo uere, cùm germina emittunt. Columella, Primo uere antè quàm germinent arbores, deponito: ac ne tinea molesta sit seminibus ficulneis, in imum scrobem demittito.

Folium, est id in planta uel arbore, quod humore & carne constans, ipsam arborem uel plantam uestit atque exornat: quod Græci φύλλον appellant, sine quo arbores ipsæ & plantæ propemodũ nudæ apparent, ut cùm folia decaderunt per autumnũ. Vnde folia agere dicitur arbor, cùm folia producit. Colum. Simulatq; folia agere cœperint ficus. Quinetiã dicitur propriè Plinio lib. 15. ca. 29,

folium patulum, minutum, dẽsum, large, menue, espesse fueille.

Pediculus uerò, siue Petiolus, *est id quo folium, flos, uel fructus dependet.* La queue. *Plin. Tutiores sunt fungi cum carne cocti, aut cum pediculo pyri. Columella, Cùm iam matura mala fuerint, antè quàm rumpantur, petiolos, quibus pendent, intorqueto.*

Flos, ipsarum arborum & plantarum gaudium, unde postea fructus oritur: éstque id, inquit Theophrastus, *quod ipsis plantis & arboribus à natura accommodatur ad fructum.* La fleur. *Vnde florere & floresœre dicuntur ipsæ arbores, cùm uere nouo flores emittunt, & conspicuè apparent.*

Fructus quid sit omnes norunt, constátque carne & semine, atque etiam cute, quam uulgò appellamus plure. *Plinius putamen uocat lib. 15. cap. 22,* Sola, *inquit, differentia generum in putamine duro fragilíue & tenui, loculoso & simplici. Sed à fructu, fructificare & fructiferæ arbores dicuntur, quæ fructum emittunt, decidente prius flore. Quo in loco pueris id obiter aperiam, eleganter & propriè dici, arbores fructu indui, cùm fructum emittunt, & palmites fructibus onustos gerunt. Columella lib. 5. cap. 5, Quia quòd pars palmitis præcipitata est, fructu induitur. Qua ratione etiam terra segetibus indui dicitur apud Plinium. Virgil. 1. Georg.* -*cùm se nux plurima syluis Induet in florẽ. Hoc est, florem emittet & floresœt. Quin & ex arboribus ipsis, fructu onustis, colligere fructum & decœrpere fructum, eleganter dicimus: atque etiam percipere fructum ex ipsis. Plinius lib. 15. cap. 1, Hesiodus negauit oleæ satorem, fructum ex ea percœpisse quenquam. Item etiam fructu arborem spolia-*

re, dicere possumus, & eleganter.

Sed quoniam quædam sunt peculiaria parturientis arboris indicia, quæ nec fructus, nec floris nomen habere uidentur, de ijs etiam cum fructibus nobis est dicendum.

Cachrys Græcis, Latinis (inquit Barbarus) amentum. sunt autem cachryes, sublonga paniculorum modo nucamenta, quæ squamatim compacta propendent è ramis. Crescunt autem potissimùm hyeme, & uere debiscunt in flaueſcentes squamulas, & prodeunte folio caduca pereũt. qualia in lariæ, picea, platano, iuglande, tilia, abiete, & aliis permultis uidere licet.

Gallæ autem à Græcis κηκίδες dictæ, arboribus omnibus glandiferis communes tantùm & propriæ sunt, cuiusmodi sunt quercus. Noix de galle.

Iulus, auellanæ nuci uel corylo prorius: éstque id quod, ueluti prælongus uermis, singulari pediculo pensile nititur, & fructum præcedit. Plin. lib. 32. cap. 29, Ferũt & auellanæ iulos suos compactili callo ad nihil utiles.

Paniculæ, inquit Barbarus, sunt ueluti nucamenta quædam quæ in ramis arborum, resinam fundentium, callo squamatim compactili dependent, ut in lariæ & piceæ arbore: cui paniculæ uicæ floris insunt, eásque Græci κωνάρους appellant. Plin. lib. 10. cap. 10, E' ramis piceærum arborum, instar paniculorum, nucamenta squamatim compacta dependent. Panicularum enim nomine significantur ferè quæcunque sublonga uel subrotunda tumescunt effigie. Hinc comas etiã muliy, panici, arundinis quoque, paniculas appellat idem Plinius, quas Græci antheles uocant.

Nucamenta uerò generalius quiddam sunt, quàm paniculæ, & propria sunt arborum nuces ferentium: dicta

nucamenta, uel quòd apertissimè in nucibus propendere uidentur, inquit Ruellius: *uel quòd sunt œu rudimenta quædam naturæ, pineam nucem facere condiscentis: ea etiam κώνεαρα Græcis dicuntur. Cætera quæ ad fructus arborum pertinent, suo loco, nempe post arborum nomina, declarabuntur, ut instituimus. Sed iam redeamus ad eas partes arborum quæ supersunt declarandæ: quanquam tamen nescio an tam iustè partes appellari debeãt, quàm eæ quæ superius explicatæ: nam hæ etiam interdum arbuscularum nomen promerentur.*

Viuradiæs, *inquit* Budæus, *dicuntur plantulæ arborum, cum sua radiæ translatæ, Græci* φυτευτήρια *uocãt.* Colum. *lib.* 3. *cap.* 3, Vt *non inuiti* HS. DC. *nummis singulis, singula millia uiuiradicis à me rustici mercentur.* Plin. *lib.* 17. *cap.* 23, In *arbusto è prædictis sola uiuiradicis ratio.*

Tradux, traducis, *uiuiradix uel plãta aut semen arboris, uel etiam uitis, aliò inde tractum & propagatum.* Colum. *lib.* 5, Si *tradux traducem non contingit, media uirga inter eas deligetur.*

Talea, *frustum ligni aut arboris, ut oleæ uel salicis, præcisum ex utraque parte, ut in terram deponatur.* Varro 1. *de re rust. cap.* 40, Demum *in oleagineis seminibus arbores uidendum ut sit de tenero ramo ex utraque parte æquabiliter præcisum, quas alij clauolas, alij taleas appellant. Ita enim quædam arbores conseri solent, nempe taleis cubitali uel pedali magnitudine utrinque præcisis, quæ Græcis* ξύλοι, *uulgò plantalia dicuntur. uulgus nostrum uocat* vn troncon. Et *serere taleis*, affier par troncons. Plin. *lib.* 17. *cap.* 17, Myrtus *& taleis seritur: morus talea tantum, &c.* Quo *in loco multa de talearum*

satu uidere poteris. Colum. lib. 5. cap. 9, Taleæ deinde sesquipedales serra præcidantur, atque earum plagæ utraque parte leuentur.

Calamus autem appellatur id quod ramo alicuius arboris inserere solemus, vne greffe. Plin. lib. 17. cap. 14, Ideo lachrymantes calamos inseri non oportet. Vnde uulgare uocabulum apud Italos, incalmare, pro inserere, enter. Calamus alioqui tessera siue tessella appellatur Plinio: Quidam, inquit, huic generi miscuere fissuram in uitibus exempta cortiæ tessella, surculo à latere plano adigendo. Columella insitum appellat lib. 4. cap. 29, Tum quod ex insito profundit, subligandum.

Virgulta appellat Virgilius, quæ quibusdam uulgò plantalia, aliis semina appellari placuit: nonnulli etiam palmites uocant: nempe surculos eos qui terræ committuntur, ut in arborem insurgant.

-quæcunque (inquit ille) promes uirgulta per agros,
Sparge fimo pingui. Virgas interdum appellant Plinius & Columella, interdum etiam uirgas malleolares.

Stirpes arborum dicuntur quæ sua sponte proueniũt, inquit Columella lib. 3. cap. 17: sũtque ueluti palmites solidiores & trunci. Virgilius,

Inde ubi iam ualidis amplexæ stirpibus ulmos
Exierint. Vnde stirpare & extirpare uerba. Colum. Omnis deinde soboles, quæ ex uno stirpe nata est, quotannis extirpanda est. Et stirpitus aduerbium, quasi radicatus.

Turiones Columellæ dicuntur, teneritates summitatum ipsarum arborum, quæ singulis annis crescunt. uulgus nostrum uocat des sions.

Flagella uerò dicuntur cymæ arborum, & ipsarum

ſummæ partes, quæ ad cuiuſcunque uenti flatum mouẽtur: unde etiam nomen traxerunt ab eo, quòd flatibus petantur. Le menu bois du feſte de l'arbre. *Virgil.*

-néue flagella Summa petæ.

Sed hæc de partibus arborum, quæ potuimus adſequi, ſint ſatis. plura qui uolet, ab ipſis authoribus petat: difficillimum eſt enim unius diligentiam id præſtare poſſe, quod alioqui multorum labor conſequi ſolet. Nunc ad uocabula, ipſarum arborum culturam & ornatum ac curam exprimentia, deſcendamus: ut pueri ſaltem dum probatos authores legent, omnia quæ de hac re tractabuntur, facilius intelligant. Poſt hæc autem ad ipſarum arborum nomina & fructus, ſermonem tranſferemus.

VOCABVLA AD ARBORVM CVLTVRAM ET INSITIONEM PERTINENTIA.

Fuerit & hæc quidem pars, noſtro iudicio, pueris admodum neceſſaria, tum ad probatos authores intelligendos, tum etiã ad faciliorem & magis abſolutam eius rei, quæ de arboribus tractat, cognitionem. Neque enim id æquum nobis eſſe uidetur, pueris arborum nomina tradere, prius quàm & quid ſit arbor, & quæ ſint arboris partes, quæ etiam ſint uocabula arborum culturæ propria, compertiſſima habeant: perinde enim eſſet, ac ſi rei alicuius nomen probè tenerent, rei autem ipſius naturam & uſum propemodum ignorarent. Nam quid quæſo eſſet ineptius, quàm rhetoricæ aut dialecticæ nomina cognoſcere, ipſarum uerò artium uſum ac rationem incompertam habere? Id enim etiam uulgus imperitum no-

uit. Mallem utique, atque id quidem utilius mihi uideretur, rei alicuius usum, uel utendi rationem callere, ipso tamen nomine ignorato. Atqui non ita nobiscum agetur: nam etiam nomina ipsa arborum describemus. Sed præponenda est, ut dixi, ipsarum conserendarum ratio: non tamen res ipsa, ne putetis: nam agricolæ non sumus. Præterea multos habetis, qui id fusissime tractauerunt: sed tantùm uocabula, quibus utuntur ij, qui rei ipsius rationẽ conscripserunt. Itaque rem aggrediamur, & ab ipsa arborum dispositione incipiamus, quam ueteres obseruauerunt.

Serere arbores, Plãter. Columella, Arbores rarijs interuallis serito. Has enim certo ordine serebant antiqui, quemadmodum hodie quoque obseruari uidemus, non solùm oblectamenti gratia, sed ut liberius, & æquale terræ alimentum recipiant, & rami se in uacuum non extendant. Vnde illud Virgilij 2. Georgicorum,

Omnia sint paribus numeris dimensa uiarum:
Non animum modò uti pascat prospectus inanem,
Sed quia non aliter uires dabit omnibus æquas
Terra, nec in uacuum poterunt se extendere rami.

Itaque per ordinem, & paribus mensuris disponebantur arbores in seminario, & certis interuallis ipsos ordines distinguebant, quæ illi interordinia appellarunt. Serere etiam, plantare dicitur. Plin. lib. 17. cap. 10, Hoc modo, inquit, plantantur punicæ. nam & planta eidem authori pro uiui radiæ uel semine sumitur, lib. 17. cap. 15, Satiuæ (inquit) plantæ, syluestrium radicibus inseruntur, natura siccioribus. Syluestres plantas appellat, quas uulgus nostrum uocat, des sauuageaulx. Satiuas autem, des plantes franches. Sed & illud omittendum non est, si-

gere humo plantas feraces, apud Virgilium quarto Georgicorum, eleganter id significare, quod uulgus nostrum dicit affier, ou afficher, ou piquer des plantes fertiles. Quod etiam ponere dixisse uidetur Columella lib. 11. cap. 2 : Plantásque ulmorum (inquit) nunc ponere utile est.

Metare arbores aut uineas, est disponere, & certis mensuris atque etiam ordinibus serere : uulgus nostrum uocat reonner. nam ordines ipsos, appellat des reons: & interordinia, des reses: solum autem ipsum, le gueret. Vnde metatores dicebantur ipsis antiquis qui arbores ita disponebant, des reonneurs. Plinius lib. 18. cap. 33, Hunc oliueti metator uergiliarum quatriduo, hunc caueat insitor calamis, gemmísque inoculator. Quæ duo postrema uocabula nunc primùm declarabimus. Vnde etiam uinearum metatio dicta Columellæ lib. 4, Hæc (inquit) in quincuncem uinearum metatio expeditissima ratione conficitur.

Disponere autem arbores, uel etiam uites in quincuncem, reonner les arbres ou sauuageaulx en ordre de cinq a cinq par bonne mesure, ou en eschiquier, est (inquit Bayfius) quando secundi ordinis arbores ad primas paribus interuallis sic disponuntur, ut figuram quincuncialem seruare admodùm uideantur. Plinius libro 17. capite 11, In disponendis arboribus arbustísque ac uineis, quincuncialis ordinum ratio uulgata & necessaria : non perflatu modò utilis, uerùm & aspectu grata, quocunque modo intueare, in ordinem se porrigente uersu.

Est autem figura quincuncialis, eius figuræ quæ decussim antiquis significabat, media : fiebat decussis ad

X litteræ

X literæ figuram, quæ figura apud Latinos, decem significat. Columella lib. 3. cap. 13, Nã duas regulas ei² latitudinis, qua pastinator sulcũ facturus est, in speciem Græcæ literæ X decussauimus, atque ita mediæ parti, qua regulæ committuntur, antiquam illam cuneam infiximus.

DECVSSIS.



QVINCVNX.



Cæterum decussis figura si per mediũ secetur, remanebit V nota: quæ quinarium numerum, atque adeò quincunce demõstrat. Sed hæc quidẽ multoties tum superius, tum etiam inferius multiplicata figuram facit quæ quincuncialis appellatur, ut in margine descriptum uides. Itaque ordines in quincuncem dispositi, æqualium laterum trianguli rationem seruant, & obliqui, non autem directi apparent. Cæsar libro septimo, Ante hos obliquis ordinibus in quincuncem dispositis, scrobes trium in altitudinem pedum fodiebantur. Scinditur enim terra (inquit Columella libro quarto) more noualium, transuersis aduersisque sulcis, dum uitis per denos pedes in quincuncem disponitur. Quo in loco multis uerbis explicatam poteris legere disponendarum in

QVINCVNCIALIS ORDO.



quincunœm arborum rationem, & quo pacto ſpatia & interordinia fieri debeant: & creta, aut purpura, uel alio quouis colore conſpicuo ſignari, ea propemodum forma quæ ſuperiori figura deſcripta eſt. Itaque falli plurimùm uidentur qui quincunœm directis ordinibus fieri debere putant. Neque uerò audiendi ſunt, qui duo loca proferunt in ſuam ſententiam: alterum Ciceronis in Catone Maiore: alterum Quintiliani lib. 8. cap. 3. nam ea quidem ita intelligi non debent, quemadmodum ipſi autumant, ut ſtatim oſtendemus. Locus Ciceronis ſic habet, de Cyri regis Perſarum deliciis: Cùm, inquit, admiraretur Lyſander & procœritates arborum, & directos in quincunœm ordines, &c. Hoc eſt, rectè diſpoſitos: non autem ad rectam lineam ordinatos. Sed & Quintiliani locus ſic etiam habet, ubi de orationis ornatu ſcribit, ſumpta metaphora ab ipſarum arborum in quincunœm diſpoſitione: Quid enim (inquit) illo quincunœ ſpecioſius, qui in quamcunque partem ſpectaueris, rectus eſt? &c. Non ita ſanè legunt antiquiores & emendati codicæs. Sed hoc pacto potius, Quid enim illo quincunœ ſpecioſius? Quid, in quamcunque partem ſpectaueris, rectius, hoc eſt ordinatius, & magis rectè diſpoſitum? non autem, ad rectam lineam, ut illi putant: quanquam & obliqua & tranſuerſa figura rectis lineis cõponantur. Non ibo tamen inficias quin quincuncis figura etiã alio pacto ſumi & intelligi poſſit: cuius rei admonuit nos Lazarus Bayfius, incredibilis eruditionis uir, atque id ex Voluſii Metiani authoris antiquiſſimi ſententia: cuius de quincunœ opinio eſt, ut quinque punctis figuretur hoc pacto, ⁘ Quod ſi uerum eſt, profectò conſerendarum in quincunœm arborum rationem ita intelligemus, ut plures huiuſmodi

quincuncæ in longum producti, unum ordinem fæcrent: interordinium autem appellaretur, id quod inter ipsos ordines rectum utrinque cõspiciebatur.

Circunfodere arbores aut uites, est cùm, æstate potissimum, aridam iam terram, neque satis humidam, circunquaque effodimus usque ad ipsas radices, atque huius ablatæ terræ loco humidiorem & crassiorem iniicimus, præsertim in ijs arboribus quæ per hyemem ablaqueatæ non fuerant. Vulgus rusticorum uocat Bescher au pied, ou bescheter a l'entour des racines. *Colum. lib. 11. cap. 2, Arbores quoque tempus est ablaqueatas circunfodere & operire. Plin. lib. 17. cap. 18, Circunfodi autem omnibus annis à solstitio duûm cubitorum. Vnde circunfossor apud eundem, & circunfossura: Cupressus, inquit eodem loco, cap. 26. aspernatur circunfossuram.*

Circummunire plantas arborum caueis, est ipsas plantas uel spinis uel palis circumpositis munire & sepire, ne à pecore corrodantur, & boues ipsas corrumpant. Encaiger ou entourer les plantes d'espines, ou aultres choses de peur bes bestes. *Colum. lib. 5. cap. 8, Optimum est etiam constitutas plantas circummunire caueis: deinde constitutum iam & maturum oliuetum in duas partes diuidere, quæ alternis annis fructu induantur.*

Ablaqueare arbores, deschausser, *est hyeme potissimũ, terra defossa, superuacuas radices, quæ per æstatem succreuerant, abscindere, ne mutili propagatione succum ipsi matri necessarium eripiant: cuius rei rationem & modũ latissimè docet Columella lib. 4. cap. 8. Dicta ablaqueatio à lacubus siue lacusculis, qui fiunt dum ipsas radices amputamus. Columella loco superiori, Aut (inquit) hyemalis, quæ ex pluuijs consistit, in lacusculis ablaquea-*

tionis aqua, brumæ congelationibus noua uulnera peruret. Plinius, Myrrha *gaudet rastris & ablaqueationibus. Cæterùm orbem ablaqueationis appellat Columella, fossuram siue fossionem illam, quæ circum ipsam arborem in orbem fieri solet, libro 4. cap. 4. Nam dum exaltare (inquit) fortius orbem ablaqueationis fossor studet, obliquam uitem plerunque sauciat.*

Aggerare arbores, uel etiam aggerare terram circa arbores, est quum post hyemem, instante iam æstate, terram circunfundimus, & ueluti circummunimus ipsas arbores optima terra, ne calore nimio radices exaresçant: uulgus nostrum uocat rechausser. *Columella*, Omnes *arbores fructiferæ circunfossæ aggerari debent. Idem de arboribus*, Stercoratam *terram circà aggerato. Idem lib. 11. cap. 2, operire pro eodem sumere uidetur: Arbores quoque (inquit) tempus est ablaqueatas circunfodere & operire. Idem ibidem, adobruere pro eodem sumpsit: Omnes (inquit) arbores quæ fuerant in segete, circunfodere & adobruere oportet. Hoc est, terra multa sepelire, ut non appareant trunci.*

Facere scrobem, aut fodere, est foueas facere, in quibus arborum surculi depangantur & demittantur in seminario. Faire les fosses pour planter & piquer des sauuageaulx. *Columella lib. 5. cap. 9, At si eodem anno & scrobem facere, & arbores serere uoles: minimùm ante duos menses scrobes fodito. Virgilius subigere scrobes dixit. Cato autem capite 27. dixit muertere scrobes, pro eodem: Scrobes, inquit, muertito oleis, ulmis, uitibus. Sunt autem scrobes, fossiones, siue foueæ intra terram manu factæ, ad uineas uel arbores conserendas. Vnde scrobiculi per diminutionem,* petites fossettes. *Plinius libro 21, At-*

que in scrobiculis seruntur, hominis fœcæ circunfusis. Incilia uerò (ut hoc etiam obiter dicamus, quando sese offert ipsa res) sunt fossæ ad deducendam circa ipsas arbores aquam factæ, quas ab elicienda aqua, dictas fuisse incales fossas Festus autumat. Vnde incilia excitare, pro huiusœmodi foueas facere, dixit Columella lib. 3. cap. 11, Si olea (inquit) in cliuo sit, incilia excitentur, quæ limosam aquam ad radicem deferant.

Delibrare arbores aut uites, dicuntur agricolæ, cùm ipsum cortiœm aut exesum, aut aridum, & uermibus, aut alio quopiam uitio inquinatum, tollunt, ut melius ipsæ quasi sordibus liberatæ conualescant. Columella lib. 4. cap. 24, Cortex quoque aridus fissúsque per summa trunci dependens, corpore tenus delibrandus est. Escorcer, oster la peleure.

Surculare plantas uel arbores, est surculos adnascentes ex ipsis arboribus adimere, & taleas præcidere ex nouellis ramis, quas seminario conserere possimus. Tailler des scions, ou des troncons pour planter, ou afficher ailleurs. Columella libro 5. capitæ 9, Atque etiam rigandæ sunt plantæ, cùm siccitates inæsserunt, nec nisi post biennium ferro tangendæ: ac primò surculari debent, ita ut simplex stylus altitudinem maximi scrobis excædat. Quo loco quidam, & fortassis rectius, legunt saxulari, hoc est saxulo purgari, quod est instrumentum rusticum. Idem tamen author libro 12. capitæ 47, insecare pro surculare, sumpsisse uidetur: Quidam (inquit) oleas non contundunt, sed acuta falcæ insecant. Ils la taillent auec la sarpe. Nam falcis rusticæ figura propemodum eadem est cum instrumento uinitorio, quod uulgus nostrum uocat vne sarpe.

Cuius descriptionem & figuram Columella recensuit lib. 4. cap. 25.

Frondare arbores, esbrancher: fitque interdum utilitatis gratia: nempe ut agricola ex frondibus arborum superuacuis, manipulos faciat: interdum etiam ut arbores ipsæ frõdium multitudine non obruantur, & fructum uberiorem ferre possint. Virgilius, fronde leuare dixit:

-omne (inquit) leuandum Fronde nemus. Hoc est, frondibus superuacuis spoliandum. Hinc frondator dictus, inquit Seruius, qui arbores amputat, & è frondibus manipulos facit hyemis tempore, animalibus ad pastum offerendos. Plinius lib. 18. cap. 31, Vnus frondator, quatuor frondarias fiscinas complere in diem iustum habet. Hinc etiam frondatio dicta, ipsa frondium amputatio. Columella, Atque in frondatione (inquit) cauendum ne prolixiores pollices fiant qui ex amputatis uirgis relinquũtur.

Attondere & interradere arbores uel uites, est luxuriei comprimendæ causa, cacumina flagellorum confringere: sic enim loquitur Columella lib. 4. cap. 27, Qua ratione firmiores (inquit) arbores & feraciores fiunt. Plinius, Oleæ attondentur, sicut & uites, atque etiam interradi gaudent. Quod interlegere dixisse uidetur Virgilius, & frondes manibus carpere:

Ipsa acie (inquit) falcis nondum tentanda, sed uncis
Carpendæ manibus frondes, interque legendæ.

Quod etiamnum interpurgare dixisse uidetur Plinius lib. 18. cap. 26, Ficus interpurgari, seminaria fieri, &c. Decacuminare etiã dixit Columella lib. 5. cap. 6, Decacuminanda, inquit, est iuxta ramulum, qui uidetur nitidissimus.

Castrare arbores, uel arundineta, aut uites, est, inquit

Columella, intercidere & disrarare. Ait enim lib. 4. cap. 32, Sed illud de integro refodi debet, hoc potest interci di & disrarari. quod opus rustici castrationẽ uocant: Plinius deputationem uidetur appellare lib. 17, & Cato cap. 50, interputationem. Vnde etiam putare arbusculas dixit Columella: Arbusculæque (inquit) ficorum in seminariis putari, & ad singulos stylos redigi debent. uulgus nostrũ uocat esmonder.

Exturbare arborem, est herbas quæ circunquaque adnascuntur, auellere: ut melius terræ alimentum capiat. Curer. Hoc uerbo utitur Columella lib. 4. cap. 31. Quod & sarrire dixit Plinius lib. 17. cap. 10.

Interlucare ramos arborum, dixit Plinius lib. 17. cap. 23. pro eo quod est, ramos seu germina inutiliter pullulantia, cum interuallo resecare, ut solem & lucem alij rami possint recipere: quod uulgus nostrum uocat bailler iour, ou bailler sollaige. Et à lucæ deductum uidetur uocabulum, quòd locus unde cæduntur rami uacuus, lucem aliis ramis præbeat: uel quòd decidantur uel intercidantur rami, lumini officientes. Vnde interlucatio apud eundem cap. 27, Interlucatio (inquit) arboribus prodest, sed omnium annorum trucidatio inutilissima. Eadem etiam colluuatio dicitur. Colum. lib. 2. cap. 22, Neque terram aperire, neque arborem colluuare. Colluuationem in syluis profanis fieri Varro refert, cùm rami recidebãtur officientes lumini, uel etiam interdum ipsæ arbores. Essarter. Cato cap. 139, Lucum colluuare Romano more sic oportet. Subluuare quoque in eodem significatu posuerunt antiqui. Subluuare autem arbores (inquit Festus) est ramos earum supputare, ac ueluti subtus lucem mittere.

Cædere arbores, couper: hoc est resecare, eruere, præ-

cidere, & ex ijs detrahere quod nobis utile futurum speramus, cùm percreuerunt, uel ad asseres ex pyris & nucibus aut quercubus faciendos, uel etiam ad materias domuum & ædificiorum. Columella lib. 4. cap. 21, Si culta, quarto demum anno cæditur. Vnde titulus est apud Palladium, De materie cædenda. Id etiam Varroni detruncare dictum est: hoc est, usque ad truncum resecare.

Transferre arbores ex seminario in arbustum, est quod uulgus nostrum transplantare dicit, transplanter. Plinius lib. 17. cap. 11, Plantas ex seminario transferre in aliud, prius quàm suo loco ponantur, operose præcipi arbitror. Ibidem, In arbustum quinquennes sub urbe transferunt. Hinc traduces dictæ pro seminibus quæ traducuntur & transferuntur: de quibus superius in partibus arborum. Nunc ad insitionem ueniendum.

Inserere arbores, est surculo unius arboris ingeniose detracto, & in aliam commisso ac conglutinato, ipsarum arborum naturam ita immutare, ut eas ueluti cogere uideamur tales fructus producere, quales surculorum natura proferre solet: uulgus nostrum appellat enter. Itali, ut prius diximus, à calamis qui inseruntur, sumpto uocabulo, incalmare dicunt. Plinius, Semine quoque inserere natura docuit, &c. Vnde etiam insitum appellat idem author, vne ente. Quædam (inquit) in plantario insita, eodem die transferuntur. Fit autem hæc insitio hodie duplici ratione, quam etiam refert Plinius lib. 17. cap. 14, Aut enim truncus arboris leniter finditur, cuneo tenui fissuram custodiente admoto, donec cuspidatim decisus descendat in rimam calamus. Atque hæc quidem inserendarum arborum ratio uulgò uocatur, enter en fente. aut etiam inter cortiem lignúmque surculus inserebatur, qui

primus insitionis mos fuit: qui hodie quoque dicitur enter en escorce. *Sed de uariis arborum insitionibus uideto Columellam lib.5.cap.11.*

Alia est præterea inserendarum arborum ratio, quã Plinius & Columella inoculationem uocant: nempe cùm gemmam uel oculum unius arboris includimus in sinum & nodum gemmæ alterius, expulso cortice. uulgus nostrũ uocat enter en bouton. *Inoculatio, inquit Plinius, rores amat lenes.*

Est & alia insitio, quam emplastrationem uocant superiores authores: atque hanc scutulatam insitionem appellare possumus ex Plinio. Vnde etiam uulgus uocat enter en escuſſon: *Exempta enim scutula, inquit ille, (sic enim uocat quod postea emplastrum dixit) cortici imprimitur ex alia cortex par, cum sui germinis mamma: sic compage densata, ut cicatrici locus non sit. Atque hæc quidem emplastri ratio, inquit idem, ex inoculatione nata uideri potest: crasso tamen maximè cortici conuenit, neque paruus & minutis arboribus propria est, & æstate potissimùm fieri solet: aliæ autem duæ insitiones, hyeme uel uere. Columella tamen lib.5. cap.11, eandem esse inoculationem cum emplastratione contendit: Plinius uerò, Fertilissima (inquit) omnium inoculatio, postea emplastratio: & inserere firmissimum, fœcundiúsque quàm serere.*

Neque uerò omittenda est serendarum arborum ratio, quæ taleis fieri solet. Est igitur taleis serere, quod uulgus rusticorum dicit, picquer ou afficher. *sunt enim arbores permultæ, quæ ita seri gaudent: quemadmodum oliuæ, saliçs, & huiusçmodi. Vnde inhumare taleas,* enterrer les plantes: *& demittere taleas,* coucher les scions,

dixit Plinius. Præterea, muscum talearum radici circundare, mettre de la mousse autour de la racine. Atque hæc de arborum culturæ uocabulis sint satis. Plura qui uolet, ex ipsis authoribus colligat. Nunc ad ipsa arborum & fructuum nomina ueniendum.

POMARIVM.

Requirit etiam hæc pars suum ordinem, nequid indistinctum aut indispositum sit, quapropter puerorum ingenia confundi atque etiam offendi possint. Ipsa igitur arborum & fructuum nomina explicaturis (quæ res ut est sanè difficillima, ita facilem & benignum lectoris animum expostulat) dicendum erit nobis de arboribus fructiferis, quæ, ut inquit Plinius lib. 12. cap. 3. in incolarum numero esse cœpere: hoc est, cœperunt excoli & conseri apud nos, utilitatis & fructuum gratia. Atque ut id quidem faciliori dicendi ordine persequamur, faciemus primùm pomarium, in quo per certos ordines, varias arborũ fructiferarum species disponemus: quarum nominibus explicatis, statim etiam fructus ostendẽtur. alienum enim esset fructus ipsos à suis arboribus seernere. Exinde uerò poterimus Oliuetum è pomario diuidere, quando rei difficultas & necessitas expostulat: cui tamen Fœtum coniungemus prius, quàm de moris, cornis, & mespilis à nobis dicatur. Veniendum postea erit ad nuces, post quarum explicationem, Seminarium nostrum claudendum erit. Nã Castanetum in Syluam differemus: post quam etiam Frutetum subnectemus. In eam uerò Syluam maiorum arborum nomina referenda erunt, & quæ in syluis potissimùm ac nemoribus crescere solent: quam statim abso-

luto Seminario, post Vinetum tamen, sumus uobis daturi. Salictum uerò post Pratum uobis dabitur: nam is est Salicto commodior locus.

Sed prius quàm Pomarium nostrum aggrediamur, hoc unum uos admonebo, æqui ut sitis & beneuoli. neque uerò mihi id uitio detis, siquando uel per imprudentiam, uel fortassis ignorantiam (fatendum est enim quicquid in homine est) aberrauero: aut si interdum Latinis Gallicæ dictiones non tam eleganter respondebunt, quàm fortassis cuiquam uestrûm uidebitur. Id si acciderit ut animaduertatis, faciles uos esse uelim: neque tam citò obstrepere, ut calumniatorum potius quàm studiosorum nomen incurratis. Tam est enim difficile omnibus ingeniis in hac re satisfacere, quàm difficile & laboriosum esset uelle incertissima quæque omnibus certissima facere. Audebimus tamen, neque quenque audiemus, qui dicat, ea nos à bonis authoribus desumpsisse, & doctorum diligentia plurimùm adiutos, laudem ex aliorum laboribus & uigiliis captare uelle. Eant illi, & sibi tantùm inuideãt, non etiam aliis. Quicquid enim à bonis authoribus desumpsimus, id quidem non fatebimur modò, uerumetiam ipsos tanquam authores adducemus. Quicquid doctorum diligentia & labor nobis præstitit, ceu ijs quibus per ætatem iudicium nondum est satis expurgatum: id ne tacebimus quidem, atque ipsis etiam inuitis gratiam referemus, adscripto dignitatis & honoris nomine. Quòd si fortassis tam rusticus támque syluanus, ut sic dicam, fuerit quispiam, ut etiam nominis sui & authoritatis grauitatem nolit omnibus prostitui, taceat per me licet, & sua ueluti arcana quædam apud se contineat, aut ipse scribat, & suam sibi gloriam suis uigiliis paret. Quinetiam

ijs suo colloquio, sua eruditione, quantum uolet, interdicat, quorum ingeniis plurimùm prodesse putet. Qui tamen animus, utinam in uiro literato non esset, in quo nihil modestiæ desyderari alioqui deberet. Sed iam ad nostrũ pomarium.

Pomarium quid sit, ferè omnes norunt: est enim locus pomis arboribus consitus, & in quo semina pomorum depanguntur. Vne pommeraye. Columella lib. 5. cap. 10, Locum pomarij prius quàm semina seras, circunuenire macerius oportet. Pomorum autem nomine, non solùm arbores, mala dulcia ferentes, quas nostri uocant des pommiers: neque tantùm mala ipsa dulcia aut acerba comprehenduntur, sed etiam arbores omnes, fructus rotundos ferentes. item fructus ipsi, siue molli, siue etiam duriori putamine contecti fuerint. Plinius de nucibus, Solum hoc (inquit) pomum natura compactili operimento clausit. Itaque pomaria, non solùm loca significabunt, malis dulcibus consita, & quibus mali nomen solis conuenit: sed etiam alijs fructibus, ut persicis, pyris, & id genus. Columella, Curandum est (inquit) ut quàm generosissimis pyris pomaria conseramus. Erunt igitur pomaria, loca amœnitatis gratia, uarijs arboribus, fructus etiam uarios & orbiculatos ferentibus, consita: qualia erant Atlantis, de quibus Ouidius 4. Metamorphoseos,

Id metuens, solidis pomaria clauserat Atlas
Mœnibus. Quorum studiosissimus & diligentissimus cultor fuerat etiam Alcinous rex Phæacum. Vnde Alcinoi syluã, Virgilius in Georgicis pro pomarijs dicit. Pomariorum insuper nomine, ut ipsam significationem absoluamus, locus intelligitur in quo poma reponuntur. Le guernier aux pommes. Plinius, Pomaria in loco frigido ac

ſicco contabulari, ſeptentrionalibus feneſtris ſereno die patere, &c. Græci oporotheeam appellant. Varro 1. de re ruſtica, cap. 59, Et ideo oporotheeas qui faciunt, ad aquilonem ut feneſtras habeant, atque ut aere perflentur, curant.

Sed ne quis dictionum uicinitate, & ueluti conſonantia decapiatur, ut pro pomario pomœrium dicat: ſciat ex Liuio pomœrium, locum eſſe circa murum, quem in condendis urbibus quondam Hetruſci, quà murum ducturi erant, certis circa terminis inaugurato conſcribebant. Vnde Feſtus pomœrium dictum putat, quaſi promurum, id eſt, proximum muro: Varro autem, quòd eſſet poſt murum, dictum pomœrium autumat. In eadem ſententia eſt & Liuius, Nam & hoc (inquit iſte) ſpatium quod neque habitari, neque arari fas erat, non magis quòd poſt murum eſſet, quàm quòd murus poſt id, pomœrium Romani appellarunt. Redeamus ad noſtras arbores & fructus, quos noſtra ætate in pomarijs reperimus.

INCIPIEMVS à malo arbore, quæ Græcis melea dicitur, vn pommier: cuius fructus, malum appellatur: Græcis melon, vne pomme: ſumítque uarias ſecum appellationes tum à forma, tum etiam à ſapore, & locis in quibus creſcit, ut poſtea declarabimus.

Pomi autem nomen (inquit Barbarus) generalius eſt, complectitúrque quicquid apud Græcos opora continet: hoc eſt, quicquid nihil habet exterius lignoſum: nam ea quæ exterius lignoſa ſunt, Græci acrodrya uocant: qualia ſunt, malum punicum, piſtacia, caſtaneæ, nuces, & id genus permulta. Vtrunque autem genus, ſalgami nomine complectuntur Latini, à quo ſalgamarius. Seruio

poma dicuntur quæcunque cortio molliore tecta sunt, in quo à nucibus differunt, de quibus suo loco. Pomum *autem dictum* Varro *putat, quia potu siccitatibus indigeat, ac de pomo arbore intelligit: nam fœminino genere si proferetur, quemadmodum & malus & pyrus, arborem denotat: si autem neutro, fructum ipsum, ut hoc etiam puerorum causa dictum sit.* Inordinata folia sunt pomis, *inquit* Plinius *lib.* 16.

Malorum igitur nomine complectemur omnes illos fructus, quos uulgò uocamus des pommes: hoc est, quicquid id quod esus est, foris habet: nisi quid aliud addatur, significationis gratia: uel à sapore desumptum, uel à loco, uel etiam à figura. de quibus differentiis proximum est ut dicamus, non tamen omnibus, ne quis decipiatur: nam omnes recensere infiniti propemodum esset laboris: præterea sua quæque lingua, propria malorum uocabula habet: quæ qui enumerare omnia conaretur, eadē opera & maris arenam & astra ipsa enumerauerit. Conabimur tamen, & in hoc diligentiam omnem adhibebimus, ut quæ ex Plinio & Columella animaduertimus in usum nostrum cadere, hîc adscribamus, omissis tamen locorum differentiis: quòd eæ & infinitæ sint, & omnium minus necessariæ.

MALORVM GENERA ET DIFFERENTIÆ.

Malus arbor uulgò nota, quæ Græcis, ut prius iam dictum est, melea dicatur, vn pommier, *à pomis ferendis*: cuius descriptionem ex Theophrasto, Plinio, & recentioribus doctissimis, ut Barbaro & Ruellio, desumto.

Mihi satis fuerit, pueris explicasse, malum serotinam appellari, quam uulgus uocat pommier tardif: item malũ præcocem, quæ uulgò dicitur pommier hastif: quæ etiam uerna Latinis dicta est: hoc est, quæ ferè ipso uere fructus edit, & ælerrimè omnium fructus profert. Item malus bifera dicta, quòd bis ipso anno fructum ferat, pommier de deux portees: malus agrestis, pommier sauuage: malus generosa, pommier franc: malus insita, pommier enté: & cætera id genus. Sed ad fructus.

Malorum antiquis plura fuerunt genera, tum à saporibus, tum etiam ab ipsis inuentoribus petita. Nobis autẽ pomorum differentiæ propemodum innumeræ. etsi enim uetæres (inquit Ruellius) hæc genera malorum annotauerint, posteritas tamen missella insitione antiquitatem longè uicit. Sed quia hæc res non parum conferre uidetur nostris iuuenibus, quibus operam damus, commodum est ut primùm aliquot antiqua pomorum nomina à Plinio, Columella, & aliis desumpta, explicemus: deinde uerò uulgaria nostra describamus, prius quàm ad alias malorum differentias descendamus. quem ordinem in ipsis pyris postea sumus obseruaturi suo loco.

Poma serica, siue syrica, quæ & zizipha Columellæ & Galeno dicuntur, parui succi sunt, nec concoctionis facilis, itáque stomacho ingrata: sunt enim agrestia, & in spinosa arbore, albæ spinæ ferè simili nascentia: quæ quidem Narbonensibus Gallis uulgò dicitur vn guindoulier: Græcis autem, seris. fructum uerò ipsum, uulgus Narbonensium uocat des guindoules. frequentissima sunt huiusmodi poma circa famatissimum pontem, quem S. Spiritus appellant. Officinæ barbaros imitatæ, Iuiubas hodie nominant: sintque ea poma (inquit Barbarus)

baccis similiora quàm malis: ac primùm in castris, Augusti temporibus ex Africa allata.

Poma lanata peculiari nomine (inquit Plinius) dicta, quòd obducta lanugine essent super ipso cortice, quemadmodum struthia & persica, de quibus posteà, nulla alia commendatione insignia, frequentissima in agro Veronensi. His fortassis non erunt dissimulia, quæ etiam Græci à lanugine chnodia appellant. Virgilius, Ipse ego cana legam tenera lanugine mala.

Poma antiquitus quædam ab inuentoribus nomina traxerunt, ut à Manlio, Manliana: à Matio, Matiana: itẽ etiam Claudiana, quibus color est rubens, à Claudio inuentore nomen sumpserunt: quemadmodum ab Appio Appiana, siue Melapia, quibus odor & magnitudo est cotoneorum, quòd ea primus Appius è Claudia gente in cotoneam malum inseuerit. Cætera apud Plinium videre poteris lib. 15. cap. 14. Melapia autem quidam à dulcedine, uel ab apibus nomen traxisse putant: quemadmodũ uuam apianam siue apiam, quòd præ dulcedine & saporis iucunditate apes ijs pomis & uuis frequenter insideant, & hinc sua mella capiant. Huiusmodi autem poma hodie uulgus Romanorum adhuc uocat Melapi: sintque mediocri magnitudine cum calamilis, de quibus posteà dicemus. Saporem iucundissimum præ se ferunt etiam in cortice, ut execti cortices putaminibus prunis superpositis, Romani odorem cubiculis optimum conciliare & inducere soleant: quod sanè tam eleganter non fit de calamilorum corticibus. Cæterum ipsa melapia carnem habent mellitæ dulcedinis, & succi dulcissimi plenam: qua ratione plurimùm à matronis expetuntur.

A patria & locis, in quibus nascuntur, potissimùm quædam

quædam poma nomen traxere, ut peluſiana, delphica, picena, tiburtina, quæ & tiburtia Horatio dicuntur: Picenis (inquit) ædunt pomis tiburtia ſucco. Sunt & amerina, ſiue (ut Columella uoluit) amerina, græcula: Græci ormithiaca à Sidonæ uico ælebrant, de quibus poſtea diæmus.

Cætera uerò à cauſis ipſis germanitatis nomen habent, ut cohærentia, gemella, nunquam in fœtu ſingula, Põmes gemelles. Vel gemella etiam à foliis: foliũ enim unum, aliquando & geminum erumpit è latere medio: quæ tamen quidam belgemella, ſiue melgemella uocant.

Poma conditiua uocat Cato, quæ doliis condiuntur. Pommes de garde: quæ & ſcantiana eidem authori uocari uidentur.

Poma orbiculata, à figura orbis in rotũditatem circunacti, inquiunt Varro & Columella: quemadmodum à mammarum effigie orthomaſtica: à conditione caſtrati ſeminis ſpadonia: à corrugationis æleritate pannuæa, quæ quamcitiſſime in rugas abeunt: ab importuno tumore pulmonea: ſtolidè enim tumeſcunt. & mille alia id genus, quæ Plinius ſuprà ſcripto loco numerat.

Sunt & parua ingrati ſaporis, atque etiam odore acutiora, peculiari acerbitatis improbitatiſque conuitio, inquit Barbarus. Quibus uis tãta, ut etiam aciem gladij perſtringant: uulgus noſtrum uocat, Pommes d'eſtrãguillon, pommes de bois: quæ eadem auſtera uocare poſſumus.

Poma lapidoſa eadem ratione à Columella uocata, qua etiam pyra calculoſa dicuntur: nempe in quorum parte interna, quidã ueluti calculi & lapilli inueniuntur. Columel. lib. 10.

-lapidosis obruta pomis Terra. Pommes pierreuſes.

Mitia poma, matura, ſiue domeſtica & dulcia, atque in tempore collecta. Pommes franches, ou pommes meures. Virgilius,

—ſunt nobis mitia poma, Caſtaneæ molles, &c.

Miteſcere enim poma dicuntur in arbore, ſiue etiam alibi, quæ matureſcunt, & in tempore matura fiunt. Plinius, Reliquorum pomorum maturitas citò miteſcentium tranſuolat.

Sunt & parua quædam poma gratiſſimi ſaporis, quæ petiſia nominantur, inquit Plinius. Fortaſſis iis proxima & ſimilia, quæ uulgò Paradiſiana dicta ſunt, quaſi cælitus miſſa: ſunt enim præparua, mellea dulcedine, præcoci æleritate, quaſi uerna, concretu pauco.

Et quando iam ad noſtratia & uulgaria nomina pomorum deuenimus, æquum eſt ut ea breui cõpendio percurramus, omiſſis antiquis nominibus: quæ ut infinita ſunt, ita infinitam propemodum diligentiam requirunt.

POMORVM omnium quæ apud nos reperiuntur, longè commendatiſſima ſunt quæ uulgò Capenduta uocantur, De courtpendu: fortaſſis curtipẽdia ſiue curtipenda appellanda, à pediculi, è quo dependent, breuitate: ut ipſi ueluti arbori inhærere uideantur, & è ramis ſine pediculo prodire. Itali Calamula appellant, quaſi omnium optima: præſertim circa Romam & Bononiam. Nam Veneti corruptè Calamania uocant. Saporis ſunt admodum iucundi, & odoris gratiſſimi, in tanta ſuauitate minimè fugacia, magnitudine media, colore, cùm maturuerunt, luteo. Cætera petito apud Ruellium.

Proxima ſunt illis & uiribus & ſapore, quæ uulgò Ratelliana dicuntur, Pommes de rateau: præterquam

quòd maculas rubiginosas tam frequentes non habent, & partem soli apertam ostendunt rubicundiorem.

Ad hæc etiam non parum accedere uidentur quæ renetia uulgus uocat, Pommes de renette: sed carnē non habent eousque solidam, & paulò dulciore sunt gustu.

Alia sunt iis non inferiora sapore, sed prægrandia, rotunda, callo fragili, tenero, quæ in Ambianensi municipio (inquit Ruellius) uulgus Rambura nominat. mura sunt & suauitate gustus, & teneritudine, ita ut in ore frusta liquescant.

Accedunt quæ passipoma uocantur, Des passepommes: quæ cum reliquis omnibus de primatu certarent, nisi tam fugacia nascerentur: unde uernaculum nomen deductū est. Sunt mediocri magnitudine, turbinatiore figura, carne suaui, prætenera. cætera petito ex Ruellij lib. 1.

Ab his, in pretio sunt paradisiana, de quibus paulò antè. Sunt autem ex paradisianis quædam alia dulcia, callo corporis duriore, rotunda, quæ ob sui dulcedinem nimiam à palato morosiore laborantium fastidiuntur: quæ eadem esse putat Ruellius cum melimelis & musteis: Mustea enim (inquit) ueteres appellarunt ea quæ nos præcocia.

Alia sunt poma, quæ ab insitione pyromela uocari possunt: uulgus uocat Pommepoires: quòd ea in arbore pyro insita sint, habéntque pomorum tantùm formam, neque enim sunt turbinata æquè ac pyra ipsa: saporem uerò & ferè colorem pyrorum, præsertim eorū quæ calculosa uocantur, retinent.

Poma acida, uulgus nostrum uocat malacria, Pommes de malingre, à saporis acrimonia: sunt oblongiora, dura carne, ex acerbo leniter acescentē. Ruellius.

Poma sunt alia uulgo castinia appellata, Pommes de chastignier, austeriore gustu, dura ueluti castaneæ cartilagine, mediocri magnitudine, oblonga. Ruellius.

Poma quæ uulgo francatura uocantur, Pommes de franceſtu, rotundum habent habitum & amplum, callum durius, gratam acerbitatem, quæ tandem in dulcedinem degenerat: ea diu seruari possunt, & annicula reperiuntur. Ruellius.

Poma purpurea Columellæ, ea sunt quæ nos uulgo rubelliana appellamus, Pommes de rouueau: sanguineo enim sunt cortice, carne intus friabili, sapore non ingrato, & ex austero subdulci, nec citò fugientia.

Poma mirabilia uulgus etiamnum uocat quæ Hierosolymitana Hetrusci, balsamina Ligures padani, & frutiçem ipsum siue plantam ex qua prodeunt, appellauere, quòd ea poma oleo prius imbuta, & per aliquot dies insolata, deinde uel fimo uel terra tantisper obruta, dum intabuerint, balsami uires in glutinandis uulneribus adsciscere polliçantur. Cætera ex Hortulo nostro, & Ruellij libro 2. desumito: nam potius hortẽsis est planta, ex qua prodeunt, quàm quæ in Seminario disponi soleat.

Mala insana, quæ Itali melensana appellant, Barbaro ea sunt, quæ nos uulgo uocamus, poma Cupidinis, siue amorũ poma, Pommes d'amours: de quibus uide Hortulum nostrum. nam à frutiçe uulgari sunt in hortis conseri solita. Plura etiam petito ex Ruellij lib. 2. capite 124.

Plura hîc pomorum nomina describeremus, & nominatim persequeremur, nisi hoc superuacuum, & non omnibus utile putaremus: cùm & pomorum nomen-

clationes ferè nationibus omnibus sint uariæ: unde fit, ut in tantis támque uariis nominibus, atque etiam insitionum adulteriis (ut inquit Ruellius) perfacile quis falli possit.

Veniamus ad reliquas arbores, sub malorum generibus contentas: tum quòd fructus orbiculatos ferãt, tum quòd simile quiddam cum pomis habeant, unde etiam mali nomen retinent.

ARBORES QVAE SVB MALORVM GENERIBVS CONTINENTVR.

MALVS punica, Vn grenadier, dicta quòd apud Carthaginenses olim fuerit laudatissima, à quibus ad nos translata, & in Cypro à Venere primùm sata, ut testantur Græcorum fabulæ. Eius fructum hodie quidam malum granatum uocãt, à granorum multitudine, quæ totidem esse numero in singulis pomis affirmant, etiam si magnitudo uariet, modò ex eadem arbore legantur, inquit Barbarus. Quidam Græci ipsam arborem Rhoan & Rhœan, pomum quoque Rhoas, & Rhoidia, & Rhœdia uocare solent. Side porrò Hippocrati arbor ipsa dicitur, à Bœotia regione, in qua frequens est, quæ etiam Side appellatur.

Mala punica dulcia, Apyrina ueteres dixere, Grenades doulces: dictio tamẽ Græca sonat, quibus nulla est granorũ durities, uel minor quàm aliis. Nam acida granata, Grenades aigres, acinos habent duros, & quodãmodo lapidosos: qui in sole siccati, & obsoniis insperſi, inquit Dioscorides, fluentem aluum sistunt.

Cytinus Dioscoridi & Galeno, flos est ille puniceus

mali granati, sed satiui: Balaustium autem, syluestris, uulgò Des balustres. Plinius uerò pomum ipsum immaturum, & primum partum eius florere incipientis, Cytinum appellat: flores autem ipsos balaustia, in ipso erumpentes cytino, uestibus tingendis idoneos, quarum color nomen inde accepit. Ex Barbaro.

Malicorium, mali punica putamen illud asperum dixerunt ueteres, L'escorce d'une grenade. Græci sidion appellant: nam arbor ipsa, ut prædiximus, à Bœotiis Sida uocabatur.

Ciam autem M. Varroni dicitur membranula prætenuis, in malo punico discrimen faciens. Vnde ciaures animantes, quæ feræ non sunt, atque agrestes. A quo Veturij quoque nobiles cognominati Ciurij.

Malus medica, à Media regione, quæ est inter sinum Persicum, & mare Hircanum, unde primùm allata. Virg.

Media fert tristes sucos, tardúmque saporem
Fœlicis mali, quo non præstantius ullum.

Qua etiam ratione malus persica dicitur à Persia. Huius arboris fructus uarij sunt, uariíque coloris & formæ: atque ob id nomina etiã diuersa sortita sunt. Quædam enim aurea appellantur, à colore propemodum aureo. Vnde Virgilius,

Aurea mala decem misi, cras altera mittam.

Atque ea quidem sunt rotundiora & maiora, ac corticis durioris & crassioris: qualia fortassis sunt quæ Venetijs audiui appellari poma Adami: unde etiam fortassis nuptialia poma appellata, quòd edita sint à Tellure, ut fabulantur, nuntiato Iouis & Iunonis connubio. De quibus etiam puto fabulatos poetas, cùm Herculem dixerunt ex hortis Hesperidum poma aurea rapuisse: un-

de ipſam arborem heſperida, & malum eius heſperinum uocant, authore Iuba. Huius generis ſunt & alia, minora tamen paulò, ſed eiuſdem propè coloris, quæ uulgò arantia appellamus, ab Arantio oppido, in quod primùm ex inſulis illis fortunatis aduecta ſunt. Sed & Medica ex ea arbore, quam paulò antè retulimus, forma ſunt & colore congeneri cum aliis, præterquam quòd non uſqueadeò rotunda ſunt, neque coloris tam ſpecioſi ac flaui, aut etiam aurei: ſunt enim pallidiora. Quinetiam cortice dulciorem paulò habent ipſis arantiis: quarum cortex niſi ſiccus, & ſaccharo conditus, uix aut nunquam editur. Ea & citrea & citria mala Latinis, hodie citronia appellantur, Des citrons. Vnde citrinus color, & citreæ menſæ, apud antiquos: quas tamen Barbarus multis argumentis contendit fieri non fuiſſe ſolitas ex hac citro arbore, aut medica ſiue perſica, quæ exigua eſt, ut potius fruticis quàm arboris nomen promereatur. Apud Italos tranſlatitia & triuialis, ut pluribus generibus citreta Liguriæ, Campaniæ, Benaco lacu, Italia ferè tota germinẽt fœliciter. Quin potius ait arborem, ex qua tam celebres menſæ ab antiquis, & Plinio ac Ciærone decantatæ fieri ſolebant, eam eſſe quam Strabo & Theophraſtus, item etiam Plinius tegetem, & thyan, & thyon appellauere: quæ ramis, caudice, frondibus, ſylueſtri cupreſſo propemodum ſimilis eſt. De hac uideto Theophraſtum libro 4. & 5. capite quinto. Cæterum citrus noſtras nihil commune cum cupreſſo habere uidetur: cui folium eſt andrachnes unedoniſque, ſpinis intercurrentibus, ut in pyro & oxyacantha, ſed læuibus, infeſtis mucrone & ualidis. Hæc Barbarus. Sed ut ad ipſa mala redeamus, certum eſt

ex Athenæo mala citrea Plutarchi auorum memoria nunquam gustata fuisse: sed neque Plinij & Theophrasti seculis magnopere degustabantur, tantùm odore commendato: nunc uerò (inquit Hermolaus) à Palladij ferè temporibus promiscuum expetimus cœnis, qui & medullas eorum acreis dulcibus mutare docuit. Hæc itaque mala ex insitione quoties proueniũt, citromela propriè dicuntur ab aliquibus. Aristophanes autem grammaticus à Lacædæmoniis oxymala persica nuncupari prodidit, à sapore acetoso, & quòd ex Persia allata sint, quibus etiam deos coronari solitos suis temporibus refert. Diphilus author est, citria quandoque pruna Persica uocari solita. Sed hæc ferè ex Hermolai cõmẽtariis in Dioscoridem. Plura uideto apud Ruellium libro primo De stirpium natura, quem nunc summa diligentia, & incredibili pene elegantia, in studiosorum gratiam imprimendum curat. Opus meherule, omni laude dignissimum, & longè omnium præstantissimum.

Est præterea aliud malorum genus eiusdem cum citrio speciei, sed colorem utplurimum uiridiorem habens, & formam oblongiorem: minus tamen est pomum, neque tanti aut succi, aut odoris: quinetiam læuiori cortiæ præditum est, & in superiore atque etiam inferiore sui parte ueluti pappulas quasdam mammarum extuberantiis simules ostendens, longè eminentiores quàm malum citrium. Hoc itaque pomi genus uulgò Limonium appellant, nescio qua ratione. Vn limon.

MALVS cydonia, Vn coignier, à Sidonte Corinthi uico dicta, inquit Athenæus, cùm cõdymala prius uocaretur. Alij cydoniam dictam putant, quoniam ex Creta primùm allata fuerit, inquit Barbarus, nempe à

Cydone, Cretæ oppido. Cotoneam primus Cato appellauit: fructus autem ipse uocatur cydonium, siue etiam cotoneum malum, Vne pomme de coing. Vltimum nomen adhuc Itali retinuerunt, ut in Hortulo satis diximus: uocant enim illi Melo codognio. Atque hæc quidem mala cydonia, siue cotonea appellarim mascula, ad struthiorum differentiam, de quibus statim dicemus: sunt enim cotonea breuiora & rotundiora, & minus lanuginis habentia, rugis quibusdam distincta & coactiora: quorum succo fit optimum cydoniatum, Du codignac. quod nostræ mulierculæ circa autumnum ita cõficiunt, cortice primùm adempto: deinde exenteratis ipsis malis, & ex aqua coctis, & per cribrum satis densum percolatis: postea cum melle & saccharo ad læuorẽ tritis. Si uerò conspicuum & pellucidum ac clarum, quod uocant, facere uelint, id quidem cum albuminibus ouorũ & cinnamomo inter percolandum faciunt, atque inde colorem aureum acquirit cydoniatum. Quinetiam Lugdunenses (quod fortassis ex Galeni documentis acceperunt) addito paululo scammonii in ipsa percolatione, cydoniatum laxatiuum (ut uocant) facere consueuerunt: alioqui ex se astringere aluum, non autem soluere consueuit, præsertim si præsumatur. Hoc igitur cydoniatum cum scammonio factum, uulgus nostrum cydoniatum Lugdunense appellat. Du codignac de Lion. Sunt præterea malorũ cydoniorum alia oblongiora, læuiora, & minus rugarũ habentia, colore tam intus quàm extra aureo, odorem nõ tam latè iactantia, maiori etiam humiditatæ abundãtia, quæ struthia mala, siue struthiomela appellantur. ego cydonia fœminina uocauerim cũ uulgo, Des coignesses: quorum succo fit optimum medicamẽtum, quod Dia-

cydonium Galeno appellatur, ad prouocandam appetentiam uentriculi. Columel.lib.5.cap.10, tria malorum genera facit: struthia quæ serotino prouẽtu odoratius uibrant: sub quibus neapolitana cõprehenduntur, inquit Barbarus. quanquam AEtiostruthia dicãtur, ut prius descripsimus, quæ magna sunt & suauiora, minoríque plã̃t acerbitatæ: præterea chrysomeliana siue chrysomela, quòd colore ad aurũ sint inclinato: & mustea, quæ præcocia sunt, & celeriter mitescunt. Vnde etiam melimela appellantur ab Athenienſibus, hoc est mellita & dulcia mala. atque ea quidem etiam misœlla appellãtur, fiúntque ex insitione, cùm mali dulcis & cõmunis surculus inseritur malo cydoniæ. Cæterum cotonea mala, struthijs insita, muluiana à reipsa nominantur, quæ sola omniũ uel cruda mãduntur: cætera enim non nisi cocta uescendo sunt. Sunt præterea etiam cydonia syluestria parua, è struthiis odoratissima, in sepibus nata, quæ uulgus nostrũ uocat, Coings sauuages. Sed hæc de his satis. Plura uideto apud Ruellium in libris De stirpiũ natura.

Malus armeniaca, siue armenia, in persicorum genere apud Galenum uenit. uocant autem Itali tam arborem ipsam, quàm fructum, Diarmelini: quemadmodum bolum armenium, aut terram armeniacam dicamus, quæ primùm ex Armenia Asiæ regione ad nos uenit, & inde adfertur. Vulgus nostrum malum armeniã uocat Vn abricotier: & fructum ipsum, Vn abricot: qui hoc solùm, inquit Galenus, à persico discrepat, quòd minus malum sit. Columel. lib.5.cap.10, Sorbi quoque (inquit) & armeniaci, atque persica non minima est gratia Armeniaca autem, inquit Ruellius, prunorum generis esse tradunt, sola è prunis odore cõmendantur: at-

que hinc fortassis nomen nostrum deductum, quòd ea Græci non præcocia, sed bericoca nominent, unde fit ut abricoca proferamus. Cuius opinioni facillimè assenserim: utrinque enim & foris, & etiam intus in ipso nucleo pruni potius quàm persici naturam & faciem referre uidentur.

Malus præcox, siue præcoqua uidetur ea dici arbor Columellæ, uel quæ cælerrimè omnium fructum producit, (quales sunt illæ arbores, quas, ut prius dixi, uocamus uulgò Hastiues) uel quæ mala præcoqua fert, de quibus mox dicturi sumus. Ait enim ille lib. 5. cap. 10, Locis frigidis Autumni temporibus & aquosis, præcoquas ponito, ut ante pluuiã fructum deligas. Itaque uideto quid præcoquas arbores uocet. Mala autem præcoqua, è persicorũ genere esse nemo dubitat: súntque ea persica, quæ uulgus nostrum appellat Auantpesches: quidam Trecacina persica uocant, Pesches de Troyes: quòd ex urbe quadã Lutetiæ uicina, cui Trecis nomen est, ad nos adferãtur. Ea ut cæteris sunt minora, ita iucundissimi sunt saporis, & gustus innocentissimi. dicta præcoqua, quòd prius nascantur, & cælerius maturescant, quàm alia persica: sola enim proueniendi cæleritate à cæteris dissident. Vnde Martialis,

Vilia maternis fueramus præcoqua ramis,
Nunc in adoptiuis persica sola sumus.

Et quia in persicorũ sermonem incidimus, æquum est ut de iis etiam nunc dicamus.

MALVS persica, uulgò notissima, dicta quòd è Persia siue Perside regione, ad nos primùm uenerit, indéque aduecta sit. Columella persicum arborem uocat lib. 5. cap. 10, Siliquam Græcam & persicum ante brumã per Au-

tumnum ſerito. Arbor ipſa tam nota eſt, ut deſcriptione non egeat. Pomum autem gerit carnoſum, ſuculentum, extrinſecus lanugino ſum, duram intus & ſcabram nucem habens, quæ Latinis oſſis nomine explicatur. Columel. Perſici oſſa, in paſtinatis areis ſunt ponenda, &c. Ita quoque & prunorum & ceraſorum oſſa uocabimus, quæ in ipſis continentur: non autem cum uulgo nucleũ, Vn noyau: nam nucleus eſt id quod ipſum os continet. quem falſò amygdalum uocamus, à ſimilitudine nuclei amygdalini.

Cæterum mali perſici fructus multa ſunt hodie apud nos genera, quẽadmodum etiam apud antiquos fuerant. Eſt enim malum perſicum populare, quod nucleum dimittit: quorum perſicorum optima omniũ apud nos commendantur Corbeliana, Peſches de Corbeil. Omittam præcoqua & armeniaca, de quibus paulò anté. Sunt & perſica duracina, exre dicta, quòd corpus pertinacius hæreat oſſi, quàm ut auelli queat, inquit Ruellius: nos uulgo preſſum uocamus, Vne preſſe: quòd caro apprimatur ligno interiori. colorem habent flauorem huiuſmodi perſica quàm alia, & ut plurimum craſſiora ſunt, & duriore carne prædita, ut non tam facilè unguem admittant.

Sunt & alterius generis perſica, quæ ab inſitione nomen acceperunt: uocantúrque nuciperſica, Des peſchenoix: quòd in nucem iuglandem inſertus perſicæ mali ſurculus, fructum ferat, inter iuglandem & perſicum communem. ſed tamen colorem externum tantùm habere uidetur iuglandis nucis cortici ſimilẽ: unde fortaſſis ſpõte ſua arbor huiuſcemodi creuiſſe putanda eſt: eſt enim humilis, præcocis perſici proceritate, folio amygdalæ, ſed

maiori, flore puniceo. Pomũ emicat uiride, carnosum, succulẽtum: sed cuius caro dentes obtundat, præsertim si immatura sit: cæterũ nulla exterius lanugine pubescat: medio inter iuglandem & persicum malum sapore. Scatent hac arbore Galliarum plerique tractus.

Quinetiam ex insitione nouũ persicorum genus subortum est: ut ex amygdalo, seu nuce Græca, & persico aliud arboris & fructus genus hodie uideamus, quod amygdalopersicum iure appellare possumus: malum enim ipsum foris persicum mẽtitur, cuius etiã caro edi potest: intus autem nucem habet, amygdalæ propemodum similem, & facie & nuclei gustu. Adeò nihil est quod nõ quotidie hominum ingeniis nouum & uarium fiat. Sed iam æquum est ut ad pyrorum fructus & differentias ueniamus, quando inter mala connumerari licuit, & pomorum nomine ueniunt appellanda: quanquam è pyris sola quæ libralia à pondere appellantur, mala dici consueuerunt.

PYRORVM DIFFERENTIAE ET FRVCTVS.

Prius quàm pyrum arborem expliçemus, succurrit, ut, quando adhuc sermo integer est de persica arbore, perseam etiam declaremus: ne quis uocum ucinitate deludatur, ut unam pro alia usurpet. Est enim persea arbor longè à persica dissimilis, quam pyro per omnia similem facit Theophrastus. pomum fert longius pyro, inclusum amygdalæ putamine & cortio, colore herbido, cordis humani figuram referens, inquit Plutarchus: cuius etiã arboris folia linguæ humanæ formam habẽt. Persea dicta,

quòd à Perseo Mẽphi sata fuerit. Apud nos nulla est: neque enim extra orientem nasci uolunt. Plura ex Ruellio.

Pyrus arbor omnibus notissima, Græcis apios & adipios dicta, præsertim quæ urbana & edomita erat: uulgo Vn poirier: cuius descriptionem & inserendi rationem, ex bonis authoribus collectam tibi dicet Ruellius noster, libro primo De natura stirpiũ. Nobis illud fuerit satis, iuuenibus nostris bonarum literarũ studiosis, in hoc satisfecisse, ut uulgaria quæ sunt, & magis necessaria, explicemus. Pyrorum igitur arborum duo sunt genera: alia enim est satiua, quæ nomen suum retinet. Columel. Pyrum autumno ante brumam serito. Virgilius,

-mutatámque insita mala Ferre pyrum.

Alia est syluestris, quæ Græcis achras, Latinis pyraster dicitur, Poirier sauuage. Plinius syluaticam pyrum appellat: Si in pyrum syluaticam inseueris, inquit, pyrum quanuis bonam, &c. Fructus fert hæc arbor cum primus acerbos, & gustu astringentes, Græci achrades uocant, uulgus nostrum, Poires sauuaiges: quales passim in Rothomagensi & Normano agro reperiũtur: ex quibus succum exprimunt, & uinum faciunt, quod Pyream uocant, Du peré: quemadmodum è pomis etiã solent, quod uulgo Cidrea dicitur, Du cidre: fit autem prelo & trusatilibus molis, tortiuum ius exprimentibus. Deinde rursus (inquit Columella) secundarium uinum faciunt, fracibus & retrimentis aqua macératis, ita ut pomea lora dici possit, non parui ad restinguendam rusticorum sitim momenti. Sed iam ad fructus ueniendum.

Pyrorũ genera, quemadmodum & malorum quoque, tum apud nos, tum etiam apud antiquos sunt admodum multa, & quæ uix omnia recensèri possint, meo iudicio.

Dabimus tamen operã, ut aliquot recẽseamus, ne in hoc uobis defuisse uideamur. Itaque ab antiquis pyrorum nominibus incipiemus: atque ea uobis proferemus quæ ex Plinio, Columella, Barbaro, & aliis animaduertimus.

Pyra (inquit Plinius) à pomis hoc differunt tantùm, quòd usque adeò orbiculata non sunt, neque perfectæ rotunditatis, sed turbinatioris & oblongioris formæ ac figuræ, accipiúntque cognomina uaria tum ab inuentoribus & personis quibusdam, tum à sapore & colore, tum etiã à prouinciis, ut mox dicturi sumus.

Pyra superba Plinio, parua erant, ocyssima, odoratissimáque, fortassis nostris moschetis similia.

Pyra crustumina eidem dicebantur ex parte rubentia, omnium gratissimi saporis.

Pyra falerna, quæ & lactea dicta sunt, à potu, & succi abundantia.

Pyra Syria, à regione Syriæ dicta, colore erant nigro, quæ etiam Tarentina Columellæ dicta sunt. Atque ita alia permulta à suis regionibus & locis, in quibus proueniebant uberius, cognomina acceperè.

Authores suos nobilitauere (inquit Plinius) Pyra Decumiana, à Decumio inuentore: unde etiam Pseudodecumiana appellata, quæ falsò Decumii nomen mentiebantur. Ita quoque & Dolabelliana, longissimi pediculi: Pomponiana, cognomine Mammosa: & alia innumera ab authoribus, odore, tempore, colore, patriis petita: quærito ex Plinij libro 15. cap. 5. longum enim esset omnia recensere.

Pyra serotina, quæ ad hyemem usque in matre pendẽt, gelu matureſcentia, quæ & libralibus pyris natura est, Poires tardiues. Cuius generis sunt quæ etiam Laurea

appellantur.

Pyra uolema à Virgilio dicta, quòd uolã implent: unde inuolare dicimus, inquit Seruius. Eadem, sementina & mustea uocauit Cato. Volemia appellat Macrobius libro 3. cap. 19. Satur. Quo in loco, cirita, æruisca, calculosa, lolliana, & permulta alia pyrorũ cognomina legito. Nunc ad nostra uulgaria ueniendum: quorum cùm permulta iam adnotassemus, & in puerorum gratiam descripsissemus, factum est ut eandem operam præstitisse, & ferè eodem tempore nostrum Ruellium animaduerterim: cuius librum cùm nondum adhuc omnino impressum legissem, & in hanc partem incidissem, quæ de re nostra diligentissimè tractat: malui uiro doctissimo, & in huiusce rei cognitione lõgè absolutissimo cedere, quàm mihi id attribuere, quod ille accuratiori inuestigatione multò ante me præiuderat. Itaque uulgarium cognominum interpretationem ex eo desumemus: quibus fortassis nonnulla à nobis præterea inuenta subnectemus.

PYRA itaque omnium nobis gratissima sunt, quæ uulgo Bõchrestiana cognominãtur, Poires de bon chrestien: non ob hoc solum, quòd in eximia suauitate libra le pondus æquent: sed quia tantæ sunt teneritudinis, ut gustata uel ipso ore & tantùm primoribus labris, statim eliquescant, & perennent, gestatúmque tolerent. Primùm quidem Neapolim usque delata Carolo octauo ibi res gerente, à fœlici illa Campania.

Proxima magnitudine sunt ijs mariana, uulgò diuæ Mariæ pyra dicta, Poires de nostre dame: aquosa dulcedine, suauia, miráque teneritudine placent: sed fugaciora multò quàm Bonchrestiana.

Minima omnium sunt muschata, Poires musquettes, quæ

quæ nomine alio Chia uulgo dicuntur, Poires de Chiot, bacas corporis tuberculo non excedētia: quina senáue, sæpe plura ab una origine longis dependent pediculis: odorata moschi iucunditate, ab hoc nomen contraxerunt.

Media magnitudine sunt Calliona, Poires de Calliot: quæ eadem calculosa dici posse, & eleganter quidem, nos docuit Iacobus Syluius, quòd exenterata, ueluti calculorum quorundam multitudinem ostendant, qui etiam inter edendū sentiuntur. carne sunt iucunda, dulci, odorata, friabili. à præstantia pyri (inquit Ruellius) Græcū nomen uulgus emendicauit, quasi dixeris meliora.

Pyra rosata, à sapore & odore dicta, quòd dum eduntur, rosas oleant: Idque fieri quidam putant, si, dum inseritur surculus, aqua rosacea humectatur: aut dum plāta & semen in seminario ponitur, aqua rosacea irrigatur.

Pyra bicipitia, quòd gemino capite uisantur, Poires a deux testes: singulari sunt cōmendatione, corpore suaui, non lapidoso, succi grati, palatū etiā moroſum recreātis.

Turbinatiora omnibus certoliana, Poires de certeau: quæ Campanica alio nomine dicuntur, non quidem ab illa Campania, quæ in Italia est: nam apud Italos sunt peregrina: sed à nostra Galliarum Campania, quæ Pertosiensis appellatur. Ea igitur pyra in metæ formam mucronantur, hyemem tolerant, duriore corporis callo, mira suauitate, præsertim cocta inter cineres, & prunis tosta: ita enim saccharata uidentur. Nonnulli, ut saporem augeant, saccharo condiunt, adiecta cinnamomi & caryophyllorum portiuncula, ut cœnas claudant.

Pyra Martiniana, Poires de sainct Martin: quòd ad hyemem usque durant, & in parente propendent: colliguntúrque circa Martinalia, aut D. Martini festum. Suam.i.

ui sunt gustu, firmiuscula carne: quæ non nisi cocta ferè manduntur. Vbi gelicidia sensere, sunt multò teneriora: ea etiam hybernas mensas finiunt.

Finora uulgo appellata, Poires de fin or, quòd auri puti colorem referant, asperiore sunt carne, durioréque prædita: non prius quàm gelu experiantur, edomita duritie mitescunt. Ea diutissimè durant: quamuis in eo genere æstiua inueniantur & præcocia.

Quæ autem eius generis præcocia inueniũtur, ea uulgus nostrum uocat Poires de hastiueau: quòd celerius emergant & prodeant, quàm alia.

Magnopere commendantur Bergamota, Poires bergamotes: seri nostra memoria cœpta, & sapore & succo præstantia.

Sunt & quæ strangulanea pyra appellantur, uulgo Poires d'estraguillon: quæ cum pulchritudine & rubro colore & luteo, quasi maturitatis indicæ prætereuntes mouent ad carptum: mansa tamen tanta displiænt acerbitate, ut deuorari nequeant: sed demorsa, protinus respuantur, unde nomen habent.

Proxima his ferè sunt quæ angustiana, siue angustiæ pyra nominantur, uulgo Poires d'angoisse: quòd dum eduntur, acerbo & austero quodã sapore ita molesta sunt, ut angustiores fauces reddant, & plurimùm noceant, nisi matura admodum & emollitissima carpantur.

Pyra item tofacea, Poires de tuffé, dicta quòd intus scabra sint, & ueluti tofos quosdam sentiamus, dum illa edimus: minus sunt turbinata, cærei coloris & aquosi, ac multi succi, præsertim dum maturuerunt. Atque hæc sufficiant de pyrorum generibus, quæ qui omnia (ut sunt innumera) referre uellet, uix integrum uolumen huic

operæ satisfaceret. Reliqua quisque apud se colligat & confingat. Nunc ad prunorum differentias.

Cæterum hîc unum addemus ex Palladio, antiquos ex pyris facere cõsueuisse uinum, quod illi uinum de pyris appellabant: id Neustrij uocant uulgo, Du peré. Fiebat autem id uel prelo contusis pyris, uel succo rarissimo conditis & compressis. Acetum quoque ex eisdem fiebat, cuius componendi rationem ostendit Palladius. Liquamẽ item ex eisdem fiebat. Calcabãtur autem integra cum sale, atque ubi eorum carnes erant resolutæ, uel in capellis uel uasculis fictilibus condiebantur. Post tertium deinde mensem suspensæ eæ carnes liquorem dimittebant saporis iucundi, sed coloris albiduli.

PRVNORVM ORDO.

Absolutis iam pomarij nostri duobus ordinibus, tertius nunc nobis est instituendus, in quo prunorum differentias & genera breui ratione describere nos oportet.

Prunus, Vn prunier: à Græcis cocomelea uel coccymelea dicta: arbor est procera, radicibus summo cæspite uagãtibus, paucis, &c. uidelo diligenter Plinij lib. 15. ca. 13: & Theophrastũ lib. 3. cap. 16. Duplex autẽ est prunus arbor: alia enim est domestica, siue urbana & satiua, atque edomita, de qua nunc agitur. Alia agrestis & syluestris, quam spinũ uocasse uidetur Virgilius eo uersu, Spinos iam pruna ferentes. Pruni syluestres, genera spinarũ sunt Columellæ, quas Theophrastus contumacis utæ tradidit. Sed iam ad fructus ipsos, ut breuiter agamus.

Fructus prunorum syluestriũ, Græci epimelidas uocant, nos uulgo Des prunelles: tracta dictione à Græcis

qui fortaſſe, ut inquit Galenus, *prunum agreſtem in Aſia prumnũ uocant: uulgus noſtrũ uocat,* Vn prunellier. *Cæterum prunorum ſylueſtrium ſucco hodie fit optima acacia apud pharmacopolas.*

Prunorum domeſticorum ingens turba, inquit Plinius, *uerſicolor, nigra, candicans, &c.*

Hordearia pruna, antiquus dicta, à comitatu eius frugis: ſúntque ea quæ cærea uocamus.

Aſinina pruna, eodem colore, ſed ſeriora & maiora, à uilitate cognominata: quemadmodum nos etiam quædam pruna eiuſdem propè ſpeciei uocamus, uulgo, Des poitrons, ou Des dauesnes.

Sunt & pruna Armeniaca, inquit Plinius, *ab externa gente cognominata, atque hæc quidem ſolo odore commendantur: uulgo nos Apricota uocamus,* Des apricotz: *de quibus ſuprà in perſicis.*

Inſerebantur etiamnum Plinii *temporibus pruna ipſi nuci iuglandi: atque hæc quidem quæ ex tali inſitione prodibant, nuci pruna appellabantur, quæ faciẽ parentis, & ſuccum adoptionis exhibent. Quinetiam eiuſdem* Plinii *memoria, in* Betica *regione, malis pruna inſeri cœperant, atque amygdalis: quæ ob id malina & amygdalina uocabantur.*

Pruna onychina Columellæ *dicebantur, quæ & cerina: hæc uerò onychis, id eſt unguis formam habebant, unde cognomen acceperunt.*

Pruna Damaſcena, Prunes de damas: *à Syriæ Damaſco cognominata, inquit* Plinius: *à peregrinis arboribus nomen acceperunt: nunc etiã apud nos familiaria: ſúntque nigra cute, carne ſuaui, rotundo ligno, exili nucleo, quæ digitis preſſa internum os dimittunt.*

Sunt autem alia eiusdem speciei, aute quidem nigra, & quodammodo lanuginosa (si quidem mucus aut flos ille lanugo appellari debeat) sed carne subacriore, & minus solida, quæque digitis pressa, internum os nõ dimittunt. Ea autem uulgus nostrũ appellat, Prunes de Iozas.

Popularia Damascenorum pruna, sorbis Romæ inseri solita, Plinius à Græcis myxa appellari contẽdit: Quibus, inquit, similis est persicus AEgyptia, nisi quòd poma AEgyptiæ rubescunt. Paulus myxon arboris esse fructum meminit, minorem pruno, & consimilis facultatis. Atqui Ruellij opinio hæc est, ut quæ Græcis myxa, & per diminutionem myxaria nunc officinis dicuntur, Galenus serica appellauerit (quanquam serica ad nostras iniubas retulerim) quæ inutilia stomacho, nec nisi fastidiosis pueris, aut malacia laborantibus mulierculis expetita. Syerij Augusti, ut conijcio, honore sebastos hæc myxa uocauerunt: nunc, ut interpretor, officinæ sebesten. Arboris eius ligno cortex albus, ramus uirens, folio rotundo, amplo, fructus in racemo dulcis, candido lentore plenus, cum interiori nucleo quasi oliuæ siccatur. Hactenus Ruellius. Idem tamen alio loco, ordine alphabetico de myxa loquens, ait esse arborem, ex eorum conspectu quibus frequens est, procero caudicæ supra terram elatam, qui cortice candido uestiatur. Fundit ramos (inquit) uiridi colore nitentes, folia habet in rotundum circinnata, poma auellanæ nucis magnitudine, racematim collecta, per maturitatem cærulea, callo corporis dulci, intus albo, mucoso lentore: unde Græcis nomen usurpatum putauerim, qui myxon mucum nominare consueuerunt. Viscum fit in Syria ex arboris huius acinis, quod Damascenum uocãt, commendatissimum aucupiis, præterquam aquatilium

uolucrum. De la glu.

Est & sua prunus (ut Theophrasto placet) AEgypto, magnitudine insigni, non dissimilis spinæ Syriæ, folio pruni, sed immortali, pomo mespili, ligno intus grandi & rotundo. florere incipit mense Iulio, matureſcit bruma, nec folia dimittit. Corpus ipsum pomi natura copiáque messium instar molis: purgatum enim tundunt, seruántque eius offas qui Thebis habitant. Hæc Barbarus ex Theophrasto.

Cæterum hoc etiam sciendum est, ex eodem Barbaro in syluestribus satiuísque prunis, limum esse arborũ, quẽ Græci lichena uocant.

Pruna Iberica (inquit Aëtius) dicta, quòd primùm in Hispania uenerunt: sintque omnium dulcissimi succi, durioríque carnis, gustu suaui. Ea, qua parte solem spectant, purpureo nitent colore, aduersa parte candicant, uel subrubent: & pressa digitis internum os dimittunt, quemadmodum damascena: Ruellius *pertigona cognomine appellata fuisse scripsit.*

Alia sunt coloris cæræ, ex candido in luteum palescẽtia, quæ cæreola uel cærea apud nos etiam uocitantur, inquit Ruellius. Prunes blanches.

Alia maiuscula, mollia, purpurea, pedicularia, uulgo à uilitate dicta: quibus sues rure saginantur: quæ non abre asinina appellari possint. Ruellius.

De purpureis autem sic Columella *lib. 12. cap. 10,* Pruna *(inquit) purpurea cùm immatura, non tamen percruda legeris, diligenter inspicito ut sint integra sine uitio, aut uermiculo.*

Commendantur etiã summopere apud nos, quæ Prunidactyla uulgo appellantur, Prunes dates: *fortassis non*

iis omnino dissimilia quæ Columella onychina appellauit à forma unguis: nã & hæc quoque à dactyli, hoc est fructus palmæ arboris figura, nomen retinuerunt. Ruellius tamen à longitudine digiti appellari putat. sunt autem purpurea, suaui carne, ouata pomi specie, insitionis mangonio, nusquam non nascentia.

Alia sunt, inquit Ruellius, quæ Noberdiana & Iuliana appellantur: aliquanto seriora, cæruleo colore, cumulatim in parente intorto surculo pendentia, dũ passa contrahantur in rugas.

Cætera prunorum uulgarium genera persequi ut lõgissimum esset, ita sanè laboris propè infiniti. Quapropter unusquisque apud se quæ supersunt, inquirat: & uulgarem cognominationem sequutus, ius nomina imponat: atque ea forma describat, quam in superioribus posuimus. Nunc ad cærasiorum ordines ueniendum.

CERASETVM.

Cerasetum id appellare possumus, quod uulgo dicitur, Vne cerisaye: ea forma qua castanetum & oliuetum, de quibus postea. Itaque cærasetum locus erit cærasis arboribus, amœnitatis uel etiam utilitatis gratia, consitus.

Cerasus autem arbor est uulgo nota, Vn cerisier: cuius descriptionem ex Plinio lib. 15. cap. 25. & lib. 23. cap. 7. & 16. cap. 18. sumito: uel ex Theophrasti lib. 3. cap. 13. nam uulgarium arborum descriptiones pueris referre longissimum esset: Id tantùm sit satis ex Athenæo & Plinio scire, Lucullum Romanorum Imperatorem, postaquam debellato Mithridate uictoria potitus esset, primùm arborem hanc à Cerasunte Pontico municipio in Ita-

liam detuliſſe, fructúmque eius gentilitio nomine cæraſiũ appellaſſe. Etenim pomum ipſum non cæraſum, ſed cæraſium uocari Seruius præcipit: quod ſanè crediderim elegantius eſſe, & magis proprium. An uerò eidem credendum, qui cornum in Italia cæraſium fuiſſe prodat, cùm alia res omnino ſit cornus, alia cæraſus, ſatis ambigimus. Sed de cornis poſtea: nunc ad cæraſiorum uaria genera.

Ceraſiorum genera, quæ Plinius retulit, ferè ſunt hæc, ut primùm ab antiquis uocabulis incipiamus.

Aproniana, quæ maximè rubẽt. Nigerrima ſunt actia: Rotunda uerò cæciliana. Iulianis gratus ſapor, ſed penè tantùm ſub arbore ſua adeò teneris, ut geſtatum non tolerent. Principatus duracinis, quæ Cãpania Pliniana nominat: in Belgica Luſitanis: in ripis etiam Rheni. Tertius iis cõlos è nigro ac rubenti uiridíque, ſimilis matureſcentibus ſemper.

Sunt & laurea cæraſia, in lauro primùm inſita, quæ minus quinquennio, antè quàm Plinius commentaretur, prodierant, non ingratæ amaritudinis: atque hinc amaraſia uulgo apud Italos appellata, inquit Barbarus, quaſi amara cæraſia: quòd amarorem non iniucundum reſipiant.

Sunt & Macædonica cæraſia, paruæ quidem arboris, raróque (inquit Plinius) tria cubita excẽdentis: & munore etiamnum frutice chamæcæraſi. Inter prima hoc è pomis cõlono annuam gratiam refert. Primùm candidum, mox rubeſcit, deinde fugiens nigret. Hæc ex Plinio.

CERASIORVM autem apud nos uaria etiã ſunt genera, quæ optimum eſt ut explicemus.

Quædam (inquit Ruellius) mediocri arbore crescunt, interdum pumila, quasi frutice, quam chamæcerasum dici putat, hoc est, cerasum agrestem: pendent autem pediculo breui, pomo rotundo, rubente, carne multa, molli, succosa, osse intus duro, nucleo dulci, grato acore placentia: fortassis iis similia, quæ aproniana Plinius appellauit: atque hæc quidem apud nos tantùm cerasii nomen meruerunt: uulgus enim uocat, Des cerises: etsi in Lugdunensi agro Cerasia appellent, quæ Franci Guinea: & ediuerso Guinea, quæ illi Cerasia: sed hoc linguæ uarietas, & incerta quædam atque inconstans uulgi opinio effecit.

Chamæcerasus autem arbor, & chamæcerasia fortè appellanda erunt, quæ in syluis & nemoribus, nonnunquam in dumetis & cultis inueniuntur: bacis paruis, callo carnis rotundiore, ossibus appresso: parte soli obuersa rubescente, auersa candicante: sapore dulci quidem, sed dilutiore: ruri familiaria, sponte, nullo humano cultu, nascentia.

Sunt & insuper alia nigerrima, quibus succus inest sanguineus, ut uescentium manus & labra sanguine suo, modo mororum, inficiant: utraque autem (inquit Ruellius) sessiana rura uocant: sed posterius hoc ueteribus actianum dici putauerim, ut prius illud forsitan cæcilianum, curtato (ut in Gallia plærunque fieri solet) uetere uocabulo, æssianum pro cæciliano concisim prolatum. Hæc Ruellius.

Sunt & quædam cerasia (inquit idem) quæ pomo prodeunt proximo ex arbore grandiuscula, longiore petiolo, gustu multò acidiore quàm superiora, & subacerbo, cætera apronianis simulia: hæc autem uulgus mera-

sia uocat, Des merises. *Quorum quædã ob nimiam sui acrimoniam respuuntur: quædam nimia sui dulcedine fastidium pariunt. Multò sunt minora aliis: & quæ acida, rubicũdum colorem præ se ferunt: quæ uerò dulcia, etiam nigerrimum: ut manus & os ipsum ac labra, haud secus ac mora intingant.*

Alia ærasia procera ex arbore dependent, turbinatiore & oblongiore pomi figura, pediculis longis, pluribus unà cœuntibus: baccis partim rubentibus, partim candicantibus, nonnunquam in totum rubris: prædulci carne, ori iucunda, fragili intus osse, nucleo non insuaui. Sed hoc malum longè acidis fugacius, primúmque (inquit Ruellius) in ærasiorum genere maturitatem sentit, uulgus nostrum Guinea uocat, Des guynnes: *fortassis ob id, ut quidam autumant, quòd ex ea parte Galliæ primùm allata, quæ Aquitania dicitur, uulgò* Guyenne, *unde nomen tractum.*

Sed interea habentur quædam crassiora, alta carne, prædura, magna ex parte albicantia, prædulci gustu, callo corporis nucleo pertinacius hærente: unde putarim ueteribus duracina ærasia nuncupari.

Sunt præterea etiam alia iis congenerem quandam formam habẽtia: sed tardissimè omnium crescentia, crassioráque & nigriora: carne duriore & solidiore, admodũ dulci, & in qua per maturitatẽ uermiculi albicantes generantur: omniũ enim facillime putrescunt. Ea ærasia uulgò Cordia *appellantur*, Des cueurs: *à cordis humani effigie, quam tum ipse fructus, tum etiam os ipsum quod intus continetur, præ se ferunt. Quidam à galeri cuiusdam forma uocant*, Des heaulmes, Des cerises heaulmees: *& arborem ipsam*, Vn heaulmier. *Quæ no-*

mina in agro Andegauensi peculiaria sunt.

Cætera cærasiorum quæ in totum rubent, mollitia aliis œdunt: quæ partim albicant, partim rubescunt, cum utrisque societatem ineunt. Celerius maræscunt quæ molliori constant carne.

Condiendorum autem & conseruandorum cærasiorum rationem hoc loco explicare superuacuum uideretur, quando & id omnibus notum est, & institutum nostrum excedit: quemadmodum etiam si conserendarum arborum formam præscriberemus. Quæ omnia fusissime doctissimus ille Ruellius pertractauit. Nunc ad cornos arbores.

Sed prius quàm de cornis dicamus, ne quis affinitate & consonantia dictionum decipiatur, ut ceratia pro cærasiis dicat: æquũ uidetur id quicquid est dubij soluere, & hoc loco de ceratiis dicere, quas siliquas Latini uocãt.

CERATIA igitur (inquit Galenus lib. 2. de alimentis) per t literam scripta atque prolata tertia syllaba, nihil cum cærasis per ſ scriptis habent similitudinis. Lignosus nanque est hic fructus, & in cibo praui succi, necessario etiam concoctu difficilis. Hæc ille.

Idem lib. 7. Simplicium, arborem huiusmodi siliquas ferentẽ, ceratoniã uocauit: Ceratonia (inquit) exiccantis est & astringentis facultatis, sicut & fructus eius quæ ceratia uocant: nonnihil etiam dulcedinis cõtinens: Accidit autem istis quiddam simile cærasiis, &c.

Columella siliquam Græcam appellauit ipsius arboris fructum, quem etiam à Græcis ceration uocari tradit: Siliquam Græcam (inquit ille lib. 5. ca. 10.) quam quidam ceration uocant, & persicum, ante brumam per Autumnum serito.

Ceration autem uocarunt Græci fructum, à corni similitudine: recentiores Græci xylocerata uocant, inquit Barbarus. Quidam etiam Latini siliquas dulces: Itali uulgo, Delle carobé. Siliquam etiamnum arborem ipsam, uel siliquam Græcam Latini appellarunt, ut in priore Columellæ exemplo usum est, propter nobilem siliquarum fertilitatem.

Arbor hæc in Italia, & apud nostros Vascones frequens, siliquas ferens digitorum hominis longitudine, sed latiores, falcatas, pollicari latitudine: quæ lignosæ cùm sint, eduntur tamen, & prædulces sentiuntur. Succo & semine cassiam fistulam referunt. Quælibet siliqua quatuor intus grana continet, quæ neque caro, neque lignum, neque cartilago dici possunt: atque hæc quidem etiam ceraria appellantur.

SED est & alia siliqua arbor, quam Iones ceraunian appellant, ne quis decipiatur, quando ferè accedit ad ceratoniam: sed longè alia est, & à siliqua Græca omnino diuersa: quam Theophrastus describit, in Syria, Ionia, & circa Cnidum, Rhodúmque nasci: truncо fertilem, siliquæ pomo, foliis semper comantibus, flore candido cum odoris uehementia, &c. Fructum anniculum simul & nouum continet: pomo antecedentis anni circa Canis ortum detracto, statim alterum concipit. Cætera ex Barbaro & Ruellio desumito. Mihi satis fuisse puto, quòd admonuerim lectorem eius rei, ne quid etiam desyderare possit.

Dicendum est hoc loco de loto arbore, quando fructum fert cerasi ferè naturæ: in sylua enim commodè esse nequit, quandoquidem domibus præcipuè expetitur, ramorum petulantia, & latissima expatiantiũ umbra:

nullíque arbori opacitas breuior, nec aufert ſolem hyeme decidentibus foliis. Nulli arbori cortex iucundior, aut oculos excipiens blandius: nulli rami longiores, ualidioréſque, aut plures.

LOTVM itaque arborem, Aphri æltim uocant, Latini fabã Græcam, quòd fructus eius tuberculo fabæ grandeſcat, & ſua grata dulœdine cibis placeat: uel fabam Syriacam, à nympha in arborem (ut fabulantur) conuerſa, quam Priapus fugientem comprimere quæſiiſſet: Græcum uulgus anacacabeam uocat, ut Aëtius author eſt: Italia hodie tum amarenum, tum pongeracum, tum uiſciulum appellat. Macrobius acrifolium, alij caeragnem: uulgus noſtrum uocat Aliſier: & eius fructũ, Des aliſes: fortaſſis (inquit Ruellius) propter eius lignum indiſſolubile, & ob id ad fiſtulas natum. Arbor autem (quantum ad deſcriptionem ſpectat) infra pyri magnitudinem ſubſidet, breui caudiœ, cacumine ramoſo, cortiœ aſpectu grato, folio ilicis, niſi diſſectum eſſet: atra materie, & cuius color nigritia placet: ex qua ludicræ tibiæ fieri cœptæ ſunt: ad cantus enim tibiarum expetitur. Ex eius autem radiœ, culœlli capuli, breuiáque huiuſmodi negotia fiunt: quemadmodum pugiones, glutinamẽta, & alia pleraque. eſt autẽ radix nigra magis quàm lignũ.

Fructus arboris (ut iam diximus) uulgò uocatur Des aliſes: naſcitur in ramis, denſus, myrti modo, fabæ amplitudine, lutœi coloris, uel croci, dum maturus eſt, ſed antœ maturitatem, alius atque alius, ſicut in uuis: iucundus odor fructui, œraſi ferè natura: ſua mira dulœdine opiparas regum uienſas exhilarat, óſque mandentium odoris ſuauitate commendat: Manditur (ut author eſt Theophraſtus) inter lotophagos, innocua dulœdine, ſuauita-

téque. Populi enim Pharidis insulæ, propter arboris & fructus in ea copiã, ob id lotophagi dicti sunt. Tanta autẽ est fructus in ea regione copia, ut exercitum Ophelli Carthaginem petentis, in commeatuum defectu pauerit.

Vinum ex baccis exprimitur, quod Cornelius Nepos tradit simile mulso esse: atque id ultra denos dies inficitur: baccæ autẽ cũ siliqua, ad cibos, doliis cõdi possunt.

CORNORVM ORDO.

Cornus arbor, crania uel cranias Theophrasto & Galeno appellatur: uulgò autem, Vn cornoillier: dicta fortassis, quòd caudicæ sit ita solido & nodoso, ut cornibus spissitate non absimilis respondeat. Sexus in ea duplex. Est enim cornus fœmina, quæ Theophrasto thelycrania, quasi fœmini cornus dicitur: caudicæ fungoso & inutili: uirgulis instar amerinæ fruticat, autũnalibus baccis perquam acerbis, quæ difficillimè manduntur, dumetis & nemoribus familiaris, sed (inquit Ruellius) quòd neglectas & ingustabiles ferat baccas, indignam quæ corni nomine uocaretur, rura putauerunt. Corna masculæ (inquit Plinius) materies robusta, solida, excórsque tota est: hoc est, sine medulla, & cornu instar prædensa & ossea (unde optima uenabula fieri uidemus) duodecim ferè cubita excedit, folio amygdalæ, sed crassiori pinguióríque flore, & fructu oleæ, dulci, grato odoratu, pluribus cornis singulari pediculo dependentibus. In Ida sterilis: tamen apud nos multò feracior & fructuosior, præsertim si urbana est cornus masculæ, quam uulgus nostrum corneliam, ut prius diximus, appellauit: nam fœmina fruticosior est, & serotinos fructus fert, nempe post autumnum:

præcox autẽ cornus mascula, circa æstiua solstitia fructũ reddit, primò candidũ, postea sanguineũ: Dioscoridi, oliuæ similẽ, oblongũ, per initia uiridem: cùm maturuerit, rufum: cæræ æmulum, cibis idoneum: de quo mox diæmus.

Est & in India arbor (inquit Plinius) ferens fructus cornis similes, quæ merito cornus Indica nominari potest. Sed nunc ad fructus.

Corna, appellantur cerni arboris fructus: uulgus nostrũ cornellia uocat, Des corneilles: os intus lapidosum continent. Vnde est illud Virgilij, Lapidosa rubescere corna. Cæterum quo pacto condiantur, & cuius sint saporis, qui uolet exactius scire, legat Ruellium: mihi tantùm sufficerit hæc paucula pueris nostris prælibasse: nam cornorum aut fructuũ, aut arborum alias differentias non reperi. Nunc ad sorba & mespila.

SORBORVM ET MESPILORVM ORDO.

Ambas has species ferè congeneres duobus quincunc ialibus ordinibus, uno interordinio discretis, in nostro pomario conseremus, ac uicinas faciemus.

Sorbus arbor est procera, quam Græci oen & œien, fructúmque oa & ua uocant: Galli, Vn cormier: cuius descriptionem longissimam uidebis apud Theophrastum lib. 3. cap. 12. & Plinium lib. 15. cap. 21. Est autem duplex, mas & fœmina: sed fœmina sola fructificat, fértque à trimatu: Autumno foliis subinde amissis cachrym suam fundit, eduraturam hyeme ut in robore. Plura petito apud Ruellium: nam hæc tantùm puto esse magis necessaria.

Sorbi fructum, Columella mala sorba appellat lib. 5. cap. 10. Vulgus nostrum Des cormes. Hoc autem inter se discrepare uidentur ipsi fructus: quòd alij sunt figura orbis, alij oui similitudinem habent. Discrimen item est eorum in succo: alij enim odoratiores dulciorésque sunt, ut orbiculati ferè omnes: alij acidiores, peiúsque olentes sentiuntur, ut ouales. Sed sorbo syluaticæ, inquit Theophrastus, præstantior semper est, quàm urbanæ fructus. Sorborum alia genera & differentias, item condituræ rationem ex Hermolai corollariis, & Ruellij libro primo desumito. Nunc ad mespila.

MESPILVS arbor spinosa, mali uulgaris altitudine inferior, folio acutæ spinæ, &c. quæ ex Theophrasto requires. Gallorum quidam meslierum, quidam neflierum uocant. Vn meslier, ou vn nefflier. Itali priore litera tantùm immutata, pro mespilo nespilum dicunt. Cæterum hæc arbor Catonis æuo in Italia non fuisse comperitur.

Theophrastus & Plinius locis superioribus tria mespilorum genera commemorant, Anthedonam, Setaniam, Gallicam, quam degenerare tradit Plinius. Quarum descriptionem apud ipsos authores uidebis. Dioscorides duobus tantùm generibus contentus est, altero quod mespilum appellat, & à quibusdam aroniam uocatam tradit, cui folia acutæ spinæ tribuit: altero quod aliqui setanium, aliqui epimelida uocant: Hyppocrates autem hoc amamelida uocauit. Sed de epimelide uaria authorum sententia. Tertium autem id genus, quod Theophrastus & Plinius connumerarunt, incertum est, an cum sorbo connumerarint ac confuderint: quandoquidem inter altissimas ponunt Gallicam illam mespilum: quod certè

sorbo

sorbo quàm mespilo nunc uocatæ magis conuenit, nisi quis (inquit Ruellius) nostratem mespilum chamæmespilum appellandum fortasse censeat. Galenus mespilum communi uocabulo tricoccum, quasi triossum, aut triganium ab aliquibus appellatum meminit: quoniam tria intus grana, siue ossa seminis, loco fructus contineat. Quid autem sit epimelis Galeno, in Arbuto prius descripsimus.

Galli nostri (authore Ruellio) duo tantùm obseruant mespilorum genera: unum quod rarioribus horret spinis, in dumetis & nemoribus, neque non uiuis sepibus, quasi syluestre nascens: pomo paruo & per initia tam acerbo, ut uix edendo sit, prius quàm per hyemis frigora mollescat: uocant autem id pomum, Vne neffle. Alterum grãdiore pomo, ita ut mala reliqua magnitudine peræquet sine spinis: quod uidetur crebro insitu in hortis cõmutuisse, & feritatem cultu deposuisse. Poma per gelicidia acerbitate domita m passo uel mulso coquũtur, adiecta cinnamomi portiuncula, ut sint cibo gratiora. Hæc ex Ruellio.

Neque plura de hac re, ne prolixiores uideamur quàm par sit, in re satis facili & explicata. Veniendum est ad Oliuetum, ut uno contextu, fructus omnes ossibus intus minutos describamus. Posthæc autem ad Ficetum, & nuces, ac castaneas descendendum erit.

OLIVETVM QVOD ET OLETVM CATONI DICTVM EST.

Reliquenda sanè erat bona pars Seminarij nostri, in qua oliuetũ deponeremus & consereremus. Quapropter etiam multi ordines ad olearum consitionem re-

lecti, & utilitatis gratia ipsis oleis destinati, nunc declarabuntur.

Oliuetum tantùm Gallia Narbonensis nouit: in reliquis enim Galliarum partibus minus frequens est aut fœlix olearum prouentus, qui apud Italos fœlicissimus semper fuit: ut etiam ipsis utibus oleas maritare solerent: atque hinc oliuas decerpere, quæ medij essent inter uinum & oleum saporis. Plurima oliueta usuntur hodie circa Padum & lacum Læmanũ: itẽm circa illud Tibur quondam nobile Romæ uicinum, unde Vestinum olea Tiburnum montem dixit Virgilius lib. 2. Georg. Quorum oliuetorum cura, & conserendi ratio haud est ipsis Italis minori in pretio quàm olim fuit: tantámque adhibent in oliuetorum cultura diligentiam, quantam in nostris uinetis adhibere solemus. Itaque quando id nobis non est usqueadeò frequens, cùm tamen oleo quotidie uictitemus: commodum uidetur primùm de oleis: deinde uerò de ipsis oliuarum generibus: posthæc autem de ipso oleo pertractare, & pueris nostris hac in re dare operã, ut saltem ipsum Columellam, & alios authores Latinos facilius intelligere possint. Nam (ut iam sæpe diximus) non est id instituti nostri, agriculturæ rationem, & cætera id genus percurrere: id enim maiori diligentia, & multò accuratiori dicendi ratione collegit noster Ruellius (uir omnium, sic enim loquar, qui hodie huic rei dant operam, longè peritissimus) quàm à quoquã dici possit. Nos uerò tantùm facliora attingemus, & quæ scimus pueris nostris maximè esse utilia, ad bonorum authorum cognitionem: relictis iis quæ altiora erunt, & ab ipsius Ruellij fonte petenda. Sed ad nostram oleam.

Olea, Græcis elæa, Latinis interdum termes, Gallis

oliuerus, Vn oliuier: arbor est notior, quàm ut explicari debeat: est enim saligneis ferè frondibus, ut eminus oliuetum si spectes, haud prius tibi cognitum (quod mihi aliquando accidit Italiam peragranti) facilè pro salicto accipias, & salictum sine controuersia indices: nisi cominus inspicias oleæ frondes esse angustiores: quæ tam breui innituntur pediculo, ut quasi defixæ cohæreant. flores præterea gerit olea pusillos, sed foliatos, fructum ambientes: qui cadiui, si perforati spectentur, probè flosculorum iacturæ præbent augurium. Reliqua inuenies apud Plinium.

Oleam Mineruæ sacram, Græci moriam uocabant, inquiunt Aristophanes & Pollux: quemadmodum in Olympia nascentem oleastrum, calliste phanum appellabant, quia Olympiæ victores ea coronarentur, ut inquit Pausanias. Fructiferam uerò oleam poetæ Græci secon appellarunt Phocioni.

Oleaster, Græcis cotinos dicitur, siue agrielæa, hoc est sylvestris olea, fœcundior satiua: quod ferè sylvestres habent, ceu cura fertilitatem minuente. Virgil.

Indicio est tractu surgens oleaster eodem
Plurimus. Cætera quæ ad culturã & descriptionem pertinent, ex longa authorum disceptatione inuenies.

Oleam AEthiopicam (inquit Dioscorides) ueteres Græci oleastrum appellarunt, atque id ex similitudine: est enim arbor in ea regione oleastro similis: itaque nullum inuenit ob similitudinem aptius, cui cõpararetur nomen & genus. Olea autem hæc (inquit Barbarus) in Arabia nascitur in maritimis & fluctibus, æstúque operitur rubro mari, à qua distillat lachryma quædã, scamoneo aliquantulũ similis, rufuscula tamẽ (inquit Ruellius)

ſtillicidiis minutis mammoſa, mordaci guſtu, gũmi aſpectu, & ammoniaci ſimilitudine nigricans, ex qua hodie fit medicamentum ad multa utile. Sunt qui putent id eſſe quod uulgò in officinis gummi Arabicum appellatur.

Chamælæa Græcis, Latinis oleago ſiue oleaſtellum, uulgò Oliuella, officinis mezereon quaſi lethalis & uiduifica: Frutex eſt ſuculoſus, ramis palmaribus, foliis oleæ ſimilibus, tenuibus, amaris, quæ guſtata linguam acriter mordent, fauceſque ac guttur uellicatu lacæſſunt, unde animalibus cunctis intactus eſt: baccas fert uirides, per maturitatem ex parte rubeſcentes.

Thymelæa herbariis noſtris, nunc oliuella, nunc leo terræ, modò etiam linum ſylueſtre dicitur, quoniam ſatiui lini ſimilitudinem refert. Frutex eſt ramos emittens ſpecioſos, tenues, tripedaneos, foliis chamælææ anguſtioribus, glutinoſis, tactúque gummoſis: flore candido, bacca myrti rotunda, quæ interinitia uiret, & tandem rubeſcit, quam granum uel coccum gnidium uocant, Barbari granum allzermes, nucleo baccæ duro, foris nigro, intus albo.

Sed ne quis dictionum affinitate decipiatur, ut quo loco oleagnum inueniat, oleaginum legendum putet: quemadmodum baccam & radicem oleaginam Cato appellat, quæ ex olea arbore decerpitur: Sciendum eſt oleagnon ſiue elæagnon Theophraſto frutícem eſſe aquatilem, ſalicis amerinæ folio, ſed molli, lanugineſo, flore populi albæ, uerùm minore, fructu nullo. Naſcitur plurima ſuper inſulas fluitantes. Dicta fortaſſis elæagnos, quaſi olea caſta, quòd nullos fert fructus, uel quia frutici huic ferè ſimilis eſt, qui agnos à Græcis, hoc eſt caſtus, à Latinis uitex dicitur. Pharmacopolæ corruptè agnum caſtum

uno uerbo nominant. Videtur enim esse uticis quædam species, inquit Ruellius.

OLEAE fructus, oliua appellatur, Gallis Vne olive: quanquam interdum apud authores licentia quadam confundantur: ut oleam conditaneam apud Varronẽ legas, pro conditiua oliua, & quæ facilè condiri aut recondi & asseruari possit in amphoram, & spissamentis impositis ad usus in ællam reponi. Item oliuæ ramum, pro ipsius oleæ ramo apud Virgilium inuenies: sed tamen frequentior & usitatissimus modus est, ut oleam pro arbore, oliuam pro fructu ponamus. Vnde stringere oliuas antiqui dicebant, pro decerpere in ipsa arbore: etiã legere, ac quatere. Quæ tria uocabula sic inter se reuera differunt: Stringere enim, est manu stricta decerpere: Vnde oliuam ita decerptam, strictiuam appellat Varro: eáque omnium melior est. Legere autẽ, est scalis admotis ipsi oleæ, & digitis nudis (inquit Varro) oliuã decerpere. Quatere uerò, est pertica eminus percutere & ferire, quod arundine magis quàm pertica fieri debere censebant antiqui agricolæ: iubebãt item ne aduersam cæderent, dũ quaterent: sæpe enim ita percussæ oleæ, secũ deferunt de ramulo partẽ: quo facto fructũ amittunt posteri anni. Hæc uerò colligendæ oleæ ratio periculosissima, & minus utilis: nam quæ uapularũt oleæ, statim marescũt, nec dant tantùm olei, quàm quæ manu strictæ leguntur. Legebantur præterea oliuæ interdũ, non nudis quidem digitis, sed digitalibus opertis, ne oleo deuastarentur, quem morem non æquè probat Varro. Durities enim digitalium (inquit) oliuis est noxia: non solùm enim baccam stringit, sed etiam ramos glubit, ac relinquit ad gelicidium retectos.

Oliuarum genera apud antiquos decem potissimum in agricolarum notitiam peruenisse scribit Plinius, quarum nomina ab earum forma & sapore potissimum desumpta sunt: nam quæ à locis & inuentoribus petuntur, explicare, infiniti esset laboris.

Oliua pausia Catoni à pauiendo dicta, id est tundendo, dum oleum exprimitur: aliter enim hæc oliua ex se oleum non faceret, inquit Seruius in eum locum Virgilij, Et amara pausia bacca. hoc est, inquit, uiridi: nam ex pausia uiridi, exprimitur oleum: alioqui bacca est iucundissima.

Orchites oliuæ dictæ maiores: & à similitudine testiculorum appellatæ, ut arbitror. Virgilius,

Nec pingues unam in faciem nascuntur oliuæ
Orchites & radij, &c.

Grandis tamen olea Varroni dicitur orchas siue orchitis, antiquis archemora, quæ melius ad escam, quàm ad liquorē stringitur: nam omnis oliua maior ad escam: minor, oleo est aptior. Baccæ enim oliuarum nonnullis regionibus conuiuiorum epulis præparantur.

Radius uocata oliua, cibis gratissima est: unde etiam à Virgilio loco superiore plurimùm commendata. Tria enim hæc tantùm genera oliuarum facit, atque his contentus est quæ descripsimus: nam ea rastros, aut curam nullam desyderare tradit.

Oliuæ præterea colymbades ideo uocantur (inquit Barbarus) quoniam oleo suo puræ, hoc est sine accersita commēdatione innatant, & ueluti urinabundæ fluitant.

Halmades uerò oliuæ dicuntur, quæ muria propriè condiuntur: etiam si Græci nonnunquam eiusmodi nomina confundere soleant.

Sũt & nebrides appellatæ Iulio Pollici, quoniã enatẽt.

Sunt & pityrides, hoc est furfuraceæ: quæ in usum hunc stringuntur antè quàm matureſcant.

Oliuas autem, quæ inter copiam bonitatémque incipientæ bacca nigreſcere cœlliguntur, noſtri uulgò uocant drupas, Græci drypetas.

Poſſem hoc loco enumerare oliuam Liciniam, quæ omnium optima eſt, inquit Plinius, & maiorem olei copiam reddit: item & ſyrias, fidicinas, cœmunias, ſergias, regias, & mille alias huiuſmodi oliuarũ ſpecies: niſi hæc omnia Columella latiſſimè libro 6. & Plinius libro 15. pertractaſſent: quæ loca quiſque apud ſe legat.

Oliuæ, inquit Plinius, conſtant nucleo, carne, oleo, amurca. Nucleus à quibuſdam ſanſa, à quibuſdã naucum appellatur: unde prouerbium naucifacere.

Oleum, ipſius oliuæ ſuccus eſt: caro, ipſa ſubſtantia. Amurca uerò à Græcis amorge dicta, Latinis fæx oliuæ appellatur: éſtque ipſius oliuæ expreſſæ ſanies, ſidénſque retrimentum.

Veniamus ad oleum, & legendarum oliuarum, atque olei faciẽdi uocabula: quibus explicatis, olei quædam genera docebimus.

OLIVARVM liquor oleum eſt, cuius in torculario conficiendi rationem, agriculturæ ſcriptores antiqui fuſiſſime tibi aperient. Nobis ſit ſatis ad eos intelligendos uocabula ipſa exprimere, quæ huic rei commoda uidebuntur, & quibus utuntur ipſi authores.

Itaque ab oliuitate incipiemus. Oliuitatem autem ſiue oleitatem, Cato & omnes agriculturæ ſcriptores appellarunt, legendarũ oliuarum tempus: quemadmodũ uindemiam, uini faciendi. Vindemia (inquit Cato) & oleitate

facta, patibulo omnia in sua quæque loca reponenda. Est autem patibulum, instrumentum huic rei aptum.

Oliuarius siue olearius, qui torculis, in quibus oleum fiebat, & ipsi oliuarum expressioni præerat. Le pressoirier.

Leguli ab iisdem authoribus appellati sunt, oliuarum lectores: legebantur enim manu oliuæ & distringebantur, siue stringebantur propriè apud eosdem, cùm decerpebantur & colligebantur manu. Vnde strictiuæ oliuæ appellabantur, quæ manu lectæ erant: ad differentiam cadiuarum, hoc est, quæ sponte sua, uel coactæ ex ipsa olea deciderant: & fracidarũ, quæ emarcuerãt, & iampridem collectæ fuerant. Fracescere enim dicuntur oliuæ, quæ collectæ, calore & uetustate putrescunt. Fracs uerò oliuarum uocat Cato, ipsam oliuæ carnem, & corticulum unde postea fæces exeunt.

Factores dicti, qui oleum faciebant, & torculum mouebant, ut ipsa expressio fieret: unde factum olei appellarunt authores, quantum olei una torculi expressione, & uno macinate, quod uocant, exprimi poterat.

Capulatores præterea dicti, qui capulis oleum deplebant, hoc est euacuabant: unde decapulare oleum dictum est. Erant autem capulæ, uasa utrinque ansata, ad oleũ è lacu in dolia transferẽdũ. Lacũ uerò appellabãt cupam, in quam oleum defluebat ex torculo. Sed de uasis olearijs uideto libellum nostrũ De uasculis ex Bayfio.

Ostum insuper antiqui uocauerunt, quod ex uno facto olei reficitur. Factum uerò dicebant, quod uno tempore conficerent, quem alij centum sexaginta modiorum, alij centum uiginti faciebant.

OLEVM gleucinum antiquis dicebatur mustum

& primarium, ac quod expressum erat antè quàm oliuæ calcarentur, & fortius premerentur: nam gleucos Græcis mustum significat: hoc suauissimum omnium, & idem tenuissimum protinus deplet capulator, & ab aliis secernit: appellatúrque etiã id oleum postea cibarium, quòd in cibos ueniat.

Oleum deinde tortiuum appellatũ, quod trusatili mola celerrimè & uolubiliter in gyrum rotata, post primam expressionem demde eliciatur & exprimitur: unde secundariũ etiam appellatum, & protinus in alia uasa transfunditur: éstque communi usui commodum, non autem esui. Quod uerò ultima cõcalcatione elicitur, & tertiatione (sic enim uocabimus) multò deterius oleum euadit: ac combustioni & lychnus aptissimum.

Oleum omphacinum, quod ab acerba baccarum lanugine exprimebatur: baccas enim acerbas, quemadmodum uuas Græci oliuas omphacas appellarunt.

Alia præterea infinita nomina desumut oleum ab iis rebus cum quibus uel ad solem, uel ad ignem infunditur & incoquitur. Cuius generis infinitæ sunt species apud pharmacopolas: ut à ruta rutaceum, item rosaceum, uiolatum, iasminũ, & cætera id genus: quæ quia potius medicorũ esset persequi quàm grammaticorũ, ipsis medicis relinquo. Sũt etiã alia nomina ab urbibus petita & locis in quibus optimum oleũ fiebat, unde etiã facultatẽ & uires quasdam habere credebatur: ut Sabinum à Sabino agro, non autem herba Sabina. Erat autẽ Galeno & medicis antiquis summo in pretio propter dulcedinem & facultatem simplicem, non mixtam: oleum Hispanum uel Hispaniẽse paulò calidius: & permulta huiusmodi, quæ diligens lector & eruditus ex Plinio & Dioscoride requ-

rat, si uolet.

FICETVM.

Absoluta earum arborum descriptione, quæ fructus intus ossibus munitos producunt, nunc ad alias transeamus, & ab ipsis fœrum differentiis incipiamus, priusquàm ad morum & nucæs sermo se conuertat.

Ficum arborem Græci syœn & syœada nominant: quãquam syœada nouellam ficum ferè intelligunt, ut Iulius Pollux inquit. Gallis dicitur uulgò, Vn figuier.

Ficus omnis tam uulgaris, quàm peregrina & syluestris, breui est ferè nec proœro caudicæ: quanquam amplissimæ quædam inueniuntur, uel pyris æmula magnitudine. Cortex ei læuis, laciniosa folia & cruciformia: hoc est, ut Theophrastus inquit, σκλοποειδὴ, nisi quis κορωνοποειδὴ magis legendum putet: nam, inquit Hippocrates, uerè sunt folia ficœ pedibus cornicis simulia. Cætera quæ ad msitionem & reliquam eius arboris descriptionem spectant, ex bonis authoribus habeto. Nos omnia referre non possumus.

Caprificus, inquit Plinius lib. 15. cap. 19, è syluestrium genere ficus est, nunquam matureſcens. Erinos à Græcis uocata, quòd in Erineo Thessaliæ oppido primùm apparuerit, ut Phocioni placet. Longè ualidior est quàm ficus, & nodosior: prouenítque è ficariis granis, quæ Græci κεγχραμίδας uocant.

Sed & caprificari dicuntur arbores fici (inquit Palladius) cùm suspenduntur fici ex caprificœ, lino uelut ferro pertusi. si hoc desit, abrotoni uirga suspenditur: aut callũ quod in ulmi foliis inuenitur, aut arietina cornua circa radicæs arboris obruuntur: uel truncus arboris quo locœ

turget scarificãdus est, ut possit humor effluere. hoc quidem nostris caprificatio, à Græcis erinasmos siue sycasmos appellatur.

Ficus AEgyptia Athenæo, Theophrasto morus AEgyptia, Celsus morosycon aliquando etiam sycaminon appellat: Dioscorides & Galenus sycomorum. Mistæ naturæ arbor, quo modo si ex ficu & moro arborẽ seras: amplissima quidẽ, ficus similitudine, largo succo, foliis moro quã proximis: cui etiam magnitudine & conspectu proxima est. In Alexandria (inquit Galenus lib. 2. Alimentorum) sycomori plantam unà cum fructu prospexi, quæ paruæ candidæque ficui persimilis est. Nulla hic fructus acritudine constat, perexiguæ dulcedinis particeps, facultate ad humidius frigidiúsque nonnihil declinat, ueluti mora. Quinimo inter mora & ficus, hunc non temerè medium quis ponat, atque hinc mihi nomen inuenisse uidetur. Deridiculi nanque sunt, qui ex eo fructum hunc sycomorum appellatum dictitant, quòd parus ficubus assimiletur. Hactenus Galenus. Itaque neque ij qui sycomoron, quasi ficum fatuam, neque ij qui quasi paruam ficum dictam putant, rectè commentati sunt: quando & ipsa ratio iudicet fructum medij cuiusdam esse saporis inter morum & ficum, & ipsa arbor moro conueniat, cùm ficus gerat: quos quidem non è ramis dependêre uideas, quemadmodum in reliquis arboribus, sed ex ipso arboris caudice. Nascitur (inquit Dioscorides) plurimùm hæc arbor in Caria Rhodo, locáque non multi tritici feracibus, ubi prouẽtu fœcundo iuuamentum adfert, cùm annonæ caritas premit. hodie tamen Rhodo familiaris esse desiit. Tradit autẽ Vlpianus hanc arborem in Niloticis aggeribus esse frequentem, grauitérque in eos ani-

maduerti qui sycomorum exciderunt. Visa est nobis sycomorus Parisiis in horto Gotofredi cuiusdam pharmacopolæ, diligentissimi herbarum & arborũ, quæ apud nos rariores sunt, indagatoris & cultoris: ut sua diligentia multis in hac re profuerit, qui id unum desiderabãt. Vnde non mediocri laude dignus uidetur.

Sycouioro similis est, inquit Barbarus, quæ uocatur Cypria ficus, in Creta: nam & ipsa truncо pomam fert, & ramus, cùm in crassitudinem adoleuere. distat autem à priore, quòd germina emittit sine ullis foliis, radiculæ similia, cui fructus quasi cuspidis accessu præpilatur, quoties germinat, nempe quater: suósque grossos non perficit, nisi immaturi pomi plaga emisso lacte. Arbor est, populi albæ caudiæ magno, folio ulmi, pomo magnitudine pruni, ficus dulcedine, grossorum callo: fructus quaternos fundit, toties & germinat. Plura ex Ruellij commentariis.

Ficus pelagica in mari nascitur sine folio, nec magnitudine præstanti, cortice puniceo.

Ficus aliud genus (inquit Barbarus) pomum super folij dorsum ferentis, circa Idam ostenditur, & ob id opisthocarpion uocatum, Idæi cognomine. Ramosa, leuis, enodísque, superius comosa in orbem. Color folio & cortici liuẽs ac uiridis: folium tiliæ per omnia, sed molle: flos mespilæus, & cum mespilo erumpens: ficus rubra, magnitudine oliuæ, rotundior, sapore mespili, Alexandrinam uocant.

Ficum Indicam Oneſicritus apud Strabonem celebrat. Arbor est (inquit Barbarus) frõde superna luxuriãs, decora specie fornicatóque ambitu lasciuiẽs, & pulchrè sepes hortorum aut arbustorum opacans, & quasi uallo muniens. foliorum latitudo Amazonicæ peltæ habet effigiẽ: a causa fructum integens crescere prohibet, rarúsque est

fructus, nec ferè ciceris magnitudinem excedens, ficus similitudine atque sapore, cùm per folia solibus excoquitur. Parèt admodũ pro magnitudinis gestientæ desyderio fructificat: gignitúrque circa Æsinã maximè amnem. Plura ex ipso authore petito. Nunc ad fructus ueniendum.

Sed & hîc satius est de pala arbore dicere, quando ficuum Indicarum forma fert fructum.

Pala igitur, arbor est Indica, ostentosæ magnitudinis, folio lõgitudine trium cubitorum, duorum latitudine, nec absimuli pennis struthiocamelorum, quibus conos belliços adornant. Pomum ex cortice exit, Indicæ ficus specie: cæterum longè maius, & omnino suauius: ut quo gymnosophistæ utuntur, uno quaternos satiantur. huic autem pomo nomen est arienæ. Veniamus ad ficus.

FRVCTVS ficorum arborum, fici etiam appellantur, sed alia declinatione: quemadmodũ probè Valla libro eleg. primo descripsit. Itaque nunc ad eorũ genera.

Grossuli siue grossi, Græcis olynthi, propriè dicuntur ficus primitiuæ, aut, ut uult Macrobius, nunquam maturescentes. Columel. lib. 5. cap. 10, Si uoles ficum, quanuis nõ maturam, serã facere, tum grossulos, priorémue fructum decutito. Nõnulli autem (inquit Barbarus) sic distinguũt, ut ficus primò sit olynthos, deinde pheiex, postea cycon, postremò ischas: nam ischades, aridæ fici sunt, quemadmodum & caricæ, Figues de caresme. Inuenias tamen apud Græcos ischadas recentes & ueteres quoque ficus uocari.

Ficuum quædã à colore nomen habent, ut albæ: quales sunt serinæ omnium delicatiores, unde cognomen etiam habuerant, nostris Massilienſibus fortè conferendæ: sunt & quæ nostris albicératæ uocantur, etiam albæ: ni-

græ uerò cum messe matureſcentes & uindemia, quæ ſerotinæ appellatæ ſunt, & duricoriæ Macrobio, à corio duro. Huius generis ſunt & præcoces quædã nigræ, quales ſunt Tyburtinæ & Rhodiæ. Præcoces autẽ à Græcis prodromi appellãtur, hoc eſt præcoquæ & præcurrentes, quales ſunt quæ ex Laconico ficorũ genere producuntur. Plinius lib. 16. cap. 26, Ficus & præcoces habet, quas Athenis prodromos uocant. Purpureas uerò ficus fert AEgyptia arbor. Sunt & Lydiæ purpureæ, de quibus ſuprá.

Infinita ſunt alia ficuum nomina ab inuentoribus, patriis, & forma, petita. quæ qui diligentius ſcire uolet, habeat in prõptu Plinii locum, & Hermolai commentaria.

Vnum hoc addam præterea, puerorum cauſa, folliculos ficuum à Græcis appellari χαῖας, à Latinis grumas: ſemina autem & minuta grana, quæ in ipſis continentur, ĩidem Græci κεγχραμίδας uocant. Ficorũ autem decoctum plerique, inquit Paulus, Syræũ appellauere, cui & defruto quoque nomẽ eſt. Hactenus de ficis. Nũc ad palmas.

PALMETVM.

Palmetum locus dicitur palmis arboribus utilitatis & fructuũ gratia conſitus, quemadmodũ & oliuetum. Poſt uites enim & oleam proxima erat antiquis palmæ nobilitas. fertiles agri in Arabia (inquit Plinius) palmetis & arbuſtis. Nã noſtræ regioni palmæ familiares non ſunt, ſed potius Iudææ, Cyrenaicæ, Africæ, AEgypto, Cypro, Syriæ, Seleuciæ & Aſſyriæ. In Gallia autem & Italia, certè palma ſterilis eſt. Palmetũ tamẽ hoc loco ſubiecimus, quòd antiqui plurimam eius mentionẽ faciant, & fructus palmarum in frequentiſſimo ſint apud nos uſu: tum etiam

magis, quòd pulcherrima nobis uisa est palmarum differentiæ explicatio: & dignissima quæ uel eruditis proponatur, nedum iuuenculis nostris.

PALMA, Græcis phœnix, Vne palme, ou dattier, arbor est tereti ac procero trunco, punicei coloris, corticum orbibus gradatim scansilibus. Ramos à cacumine tãtùm spargit, inter quos (non autem inter folia quemadmodũ in cæteris arboribus) pomum inest palmitibus racemosum: fructus enim naturæ est uuæ atque pomi, de quo postea dicemus. Folio est arundinaceo, duplici, satis ad gladioli frondẽ accedente, nisi minus esset, & tenuius. In palmarum cacumine cerebrũ inest (inquit Theophrastus) quod Dioscorides medullam uocat. Dulcis medulla inquit Plinius) in palmarum cacumine, quod cerebrum appellant.

Palmam dupliçem fecerunt antiqui. Marẽ, quam tantum florere quidam putant, & id in palmite: Fœminam, quæ citra florem germinat, & statim fructus oblongos à semine suo ostendit.

Oxyphœnix autem, sylueſtris est palma, fronde saligna uirens: pomo pruni, osse duro, nucleo intus exili, carne foris copiosa, colore è nigro in luteum languescente: de quo fructu statim agemus.

Aliud ab ea genus est, quam Theophrastus chamæriphen appellat, hoc est abiectam & repentem humi palmam, in Creta & Sicilia copiosam, folio latiore atque molli, ad utilia utilissimo: Romanum uulgus ciphilionem uocat, mercatu eius frequenti. aliqui palmidium, Hispani margilion.

Chamæzelon Dioscorides uocat pumilam aliam palmam, frutiçantem, ramis cubitalibus, folio latiore & mol-

li, quo Itali ſportulas tegetes, & capitis umbellas ingenioſè contexunt, pomo rotundo, ſed maiore quàm mali amplitudine, cycas uocant. ab radicibus ſuccisa repullulat. ego putarim eandem penitus eſſe cum ſuperiore.

Longè diuerſa ab iis quam pelagicam Plinius uocat, frutticum generis, in alto naſcens, fronde corroſa, breui caudicæ, uirgis rectis, parte ima non in orbem, ſed in latitudinem ſigillatim ambientibus, continenti ſerie, aliquando tamen interrupta.

Palma autem, quam modò elaten, modò ſpathen appellant (inuolucrum eſt fructus è palma prodeuntis, inquit Dioſcorides) unguento naſcens, quo ſpiſſamenti loco ad domandum oleum unguentarij utuntur. Elaten autem Galenus tenellum palmæ germen intelligit.

FRVCTVS palmæ, Græcis phœnices dicuntur, unde compoſitio diaphœnicon apud pharmacopolas: Latini palmulas, uulgus dactylos appellat Des dattes, alij ficus regias nominant. Sũt autem hi fructus colore narij: quidam enim candidi, quidam nigri, alij herbacei coloris, alij purpurei conſpiciuntur. Cæterum omnes, formam habent oblongam, ſubſtantiam carnoſam, intus oſſeã, è palmarum ramis racematim dependent.

Caryotas palmulas antiqui plurimùm celebrarunt: a caro, hoc eſt uetero, quòd manducatæ uel expreſſæ, & contuſæ in liquorẽ, atque epotæ, carũ inducant, & capiti ſint iniquæ. Huiuſmodi enim palmulæ inter cæteras, ciuo præcipuè celebrantur, & uberrimo ſucco: ex quibus Orienti uina fiunt, capiti (ut diximus) iniqua, unde pomo nomen. Ex his acetum, mel & farina etiam fiunt.

Nicolai palmulæ, unum caryotarum genus eſt: ab Auguſto ita primùm nominatæ, in honorem Nicolai peripatetici

tetici philosophi, crebrò eas ad illum missitantis, ut inquit Athenæus.

Alterum genus caryotarum, adelphides Græcis, hoc est sorores uocantur, quòd minus sint speciosæ, quàm caryotæ, sed tamen earundem sapore & suauitate, aut saltem proxima.

Pateton Græci uocant tertium caryotarum genus, ob id, quòd omnino liquore madidum sit, rumpentæ se pomo in ipsa parente, calcato simile.

Eunuchos palmulas appellari scribit Aristoteles in libro de stirpibus, quasi testiculares & spadonias, quas alij enorchos uocant.

Margarides palmulas uocat Plinius quæ breues sunt, candidæ, rotundæ, acinis quàm balanis similiores: quare à margaritis nomen acepere. Crescunt hæ (inquit ille) in orbe meridiano: & quidem una solùm arbore in Chora, una & Syagrorum.

Palmulæ Thebaides appellatæ, in totum arētes sunt, quemadmodū & arabicæ, macro corpore exiles, & napore assiduo: crusta quàm cutæ uerius obductæ.

Phœnicobalanos Dioscorides appellat palmulas quæ solibus coquendæ relictæ aliquando matures cunt.

Syluestris porrò palmæ fructus existimantur ij esse à recentioribus (inquit Ruellius) quos officinæ tamarindos uocant, & nonnulli à saporis acore oxyphœnicas. algentis sunt naturæ: quapropter hodie in medicinæ usum ueniunt ad bilem flauam expurgandam.

De palmis satis diximus: ueniamus ad mororum ordinem.

MORORVM ORDO.

Morū arborem Græci syaminea dicāt & syæam, &

ſyæn. Media cœmœdia(*inquit* Barbarus)*ſyœaminon uocat & pomum & arborem: ſed pomum neutro,arborem maſculino genere: ut apud* Iulium Pollucem *notatum legitur.* Hippocrates *interdum ipſam arborem ſyœn, interdum moreon appellat.* Galli *uulgò* Vn meurier:*cuius deſcriptionem longiorem in tam uulgari nobilitate, non eſt opus hoc loco inſerere. flos ei uuiginei modo lanugineus: fructui toti, nec poſtremis tantùm inſidens,in mediis inualuatus: nec ſingulas partes ambit, fallens interdum propter lanuginem, ut cœnœrni nequeat. Cæterum mororum foliis* Itali,*atque adeò* Galli bombyces enutriunt, *ſericeam illam texturam, quam uulgò ſetam uocamus,conficientes. huiuſcemodi enim foliis præſertim tenuioribus,& ex ipſius arboris cacumine deſumptis ſummopere delectantur: qui ubi per aliquot dies depaſti ſunt,ut iam per totum corpus pellucere uideantur, ac cibum faſtidire, & ſuper ipſis foliis fila quædam capitæ eleuato producere: tum cornículis ex charta nitidiore concinnatis impoſiti, ſeſe ſua textura inuoluunt atque implicant, ut iam amplius non appareant, niſi poſt aliquot dies aqua tepida filo retexto, & arte diligenti explicato. Quod ubi factum eſt, iam non amplius apparent uermiculi, ſed ueluti corpus quoddam informe,oblongum, ruffum, & theca turbinata, ac circulis quibuſdam diſtincta,conuolutum: quibus motus quidam uiuentis intus animalis ſentitur. Tum demum ad ſolem poſiti uermiculi, tandem rugoſam tunicam exuunt, & ueluti in quoſdam papiliones commutantur: qui inter ſe more ſuo commixti, infinitas ouorum myriades generant, ac ſuper chartis aut foliis huiuſcemodi oua tenaciſſimè inſerunt: quæ primùm flaua,deinde uerò anno poſtero,&*

uere nouo ad ſolem poſita nigreſcere uidentur: ex quibus nigerrimi primùm uermiculi prodeunt, qui poſtea foliorum paſtu albicantes conſpiciuntur. Atque hæc quidem nos aliàs per ætatis delicias, & iuuentutis noſtræ crepũdia ſumus experti. Sed ad rem.

FRVCTVS mororum cartilagineus, ſtatim ab ortu candidus, cùm pubeſcit, rubet: ubi maturuit, ater eſt. Sic & ſuccus eius euariat: primùm enim acerbus & aquoſus, mox lenior & lentè rubens: deinde uerò uinoſus, ſanguineo colore manus inficiens. Sycaminon Græci pomũ ipſum uocant: Galli uulgò Des meures.

Atque hæc tantùm mihi uidentur pueris dicenda ſuper hac re: nam quæ ſuperſunt mororum genera, in rubis creſcere ſolita (unde Virgilius ait, Hærentia mora rubetis) ea fuſiſſimè in Hortuli noſtri ſepibus explicauimus, ut iam alia explicatione egere non uideantur. Præterea, quemadmodum ſæpe diximus, plura qui uolet, deſumat ex Ruellio. Iam uerò ad nucum differẽtias ueniamus. Nam caſtaneas in Syluam aſſeruabimus, quando ſunt ex glandium genere.

NVCVM ORDINES AC DIFFERENTIÆ.

Iuglans, dicta nux, arbor nobis uulgatiſſima & frequẽs, quaſi Iouis glans literis interaſis, ſiue quaſi dios balanos, pro diu glans: quanquam dios balanos caſtaneam Dioſcoridi ſignificet: de qua in Sylua ſuo loco dicturi ſumus, uel potius à iuuando dicta, ut quidã interpretãtur: Græcis caryon baſilicon uocata eſt, id eſt regia nux. Interdum Perſica Euboicáque: Gallis noyerus, Vn noyer. Sed

caryõ à Græcis dicta, à capitis grauedine, quæ caros Græcis, Latinis ueternum appellatur: nam & arborũ ipsarum foliorúmque uires in cerebrum penetrant, hócque in cibis earum nuclei, præsertim sicci minori momento faciunt. Dicta quoque regia, quòd eam reges è Perside transtulerunt: qua etiam ratione persicæ nuces appellatæ. Arbor est notior quàm ut repræsentari lõga interpretatione debeat. Itaque ad alias differentias ueniendum prius, quàm fructus enumeremus.

Nux auellana, prius abellina, inquit Plinius, patrio nomine uocata, ab Abella oppido, unde primùm allata, qua etiam ferè ratione appellata est nux pontica: eadem est arbor quæ & corylus: unde coryletũ, locus dicitur nucibus auellanis & corylis cõsitus, uulgò Vne couldroye: & frutex ipse, Vn couldre: quibus fruticum generibus scatet nostra Gallia. Itaque descriptione longiori non eget. Alia autem nomina, in declaratione fructus, hoc est ipsius nucis, aperiemus.

Nux Græca, ea est quæ & amygdalus arbor dicitur, siue nux amygdala: quod Columellæ & Plinii locis collatis facilè colligitur. Cato has nuces certè Græcas nominauit: quare non abre uenit in dubium, an hæc arbor fuerit in Italia eius ætatæ. Quidam tamen eas in iuglandium genere seruant: omnes quoque Thasias nuces appellari uolunt. Cæterum amygdalam siue amygdalum (nam utrunque pro arbore dixit Plinius) ideo Græcis nominari testis est Herodianus Alexãdrinus, quòd post uiride putamen, fructus ipse multos scarificatus ostendat, & in rimulas dehiscat, quas Græci amychas uocant. Nomen Græcum hodie apud nos retinet: sed paulùm uulgus declinauit, amandas uocans, Des amandes: & ar-

borem ipsam, Vn amandier: cuius descriptionem petito ex Ruellio.

Macer, quidam recentiores uocant corticem arboris magnæ, quæ ex India conuehitur: unde & xylomacer eiusdem arboris lignum uocauit Plinius. Qualis autem hæc fuerit arbor, incompertum habuit. Nonnulli diuinarunt esse eius arboris lignum & corticem, quæ nuces odoratas fert: alij uerò potius odoratæ illius nucis, quam caryon myristicon, id est unguentariam nucem nominant, corticem esse dixerunt (inter quos est doctissimus ille Manardus, rei medicæ peritissimus) qui in officinis sæpe ipsam nucem conuestire uisus est. Nucis autem huius, quam myristicam, id est unguentariam, uel moschatam aut odoratam appellari quotidie audimus, arbos uulgari persicæ (inquit Ruellius) similis traditur, roseo flore & nuce, quã proximè in fructibus declarabimus: eiusdem propè effectus, cuius & caryophyllon.

Est & palma quædam Indica, præmagnas ac pingues nuces ferens, quas nuces Indicas recentioribus appellari, Græcis carya Indica, quotidie audio: cuius oleũ butyro præfertur succi bonitate. huius etiam ueteres meminerunt. Nunc ad fructus.

FRVCTVS regiarum nucum uarij sunt, uariisque particulis obtecti & communiti, quas omnes Plinius propriis suis uocabulis explicat. Vnde puluinatum nucis calycem uulgus appellare poterit, L'escaille d'une noix: quòd in puluini quandam ueluti formam factus sit putamen deinde ligneum nucis, id erit quod uulgus uocat, La coquille de la noix. Postea autẽ qui subsequitur nucleus, quo dque tenerum & gustu optimum in nucis duobus putaminibus, bifidis ueluti carinis opertum compre-

henditur: id est, quod uulgò uocatum est, Le cerneau. Vnde etiam nucleum acini uocat Plinius lib. 23. cap. 1, quod uulgò pipinum uocamus, Le pepin. Nucleorum autem (inquit idem) in nuce quadripartita distinctio, lignea intercurſante membrana. distinctionum autem illarũ quãlibet partem uulgus coxam appellat, La cuisse d'une noix. Cæterum propriè satis uisus est mihi appellasse Suetonius oœllatas nuces, pro multis foraminibus distinctas: quod in ligneo putamine satis apparet. atque hæc puerorum causa dicta sint.

Sola huius pomi generum differentia (inquit Plinius) est in putamine duro, fragili, tenui, crasso, multiloco, simplici. Vnde Tarentinarum nucum (quæ à Tarento Neapolitano oppido dictæ sunt, quòd in eo loco optimæ nascærentur) duo genera rursus aliis nominibus distincta inueniuntur. aliæ enim à cortice siue putaminis mollitie molluscæ appellatæ sunt, quòd ex eo genere, hoc est ex Tarentinis, molliores sint, & nudæ cortiœ, uel molli uel fragili putamine prodeant. Aliæ uerò quæ duro sunt cortiœ & amplissimæ ac minimè rotundæ, à frangendi mora, moraciæ & moracillæ appellatæ. Sunt tamen qui putent Tarentinas propriè de molluscis intelligi: atque ita dictas à Tarento, quod Sabinorum lingua molle significat: unde Tarentinos dictos putat Varro: quod & Horatius confirmat, Molle Tarentum appellans: sic nux Tarentina dicitur, quæ ita mollis est, ut attrectata statim frãgatur. plura collegit Ruellius. Sunt & Galbæ, & Caluæ, & Thasiæ, & Albenses nuces antiquis appellatæ: de quibus uideto Plinium.

Nucis auellanæ fructus hodie quoque nomen retinet: appellat enim uulgus nostrũ nuces, quas corylus fert ma-

iores & rotundiores, Des auelines: *minores autẽ & turbinatiores nuculas*, Des noiſilles, ou des noiſettes. *In Aſiam Græciámque uenerunt è Ponto, ideóque Põticæ nuces appellantur, etiam* Heracleoticæ, *& leptocarya Græcis dicuntur: Latinis Prænestinæ, à Prænestè nobili Italiæ oppido: quas conditas ollis in terra uirides ſeruari Cato tradit. Has mollis quædam integit barba & calyx ſummatim fimbriatus: ſed putamini nucleíſque ſolida rotunditas ineſt.*

Amygdalæ, ſiue Græcæ nucis origo, in arbore iam dicta eſt. Fructus (inquit Plinius) gemino protegitur operimento, puluinati primùm calycis, mox lignei putaminis, cui ſolidus ſubeſt nucleus, acriore etiãnum obductus callo. Cuius duo ſunt genera: nempe amarum & dulce: hoc autem ſuauius, illud uerò ſalubrius eſſe creditur.

Amygdala Naxea, ex inſula Naxo ueteribus Græcis maximè commendabantur. Secundas partes ſibi uendicauerant Cypria, quæ præter morem cæterorum quæ gignuntur alibi, repando cacumine prodeunt. Cætera nomina apud authores inter legendum reperies. Mirũ hoc mihi uidetur, quòd hæc arbor inter cæteras apud Britannos nullum edere fructum conſpicitur, aut poſſe illic creſcere. Cæterum de noua progenie, quæ ex amygdalo ſeu nuce Græca & Perſico muiſa prioribus ſeculis exorta eſt, dictum eſt à nobis ſatis in malo perſica. Quo etiam in loco de nuce perſica arbore & fructu, quem perſiconucem, ſiue potius curtato nomine peſconucem uulgus uocat, abunde tractauimus.

Moſchocaryon, quod & moſchocarydion Græcis dicitur recentioribus, India mittit, inquit Ruellius: nos ea imitatione nucem moſchatam nominamus, Noix muſ-

cade,ou noix muguette. Ea membranoso primùm uestitur calyce, foliato, fissili, per extrema fimbriato, flauescente: mox ligneso tegitur putamine, fragili: cui cõpactilis subest globus nuclei uicæ, ab umbilico læuibus quasi striis extrorsum uirgatus, fungoso corpore, cæterarum nucum more minimè cauernoso: sed cœlitu intus rariore, intercursantibus uenis rubris, candicantibus interueniis. Tota dum recens est, succo pingui & oleoso madet, sic ut in unguentum exteri possit: unde multis myrepsica, id est unguẽtaria nux dici cœpit: & si pũgatur aculeo, aliquid remittit humoris. Ea iucundissimum spirat odorẽ, ita ut cum cinnamomo de odoris suauitate certet. Aetius caryon aromaticum, id est odoratam nucem uocat. Iã in ganeam & culinas descendit, ut opsonia suo sapore condiat, nullúmque temerè condimẽtum sine hac moschata nucula struitur. Hæc omnia ferè ex Ruellij commentariis.

Caueto autem, ne cum quibusdam putes eandem esse moschatam, uel unguentariam nucem cum balano myrepsica, hoc est glande unguentaria: fructus enim est arboris magnæ, non rectæ, sed contortæ, folia habẽtis myrto simulia, quam Theophrastus à fructu balanum quasi glandem appellauit. Alij ægyptiã palmam, alij adipson: de qua, unà cum suo fructu, in Sylua abunde dicemus.

Nucis Indicæ fructus uulgò uocatur, Noix d'Inde: cuiusmodi plures ex officinarũ ostiis dependere apud seplasiarios conspiciuntur. Globũ prægrandem gerunt, circumnatæ rotũditatis, inuolucris intectũ, calloso primũ herbaceóque cortice, intus ulloso, tenui tunica exterius uestiente: qua extrita, solutus in capillamenta satisfit, capaci subtus orbe, duro, ligneso: triplici foramine, concauo anfractu, grandi, nullis loculamentis interstincto: dulci in-

tus, cùm recens est, liquore: nucleo molli, candido, carnoso: cùm inueterauit, cartilaginoso. Ruell. Cæterũ nucis Indicæ nucleo matronas Venetas nobiliores uti solitas audiuimus, ut pinguiores & saginatiores suis uiris appareãt.

Restat pinea nux describenda, de qua cum sua arbore in Sylua tractabimus.

PISTACIA etiam in nucum genere habentur: quæ L. Vitellius cænsor (inquit Plinius) in Italiam primus intulit è Syria. Nam ea in Syria propriè etiam hodie nascuntur, & inde aduehuntur: crescunt in arbore omnino nuda præterquam ramorum cacuminibus. Hæc enim cõmãtur densiore folio, angusto & subruffo, ex surculis dependentibus, pineæ nucis similitudine. Arbor est (inquit Barbarus) folio maiore quàm lentisci, in ordinem utrinque disposito, distentioribus frõdium interuallis. Marem in hoc genere accipiunt, cui sub cortio uelut ossei longiores latêre uidentur æsticuli. Huiusæmodi arborem uidisse memini Venetiis, permultis in locis: item etiam Parisiis in æde diuæ Mariæ sacra: atque adeò in horto Renati Bellaij Cenomanensis episcopi, nunquam satis in herbarũ & arborũ rariorũ cultura laudati, ac suprà quàm dici possit, eius rei studiosi: quo nomine haud paruã cõmoditatem attulit nostris hominibus, quibus hactenus non solùm meliorum quarundam herbarum cultura & forma, sed etiam ipsarum uera nomina fuerant prorsus incognita. Porrò pistacia Nicander Colophonius psittacia uocauit, & alius Nicander pilistacia: sunt etiam qui listacia: uulgus pharmacopolarum barbarè uocat fistica, uel fisticorũ grana, Venetis atque adeò Italis communia, & post cibos in ultimis mensis expetita, auellanarũ loco.

Hæc sunt quæ iuuenibus nostris bonarũ literarum

ſtudioſis polliœbamur, quæque noſtra (qualis eſſe potuit) diligentia, & doctorum uirorum imitatione effiœre potuit. Neque uerò id nobis attribui à quoquam deſyderamus, quòd hæc inuenerimus, quòd etiam priores deſcripſerimus: nam & hæc omnia iampridem ab eruditiſſimis authoribus tractata fuerant: quorum interpretationi & facilitati, qui deinde noſtra ætate ſubſecuti ſunt litteratiores uiri dederunt operam: inter quos Ruellius noſter adſcribendus uenit, totius Galliæ in huius rei cognitione facilè princeps. Ille uerò, doctis & eruditis, doctè & eruditè ſcripſit: nos autem rudibus & puerulis, rudi Minerua, & quæ ipſos adhuc rudes maximè deœbat. Erant enim obſcuriora quædam facilius explicanda, facili etiam ordine deſcribenda. Atque hæc quidem ſi minus placebunt delicatioribus & moroſis quibuſdã ingeniis, ſciant nos ſibi non dediſſe operam: ſed ſi noſtris iuuenculis grata erunt (ut ſanè eſſe poterunt) futurum eſt ut poſt Arbuſtum, Vinetum ac Syluam, etiam Pratum, &, ſi fieri poterit, Agrum excultum habeant. Quæ niſi puerorum ſtudiis utiliſſima eſſe crederemus, nunquam bonas horas in hiſce puerilibus negotiis conſumere, induceremus in animum.

Diuertendum eſt nunc ad Seminarij culturam, & arborum in eo ſationem atque inſitionem. Quæ diſceptatio ob id à nobis Seminario noſtro ſubiuncta eſt, ne fortaſſis earum rerum, quas priori ſermone attigeramus, omnino rudes atque ignari uideremur. Parum enim eſt arbores uarias attigiſſe atque enumeraſſe, niſi quo pacto ſerendæ ac diſponendæ ſint intelligamus.

DE CONSERENDIS ARBORIBVS in Seminario : déque iis in plantarium transferendis, inserendis, atque excolendis libellus.

MINIMVM esse existimabunt agriculturæ studioſi, Seminarium uidisse, eiúsque rudem quandam formulam sibi ante cõspectum fuisse oblatã: nisi & quo pacto id excoli debeat, & quam operam ac diligentiam expostulet, eadem opera intelligant. Hoc nimirum ingenuis quibusdã animis innatum ac commune esse solet, ut non oculos modò, uerùm etiam mentem reficere cupiant iis rebus, quæ quotidie eorũ oculis obiiciuntur. Pascit quidẽ oculos mira rerum ac colorũ in hortis uarietas : mens uerò tum demum reficitur, quũ intelligimus & qua ratione proueniant in hortis ac plãtariis semina, & quã curam ac diligentiam expostulẽt. Quid autẽ existimari debet in homine præstantius earũ rerũ integra atque absoluta cognitione, quas uidet, quæque sibi quotidie proponuntur ? Nam si homo nulla præterea ducitur oblectatione, quàm ipso usu, & colorũ uarietatis admiratione, quid in hoc à brutis animalibus differt? Etenim ipsas quoque belluas rationis expertes, uaria colorũ admiratione duci certissimum est. Itaque ne etiam nos quiddam huiusmodi peculiare cum reliquis animantibus habere uideamur, quòd nihil præter colores admiremur: aduertendum est nunquid animum quoque reficere poterimus earum rerum cognitione, quæ ad seminaria facienda ac disponenda, arborúmque culturam, fossionem & insitionem pertinent. Diœmus igitur primùm de Seminarij fossione, seminum electione & transplantatione : deinde uerò quam culturam desyderent

arbores iuniores, in pastino aut plantario positæ: postmodum, quo pacto inseri, inoculari & emplastrari debeant: & quibus arboribus commodè id fiat. Denique, iam enatarum arborum culturam, & in excolendo diligentiam explicabimus: ut tandem ad fructuũ conseruationem sermo recidat. In quo describendo, siquid erit ab antiquis rei rusticæ scriptoribus in rem nostram probè & eleganter dictum, id quidem audacter desumemus: quorum sententiæ postea quicquid à nostris agricolis etiam hodie rectè fieri iudicabimus, quódque ipsi aliquando tum ex Egidio Varleio socero, agriculturæ in primis studioso, tum ex aliis permultis insitoriam artem gnauiter expertis didicimus, id antiquorum sententiæ subnectere non uerebimur.

QVOD SOLVM SEMINARIIS ELIgendum, & quo modo id excolendum.

Seminarium primo loco uocabimus (ut iam suo loco dictum est) quod uulgus nostrũ appellat Pepiniere, nempe locum seminibus arborum suscipiendis destinatum atque dispositum. Eius uerò solum, quod nostri uocant Gueret, eligere oportet optimum, & longo antea tempore dispositum, præparatum atque excultum: matrem arborum uocat Plinius, quam minus indulgentem ipsa nutriæ esse oportere ac debere ait: nutricem autem uocat plantarium, in quod iam enata semina, post aliquot annos transferuntur. Itaque locum quamoptimum & apertissimum, & stercoratissimum poteris, eligito, & quãsimillimum terræ, in quam semina iam adulta transferre ac ponere uoles. Eum locum bipalio uertito, dilapidató-

que, & circunsepito macerijs, uel fossis, aut uiua sepe (quē admodum dictum est in horto) ita ut non solùm pecori, sed ne homini quidem transitus sit nisi per ostium, dum adolescant semina: nam si prius cacumina manu perfracta, aut à pecore prærosa fuerint quàm adolescant, in perpetuum corrumpentur. Sit ergo solum siccum succosúmque, bipalio subactum, aduenis inhospitale (inquit Plinius) elapidatum, munitúmque ad incursum gallinacei generis: quamminimè rimosum, ne penetrans sol exurat fibras. Præparandum erit, ac fimo commiscendum, priore quàm semina committas anno, ut probè terra fimum suscipiat, eóque pinguescat.

SEMINARII DEFOSSI, PRÆPARATIO AD SEMENTEM.

Arborū quæ cura atque arte hominum proueniunt, aliæ semine producuntur, aliæ plantis radicis, aliæ propagine aut auulsione: aliæ surculo aut consecto & insito arboris trunco. Seminum itaque sationem & culturam primùm docebimus, antequam alias rationes attingamus.

Semen arborum & aliarum plantarum serere, naturam nos docuisse certissimum est: nempe cùm primùm uideremus semen ex arbore decidens, cum ipso fructu exceptum terra uuisere. Ergo semina quæ subacto & præparato solo committere uoles (siquidem pomorum aut pyrorum, aut etiam uuarum, aut oliuarū erunt) Septembri aut Octobri mense petenda sunt, accipiendáque cùm primùm ex torculario (iam expresso fructuū succo) prodeunt, aut paulò pòst, antequam deuastentur & corrūpantur. Acepta semina manibus diligenter confricato, &

facito ut detergantur bene, & munda sint.

Soli, in quo seminarium facere uoles, glebas putres diligenter confringito ac comminuito: eo stercus minimũ addito & consarrito. Post hæc areã facito, æquatam cylindris aut uolgiolis: deinde uerò in oblongos puluinos aut porcas pedes quinos latas conformato: itinera circũquaque efficito, ut saculari & sarriri possint semina, falcémque experiri, eíque iam à teneris consuescere. Caueto autem diligenter, ne dum id facies, semina paulatim emergentia pedibus conteras. Terram quam ademeris, dũ itinera conformabis, custodito, ut seminibus superiicias.

SEMINARIA EX VINACEIS ET acinis quo modo fieri debeant.

Vinacea, aut pomorum acinos super porcis planis, paululum concauis, ita serito, quasi pisa aut fabas sereres, aut tanquam linũ. Terrã asseruatam, si uoles, cribris supercernito pollinis crassitudine, & saculo leuiter conuoluito semina: caueas interim ne plus æquo cõmuscẽtur.

Sunt qui acinos in torculario electos, & diligenter emũdatos, desiccare sinant in umbra, eáque usque ad brumam adseruent: post brumã deinde serant, hoc est uere primo, quemadmodum dictum est: sed eo pacto non sunt areolæ usqueadeò altè effodiendæ, neque tam spisso solo operiendæ: tamen operienda sunt semina post sationem.

Seminibus in terram proiectis, & prima saculatione terræ commixtis, Cato furcis crates imponi iubet, altitudine hominis, ad solem recipiẽdum, atque integri culmo ad frigora arcenda. Sic pyrorum malorúmque semina bene nutriri aiunt, sic uuas pineas nuces, sic cupressos

semine satas, & ipsas probè educari. Nostra ætas uirgulta sicæ & spinas ac rubos superiicere consueuit, ad aues & gallinas arcendas à seminario: palisque circunsepire solet, ad pecoris iniuriam.

Post hyemem, semina putrefacta cùm iam è terra prosiliunt, unà cum herbis noxiis, tum sæpius sarrienda sunt: ipsæque herbæ eximendæ simul ac nasci cœperint. Nam timendum est, ne si herbam duram, & iam natu grandiorem uellas, semen simul euulseris. Itaque sarriri sæpius debent semina, crebróque exherbari, ne præter alia uitia, uermnosa fiant.

Annicula semina, & iam frutticantia, supputari debent, ut discant falcem assuescere: útque succus in unum tantùm caudicem prorũpat, ualidiórque fiat. Hyeme accelerante, eáque iam cœpta, antequam alia germina aut oculos exerere incœperint: tum quidem transferenda sunt in alium locum, quemadmodum mox doœbimus.

SEMINARIA EX BACCIS ET PILVLIS.

Ita quoque de ulmis, lauris, & cupressis faciebant antiqui, quemadmodum paulò antè doœbamus. Vlmorum semunaria sic feœrunt. Vlmorum, priusquam folia uestirentur, semen colligebant: (hocautem samara dicitur) id autem colligendum erat Martiis Calendis, cùm flauescere ulmus incipit: deinde biduo in umbra siccabatur, atque ita serebatur densa in refracto terra, super minutatim cribrata, pollicis crassitudine: pluuiæ si non adiuuarent, rigabantur semina. Post annum, in ulmaria deferebant ex arearum uenis, interuallo pedali in unamquanque partem relicto. Populis eadē ratio

fuit semine qua ulmos serendi.

Laurus quam augustam & baccalem uocarunt, baccis serebatur hoc modo. Baccas mense Ianuario aquilonis afflatu siccante legebant, expandebántque raras, ne calefierent aëruo. Quidam fimo ad serendum paratas, alij urina madefaciũt. Alij in qualo pedibus in profluentæ deculcabant, donec auferretur cutis. Myrti hoc modo seruntur.

E cupresso fœmina (mas enim non gignit) pilulas colligebant antiqui eodem mense, quo & baccas lauri: eas sole siccabant, donec ruptæ semen emitterẽt: id uerò mense Aprili serebant suo more qui suprà dictus est.

NVCVM IN SEMINARIO PONENDARVM RATIO.

Nuces quoque seminibus seri gaudent, ut ex iis seminaria fieri possint, quorum plantæ deinde transferantur. Sed ex antiquorum præceptis, cauendum est ut amygdala in argilla molli serantur: eo enim solo gaudent: in pingui & humida terra moriuntur ac sterilescunt: duram calidámque terram amant. Ternæ simul serendæ, trianguli ratione, palmo inter se distantes, sed eligendæ falcatæ quammaximè, & è nouella, fimóque diluto per triduum macerandæ: aut pridie quàm serantur, aqua mulsa denis diebus adaquandæ, donec grandescant. Hoc in amygdalis serendis antiqui Græci, atque adeò Romani obseruarunt, quòd eorum solum satis infœlix esset ad ea producenda.

Nuces iuglandes, porrectæ seruntur, commissuris iacentibus. Pineæ, nucleis septenis, ferè in ollas perforatas additis:

additis : aut ut laurus, baccis seritur pinea.

SATIO NVCLEORVM IN SEMINARIO.

Arbores nucleis procreatæ, nucleis etiam seri debent in seminario: quemadmodum erunt oliuæ, cerasia, pruna, & id genus cætera. Itaque nucleos ex fructibus quos optimos comederis, asseruare licebit, & in umbra per aliquot dies resiccare, ne solem paulò uehemẽtiorem patientur, néue ab ipso sole corrumpantur.

Nuclei post autumnum, statim hyemis initio erunt conserendi, ut per hyemem in terra asseruẽtur, & calore intus retruso nutriãtur, ac deinde confringantur, & uere nouo prosiliat è terra germen. Alioqui periculum est ne quos nucleos, statim ubi fructus comederis, protinus conseras, eos ante hyemem enasci conspicias, & per hyemis frigora corrumpi. At si post hyemem conserendos nucleos distuleris, uel propter negligẽtiam, uel quia non licuerit per temporis opportunitatem, lacte macerari per quatuor, aut eo amplius dies iubebis, atque ita conseres.

Stercoratum & altissimè effossum, ac diligentissimè subactum esse oportet solum, in quo nucleos cõseras, neque tribus digitis altius effodias in terra, efficatóque ut semipede distent abinuicem. Quos uoles eodem loco permanere in quo conseueris, eos nunquam solos serito, sed facito ut quinos seras: cúmque iam succreuerint, quem ex nucleis lætiorem uidebis, eum in seminario relinquito, alios in plantarium transferto.

Sunt nuclei quos si in optimo solo primùm conseueris, eóque elaborato, & ad solem meridianum exposito, pro-

pè similes fructus adferãt iis à quibus exeũt: neque alia præterea indigent translatione. Eius generis sunt amygdala, iuglandes, persica, armeniaca, castaneæ: denique uerò syluarum omne genus. Alioqui si in umbrosis hortis, aut agris huiusmodi nucleos cõseras, quibus neque solis, neque aëris, aut terræ eadem fuerit libertas, fortassis æquè magnos atque spectabiles adferẽt fructus, sed non æquè dulces, aut amœnos gustu, quem ex soli bonitate, solisque conspectu proficisci ærtissimum est.

Pineos nucleos si conserere uoles, eos Martio mense conserito, aut ubi ex arbore deciderint nuces: loco gaudent optimè defosso, pingui, & aprico solo. Nam ex eo loco, in quo primùm sati fuerint, eximendi non erunt: neque enim, nisi ægerrimè, translationem patiuntur: aut si id quidem, cauendum est imprimis ne radicem crassiorem & præcipuam offendas.

PLANTARIA QVO MODO FACIENda, transferendis ex Seminario nouellis idonea.

Plantaria iure uocabimus ea quæ uulgus nostrum appellat Bastardieres, ipso uocabulo rem ipsam enuntiante: nempe quòd illuc plantæ ex seminibus, & in seminario natæ illuc transferantur. Natura etiam plantaria demonstrauit (ait Plinius) ex multarum arborũ radicibus pullulantæ sobole densa, & pariente matre quas eneæt. Itaque semina prius nutrici dantur: non enim moris est statim in sua locari: sed ubi in seminariis adoleuerint, iterum aliò migrant. Qui trãsitus mirũ in modum mitigat syluestres arbores: fiunt enim translatione folia latiora, & fructus uberiores atque ampliores. Nam quæ

ex seminibus aut acinis in seminario proiectis nascuntur arbores, eæ, quos fructus gerunt, nunquam simules uidẽtur iis, à quibus acini desumpti sunt, quapropter trãslatione mitiores fiunt: sed nunquam tamen usquequaque similes nisi post translationem inseras.

Plantarium in quod anniculas, aut bima transferre uoles semina (nam maiora transferre non licet) eodem pacto excultum esse debet, quo & seminarium docuimus. Optimúmque fuerit, ante annum id excolere, ut solem pluuiásque combibant glebæ. Debéntque plantæ ante omnia, in similem transferri terram, aut (si fieri potest) meliorem. Situm quoque loci obseruare oportet: neque ex tepidis aut præcocibus locis in frigidos aut serotinos, neque ex iis in illos seri debent. Quumetiam scrobes antè præfodiẽdæ, quàm semina transferas, donec pingui æspite obducantur. Scrobes uulgus nostrum uocat Rayons. *Possunt etiam in eodem seminarij solo, sed eo iterum culto, transplantari semina.*

PLANTÆ IN SEMINARIO NATÆ, quam curam desyderent in translatione.

Ablatis ex Seminario plantis, radicæs omnes abscindendæ, etiam omnium crassissimæ: nihílque relinquendum, præter maiora radicum capita, quæ ligno uicinora sint: Si tria fuerint semina, minus ex radicibus erit incidendum. Neque permitti debent radicæs mora marescere: terráque circa ipsas (ex authoritate Catonis) fistucato spissanda, plagæ quoque radicis trũcatæ, è trunco oblini, fimo & foliis præligari debet.

A septentrionibus uento flante, aut ab ea parte cæ-

li, usque ad exortum brumalem effodiri non debent arbores: aut certè non aduersæ iis uentis radices præbeantur: nam propter id emoriuntur, ignaris causæ agricolis: atque hæc Cato.

Idem ait attinere plurimùm, ut in seminibus quæ transferre uoles, aëris regionem signes in cortice. Si enim ad meridiem porrecta sint in seminario, meridianã cæli partem signare debes in cortice seminum, ut translata in iisdem statuantur locis, quod sanè iustum existimauerim: alioqui incommodũ est, periculúmque immineat ne aquilonię meridianis oppositæ solibus findantur, & algeant meridianæ aquilonibus. Itaque qui arbores anniculas emunt, quas in hortis suis transferre cupiant, diligenter interrogare debent quod solum prius habuerint, & aduersus quam cæli regionem creuerint.

Planta secundum soli naturam, in suo plantario poni, & magis aut minus altè effodi debet. In argilloso aut duro solo, trium cubitorum in quanque partem altè fodere terram oportet. Si locus aquosus sit, lata & profunda ternos pedes scrobs fieri debet. Altius quoque demittantur eæ plantæ, quæ summa tellure gaudent, ut fraxinus & olea. Cæteris satis est si altitudinis pedes ternos effecerint.

Interuallo sesquipedali seri gaudent acini siue nuclei in seminario, ne se mutuò contingant: in plantario autem, interualla ex loci natura sumuntur. Verùm de dispositione ipsarum, certum est ex præcepto antiquorum, quincuncialis ordinis rationem non modò necessariam, sed & perflatu utilem, & aspectu gratissimam, quocunque modo intueare, in ordinem se porrigentę uersu. Huiusmodi dispositionem arborum in plantario uulgus nostrum

uocat Arbres plantez en eschiquier: *quòd eius tabulæ, in qua scachis ludimus, ordines uersicolores sint eo pacto dispositi: cuius dispositionis rationem satis iam in Seminarij descriptione docuimus ex nostro Bayfio.*

Positæ in alieno solo plantæ nouellæ, per annum excoli debent, sarriri: per æstatis siccitatem interdum irrigari, palo fulciri: & herba aut stramẽto ad palum alligari, ut rectius crescant, nec uentis deturbentur. Paululum nonnunquam ablaqueandæ, ut tamen radicæs nondum confirmatas non attingas. Pullos & germina quæ produxerint anno primo, falcæ eximito: ut unum tantùm ex iis quem ualidiorem uideris, relinquas: alios usque ad truncum eruncæs. Dum in altum attolluntur, superflua semper eximito germina: quod faciendum erit præsertim Martio & Aprili mensibus. Post quintum aut sextum deinde annum, arbor iam fructum ferre incipiens, & fortassis iam insita, transferri aliò apta est. Sed quomodo arborum iam enatarum translatio fieri debeat, & quam curam desyderent, quóque tempore atque aëre fieri liceat, postea dicemus, ubi primùm de arborum per taleas positione, deinde uerò emplastratione & insitione pauca quædam docuerimus.

POSITIO AVT SATIO ARBORVM in pastino per taleas aut surculos.

Positionem & sationem arborum per taleas aut surculos, uulgus nostrum uocat Affier. *Excogitata autem est hæc ratio ab agricolis, ad celeriorem arborum prouentum: celerius enim quædam arbores taleis satæ proueniũt, quàm nucleis, aut aliis seminibus: ueluti sunt oleæ,*

cerasi, pruni, mori, ficus, mala cotonea, cornu, mala granata: præterea quidã frutices, ut rhamnus, rubus idæus, oxyacãtha, corylus: quæ omnia ad hortorum & seminariorum sepes ornandas aptissima sunt, de quibus singulatim dicendum est, si prius quo pacto ea positio fieri debeat docuerimus.

Satio per taleas fit hoc pacto: Taleæ (uulgus nostrum uocat Scions) ex arboribus præcidendæ & sassæ, satísque oblongæ, & humore copioso intus refertæ, ex arboris ramis, quorum ortus nõ amplius sit quàm trium aut quatuor annorum, ab extremo crassiore, quod in terram defigere uoles, ita acuminandæ sunt, ut ab uno latere integrum cortiem relinquas: alij ramuli circunquaque adnati, præcidendi sunt: atque ita infigendæ erunt taleæ in solo bene subacto, ad pedis unius altitudinem: postquam deposueris, terra pedibus ualidè conculcanda erit: palúsque ad pedem taleæ infigendus, & uimine ad ipsam alligandus, ne uentorum impetu, aut alio quouis pacto offendatur.

Ex arboribus adimendæ sunt taleæ per hyemem: nam hoc pacto uberius renascuntur: neque refert quos ramos præcidas: omnes enim æquè boni sunt.

OLIVETVM QVOMODO FACIAS.

Olearum satio taleis fit, tum in seminario primùm, tum uerò post triennium, aut eo amplius, cùm trãsferri debent. Seminarium oliueto præparetur (ait Columella) cælo libero, terreno modicè ualido, sed succoso, neque denso, neque soluto. Aptissimum autem genus terræ est oleis, cui glarea subest, si superposita creta sabulo diuisa est,

non minus probabile est solum, ubi pinguis sabulo est. Sed & densior terra, si uuida & læta est, commodè recipit hanc arborem. Creta ex toto repudianda est, magis etiam scaturiginosa, in qua semper uligo consistit. Inimicus est oleis ager sabulo macer, & nuda glarea.

Olearum taleæ sic eximendæ, & in Seminario ponendæ. Ramos nouellos, proceros & nitidos, crassitudine feracissimos ex arboribus adimito. Ex his quàm recentissimas taleas recidito, ita ut ne corticem, aut ullam aliam partem, quàm quæ serra præciderit, lædas. Taleæ deinde sesquipedales terra præcidantur, atque earum plagæ utraque parte falcæ leuentur, & rubrica notentur: ut sic quêadmodum in arbore steterat ramus, ita parte ima terram, & cacumine cælum spectans deponatur. Nam si inuersa talea mergatur, difficultèr comprehêdet: & cùm ualidius conualuerit, sterilis in perpetuum erit.

Quàm frequentissimè seminarium primo anno sarriri debet, & sequentibus: cùm iam radiculæ conualuerint, rastris excoli. Sed biennio à putatione abstineri, tertio anno singulis seminibus binos ramulos relinqui, & frequenter sarriri Seminarium conueniet. Quarto anno ex duobus ramis infirmior est amputandus. Sic excultæ quinquennio arbusculæ, habiles translationi fiunt: de translatione autem postea dicemus.

MALVS COTONEA, MORVS, ficus quo modo ponantur.

Naturale est, cotoneæ malo, ut talearum satione proueniat.

Morus aliam habet positionis rationem, alióque pa-

cto, eóque cõmodissimo seri potest. Nempe siquando per hyemẽ magnam morum præcidas, eiúsque truncum aut maiores ramos serra in plures partes cõsecas, quæ uno tantùm pede longiores non sint. Itaque sulcus in optimo & bene subacto solo faciendus erit, & altissimè effodiendus, ut partes quas præcideris, rectæ, nõ deuolutæ, in eo stare possint. Hæ uerò sesquipede ab muicem distantes ponendæ erunt, atque ita operiendæ, ut terra ipsos truncos excedat, tres aut amplius digitos. Per æstatem si uidebitur, irrigabis, & sarculo diligenter excoles.

Pullos aut nouellas quas uidebis ex truncorũ partibus subactis emergere, nunquam incidas, priusquam tres aut quatuor simul emersisse uideris. Quos pullos excideris per hyemem, in terram depones eo pacto, quo prius dictum est. Caueto autem ne truncum ipsum subactum auferas: nam is quotannis nouos tibi surculos suppeditabit.

De ficu ita faciendum erit, quemadmodum etiam de moro. Locum cretosum & apricum desyderat, pusillum & album, hoc est, subuiridem fructũ proferentes, quales sunt Marsilianæ nostræ. Reliquæ uerò crassiores, & ex purpura nigricãtes, stercoratũ & crassũ locũ desyderãt.

CORYLVM, CERASVM, PRVNVM, rhamnum, & huiusmodi frutices vti conseras.

Coryletum taleis ita seri debet. Pullos è corylis auellanas insignes producentibus sumito, bene uuudos, neque suis germinibus & ramulis uiduatos, nisi proceriores fuerint. Eos in terram deprimito, semipede effossam, in loco soli probè exposito. Post tertium aut quartum annum, si lætiores tibi non uideantur coryli, infir-

miores pullos usque ad terram incidito, ut alij lætius crescant qui primæ radici uiciniores sunt, atque à primis plantis exeunt.

Cerasetum taleis ita conserendum erit in seminario. nam hoc pacto melius proueniunt cerasi, & fructus nobiliores adferunt. Ab arboribus cerasorum procerioribus & antiquioribus, pulli qui iuxta maiorem truncum enascuntur, erũt desumendi, præsertim qui lætiores udebũtur, neque prouectiores quàm duorum aut trium annorum: nam tres annos si excæsserint, haud ita facilè radicẽ agunt: suis ramis uiduandi sunt huiusmodi pulli: quod alioqui iunioribus faciendum non est.

Prunorum seminarium taleis ita fiat, ut fructus nobiliores producant, atque iis arboribus propemodum similes à quibus desumuntur: quod alioqui non accideret, si nucleis essent consitæ. Ex arboribus igitur nondum insitis, sed optimum fructum producentibus, nouellas è trũco, atque adeò ipsius radicæ natas, eásque lætiores, neque prouectas, non etiam teneriores præcidito, relictis ramis integris, aut germinibus quæ prius produxerant: depônito in suos sulcos, eo more qui prius dictus est in aliis arboribus.

Rhamni utriusque speciei, rubi, oxyacanthæ, & id genus cæteri frutices, eo pacto seruntur ac subiguntur, quo diximus in Coryleto fieri debere. Sed quando arbores taleis satæ, nonnunquã propagantur, atque adeò ipsi pulli ex magnis radicibus enascentes: dicendũ est de ipsa propagatione, antequam ad insitionem ueniamus.

PROPAGATIO ARBORVM IN pastino positarum: vel etiam pullorum ex maioribus arboribus enatorum.

PROPAGATIONEM agricolæ nostrates uocãt Prouignemẽt. Ea fit, cùm pulli ex arboribus enati, aut etiam taleæ in seminario positæ post unum aut alterũ annum deprimuntur in terrã, excoluntúrque, uti lætius proueniant. Nam etiam Cato tradit, præter uitem, propagari posse ficum, oleam, punicam, malorum genera omnia, laurum, prunos, myrtos, nuces auellanas & præneſtinas, atque adeò platanum.

Fiebat apud antiquos propagatio duplici ratione: ramo ab arbore depresso, in scrobẽ quatuor pedum quoquò: & post biennium amputato flexu, plantáque translata post trimatum. Alterum genus propagationis luxuriosius: radices in ipsa arbore sollicitando, traiectis per uasa fictilia, uel qualos ramis terráq; circũpactis (inquit Plinius.)

Propagatio autem nostratibus agricolis sic fit: Ablaqueanda est arbor circa hyemem aut brumam, & circumquaque diligenter effodienda, ut radices semiopertas conspicias. Qua parte maluare uoles taleam, aut surculos, ea scrobem in longum producito atque effodito. Talcam aut surculum, leuiter in scrobem inflectito, ut quãtum uoles extrà promineat: cauetóque nequid uiolentius confringas. Terram quam ex scrobe abstuleris, fimo & pingui solo commixtam superinijcito, pedibúsque bene calcato, ne talea exurgat. Plura si fuerint arboris aut taleæ, quàm propagaturus es membra, pluréſue surculi, eos ita deponito quemadmodum suprà diximus: summitatéſque uirgarum ex terra prominentes seorsum educito, fa-

citóque ut quamaltissimè fieri potèrit exerantur.

Arbores eo pacto propagatæ, antè quadriēnium non erunt attingēdæ, quousque radicem egerint: palísque fulcire ipsas decet, dum assurgunt, uti ualidiores fiant, néue ferarum aut alio quouis externo impetu confringantur. Exacto quadriennio, quæ membra propagata uidebis esse ad trāslationem apta, hoc est ualida, & plurimùm fruticātia: ea postea quam inutili ramorum sobole nudaueris, in eum quem uoles locum transponere licebit.

Siquid surculorum inter deponendum aut incuruandum confregeris, id ne sinito in scrobem permanere, sed confractos surculos attollito, præciditóque sub eo loco, in quo confractos uideris, & in alterum annum crescere sinito, donec alia uirgulta produxerint: arboremque aut taleam diligenter sua scrobe operito. Si uerò ex pluribus surculis unus superstit minimè cōfractus, eum propagare licebit solum, aliis non propagatis: sed ita præcisis, ut dictum est, atque ex terra reductis.

Quas inseueris taleas aut arbores, præsertim prunorum, cerasiorum, aut armeniorum, eas utplurimum propagare est opus, eo more quem tibi præscripsimus. Sunt enim quædā arbores insitæ, quæ nisi eo pacto propagentur, nunquam uberē fructum producent, neque in multos annos durabūt, quādo succum ex terra multò uberiorem desiderant, quàm pro natura taleæ in quam insitæ sint. ueluti si dulcia cerasia & crassa super agresti cerasō, & qui acerbos producit fructus inseueris, quando cerasus agrestis nunquā in multos annos durat, neque familiarem dulci cerasō succum attrahit: ob hoc commodè post unum aut alterum annum ab insitione propagatur, ut fœlicius proueniat, & uberiorem ac nobiliorē fructum adferat.

Sed ad insitionem ueniendum. nam reliquas propagationis species in uineti cultura docebimus.

DE VARIIS INSITIONVM GENERIBVS.

Insitionem nostri uocant Enteure: Italorũ uulgus Incalmationem: ea fortassis ratione, qua Plinius surculum, calamum appellat, Vne greffe. Inuẽta casu magistro (ait idem) cùm agricola sedulus, casam sepis munimento cingens, quo minus putrescerent sudes, limẽ subdidit ex edera: atque illæ uiuaci morsu apprehensæ, suam ex alieno fœcere uitam, truncíque pro terra apparuit.

Insitionis multiplex ratio, tum apud Græcos, tum etiã apud nos. Quædã enim in cortice, uel sub cortice fit (hoc est, inter librũ & materiẽ) uel inter corticem & lignum: eáque insitio, Græcis enœntrismos appellatur: nostri dicunt Enter en escorce.

Alia fit in trunco, hoc est in fissura trunci, uel fisso trunco: atque hæc insitio, emphyllismos Græcis dicta est: nostri uocant Enter en fente.

Alia fit, cùm liber eius arboris quam inserere cupimus, scalpro inciditur: & œu fistula quædam corticea, digitos tres semis longa extrahitur, relicto ligno nudo: ut tamen tuberculus, & nescio quid appareat aut extet circa eum locum ex quo nudauimus oculum. alter cortex ab alia arbore de qua fructum cupimus, eximitur, & longitudine & forma ac crassitudine propemodũ priori exempto simili, oculo integro relicto: quem super ligno nudo è quo alterius arboris cortex atque oculus demptus fuerat, situ ac positione respondere oportet, quemadmodum posteà uberrimè docebitur. Eáque insitionis forma ac figura, mo-

culatio antiquus dicta est, Græcis enophthalmúsmos: uulgus nostrum uocat Enter en fleuteau, à fistulæ similitudine deducto uocabulo. Antiqua inoculatio fiebat (præsertim in malis & ficis, ait Plinius) sutoriæ simili fistula: aperiendo in arbore oculum, cortice excíso, seménque includendo, eadem fistula sublatum ex alia.

Alia est inserendi formula, ab antiquis & nostris quoque agricolis celebrata: quæ & ipsa ex inoculatione nata uideri potest: cortice enim tantùm nititur: fitque cùm ex nitidissima corticis parte eius arboris, quam inserere uolumus, quáque parte præcipua cernitur hilaritas, scutulam corticeam eximimus, lignum tamen non offendentes (quanquam sunt qui corticem tantùm in scutulæ formam aperiant, non eximant, ut postea explicabimus) imprimitúrque in eum locum, ex alia arbore cortex par, cum sui germinis mamma: sic compage densata, ut cicatrici locus non sit, & statim unitas fiat, non humorem, non afflatũ recipiens. Atque hic inserendi modus, Latinis emplastratio dicitur: quoniam idipsum quod inserimus, ueluti emplastrum quoddam est, non solùm ipsa forma, sed etiam positionis ratione: ob id etiam uulgus nostrum uocauit Enter en escusson, quòd exempta (ut ait Plinius) scutula fiat, uel (si uoles) imposita scutula.

Præter has, sunt quædam aliæ insitionis species, partim antiquæ, partim ab usu nostro remotæ. Quẽadmodum ea fortassis fuerit, quæ fiebat terebra Gallica, atque in plaga quæ ex terebra facta fuerat, demissis surculis leuiter adrasis. Huius insitionis meminit Columella: eámque ad uites præcipuè pertinere ait. Nobis omnino recessit ab usu.

Alia est insitio noua, quam quidam se aiunt expertos

fuisse in persico, ut poma sine ossibus nascerentur: eámque se docuisse Hispanum quẽdam refert Palladius: fieríque ait salicis ramo accepto, & per medium terebrato, atque in medio collocata persici planta: quemadmodum uberrimè docet idem author in Februario.

Insitionem quæ fit semine, naturam docuisse ait Plinius: semine raptim auium fame deuorato, solidóque, & alui tepore madido, cum fœcundo fimi medicamine, abiecto in mollibus arborum lecticis, & uẽtis sæpe translato in aliquas corticum rimas. Vnde uidimus (inquit) cerasum in saliæ, platanum in lauro, laurũ in cerasó, & baccas simul discolores. Non opinor ipsum per semina aliud intelligere quàm ramulos arborum, qui ueluti surculi ex arboribus, post hyemem, à famelicis auibus dempti cum suis gemmis, & in rimas aliarum arborum decidentes, fortuna interdum prouenerunt. nam de acinis id ipsum intelligi non potest.

Insitio quædam est apud nos fieri solita in syluaticis arbustis, dum adhuc in seminario sunt, antequam trãsferantur in plantarium: uel super ramis arborum, paulò minus, aut magis digito crassis. Ea insitio fit diducto arboris trunco, & per medium fisso, atque exempto eo quod interpatet, ut duo latera, ueluti duo cornua appareant, in id cauum surculum inserimus. appellatúrque huiusmodi insitio, uulgo, Enter en pied de cheure.

Insoliationem quam uocant quidam, dicíntque foliis insitis fieri, nunquam me legisse apud authores memini, neque fieri posse ex ratione duxi: nũquam enim quid tale expertus sum. At sit ita quẽadmodum autumant: non tamen ea insitio dicetur Græcorũ emphyllismos: nam (ut iam diximus) potius ingerminationem significat, ut insi-

tionem quæ fit in truncō. Imò uerò, miratur Plinius, Trogum credidisse, folia palmarum apud Babylonios seri, atque ita arborem prouenire. Verùm hæc de insitionum differentiis hactenus. Dicendum est, quo pacto tres insitionum species nobiliores fieri debeant, quotidiéque fiant à nostræ tempestatis agricolis peritioribus: nam antiquorum de hac re sententias nihil moramur: quas nullo negotio cōdiscent, quibus boni authores sunt in prōptu. Vobis autem abunde satisfactum existimabimus, si nostram inserendi rationem breuibus perstrinxerimus.

INSITIONES VARIÆ QVO tempore anni faciendæ, ex antiquorum, nostrorúmque agricolarum sententia.

PRIMVM omnium, opus est eum qui arbores inserere uolet, cōsiderare cæli ac tempestatis clementiam: uel tum maximè, cùm in cortice uel truncō inserere opus erit. nam reliqua inserendi genera, haud usqueadeò diligentem obseruationem expostulant: modò ne Octobri & Nouembri mense inoculationem aut emplastrationem moliare, surculósque reliquarum insitionum per hyemem præcidas.

Per imbres, insitionem quæ in trūco fit aggredi potes, & usque ad æquinoctium autumni producere. Sunt qui optimam in trūco prædicent insitionem fieri, post Canis ortū: rursúmque æstate, post restinctos Caniculæ feruores, austro maximè spirante. In cortice, periculosissimum fuerit per imbres inserere. Probè inserimus in cortice, ab æquinoctio autumni usque ad brumam, & post Fauonii flatus, qui septima Februarij die spirare incipiunt, usque ad solstitium. Omnino surculi Aquilonio flatu

ruente non ſunt inſerendi. Cato præcipit inſeri pyra & mala per uer, & poſt ſolſtitiũ, diebus quinquaginta poſt uindemias. Oleas autem, & ficus, per uer, tantum Luna ſitiente, hoc eſt ſicca: præterea poſt meridiẽ, ac ſine uento Auſtro. Vulgus noſtrum ante creſcẽtem Lunam optimam inſitionẽ fieri ait. Columella, omnes arbores, ſimulatque gemmas agere cœperint, Luna creſcente inſeri iubet: oliuam autẽ circa æquinoctiũ uernum uſque ad Idus Aprilis. Sunt præterea quidam anni multò magis præcipites aliis, quod ad frigora & pluuias attinet, præſertim in noſtra regione: cuius rei certius cognoſcendæ ratio, ad aſtrologos maximè pertinet. Locis igitur frigidis ſerius, calidis maturius inſeratur. Quapropter abiis exquirendus eſt ortus Vergiliarum, Etęſiarum occaſus, item Arcturi, Orionis, & huiuſmodi ſignorum ratio. Nam ſecundum Arcturi tempeſtatem, commodè inſerere potes in trũcum & corticem: tum enim maximè arbores præcoces & celeres, promptæ ſunt ad calamum ſuſcipiendum: quod fieri ſolet circa Natalem Domini: eò tardius uel ælerius, quò tempeſtas atque aëris ſalubritas, maturior aut commodior eſt. Ex re tua fuerit, ſi quidem à primis Februarij Calendis incipias: neque amplius producas inſitionis tempus quàm ad extremas Aprilis Calendas. Denique tum demum à colligendis ſurculis & inſerendis eo more arboribus, abſtinendum erit, cùm germinare eas uidebis: ſi præſertim æraſi, pruni, meſpili, amygdalæ, perſicæ, & huiuſmodi præcoces arbores fuerint. Omniũ tardiſſima prunus: non enim ad germen producendũ eſt ælerius. In ſumma, præcoces arbores, præcocibus ſurculis ſunt inſerẽdæ, præcoci etiã tempeſtate, hoc eſt declinante hyeme, & ante brumam.

QVIBVS

QVIBVS INSTRVMENTIS insitorem munitum esse oporteat.

INSTRVMENTA ad insitionem apparẽtur hoc pacto. Priusquam conseras (non enim imparatum esse insitorem oportet, sed promptum & expeditum) cistulam habeas, surculis aut calamis, quos inserere uoles, refertam. In eadem cistula, paleatam aut glareosam terram & uiscosam (qualis est figlina) gerito: neque desit muscus, uimen & ulmorum aut salicum cortex copiosus, ad intorquendas insitiones aptus. Serrulam in promptu habeto, ad arborum truncos præscindendos. Lupos uocat Palladius, serrulas manubriatas minores, maioresque ad mensuram cubiti, quibus facile est, quod per serram fieri non potest resecando trunco arboris aut uitis interseri. Cultrum maiorem ad findendum truncum, minorem & acutissimum, acieique admodum delicatæ, ad surculos excidendos, eósque præparandos quemadmodum decet. Eius loco, falcem à tergo acutam atque lunatam, aut scalpellũ gerere poteris. Cultellos curuos minores addit Palladius, per quos (inquit) nouellis arboribus, surculi aridi aut extantes facilius amputantur. cuneum osseum aut buxeum, unum atque alterum, ad fissuras continendas: æram ad summitatem surculorum recenter consectam obthurãdam, ne uel pluuiis aut frigidiore aëre corrumpatur, aut ut humor sursum elatus ad germina se conferre cogatur. Omnino nihil eorum tibi deesse oportet quæ ad insitionem pertinent: nam tum non erit aliquid requirendum, cùm opus aggressus fueris.

SVRCVLI AVT CALAMI quando & vnde legendi.

Ab humeris arborum orientem æstiuum spectantibus petendi surculi ex antiquorum sententia, & ex feracibus arboribus, & è germine nouello, nisi uetustæ arbori inserãtur: hi enim robustiores esse debent. præterea prægnantes eligendi, hoc est, germinatione turgẽtes, & qui párere illo sperauerint anno. Ex qua arbore inserere uoles (ait Columella) & surculos ad insitioné sumpturus es, uideto ut sit tenera & ferax, nodísque crebris: & cùm primùm germina tumebũt, de ramulis annicalis, qui solis ortum spectabunt, & integri erunt, eos legito. Crassitudine minimi digiti surculi sint, læti bisulci. Atq; hæc sunt antiquorum præcepta de surculorum electione.

Nostri uerò agricolæ sic autumant: Arbores ex quibus surculos desumpturus es, uideto fructiferæ ut sint: & fructus nobiles atque insignes tum magnitudine, tum etiam succi bonitate producant: animaduertito etiam, ut locus in quem arbores inserere uoles, eos fructus facilè, nullóque negotio producat, quos ex insitione expostulaueris. est enim quoddam solum nucleis inimicum, aliud acinis, aliud baccis.

Calamos circa brumam aut Natalem Domini præcidito: non autem maturius: tum enim arbores humoris benigni fœcundæ sunt. At si maturius id fieri necesse sit, aut quia ex una regione in aliam transferre uoles, aut alia quauis ratione, saltem Octobrem expectes, dum folia ex arboribus deciderint.

Bimos esse calamos oportet, ex summo aut cacumine maiorum arboris brachiorũ desumptos, nersus eam ar-

boris partem, quæ ad solẽ orientem inclinata sit. Tenuiores non sint digito minimo, aliquídque semper habeant ligni ueteris, hoc est, anno superiore producti, aũ eo quod postremo natum est. Ante omnia gemmis onustos calamos esse conueniet, gemmantésque nitere: nihil usquam in eis ulcerosum aut retorridum. Nam qui calami gemmas habent raras, non frequentes, lignum item aridum, ij nunquam ad insitionem apti sunt: neque multum producunt fructum. Cauendum etiam est ne germina circa interiorem arborem succrescentia, & ex ramis maioribus exeũtia, aut ex trunco redundãtia accipias: néue surculi sint ex arbore desumpti, quæ multis annis consenuerit.

Iuniores adhuc si fuerint arbores, ex quibus surculos colligere desiderabis, neque dum sextum annum exæsserint, ex summis arboris brachiis, summóque maiorum brachiorum cacumine non erunt calami præcidendi, sed ex aliquo ramo quem iudicabis esse non amplius quàm duorum annorum, quémque existimaueris ad oculum ligno luxuriare.

Surculos exectos si adseruare uoles, præsertim eos quos in cortice inserere cupies (nam huiusmodi surculos nondum gemmantes colligere poteris circa Octobrem, sed quorum multam spem conœperis) facito ut in terram demergas, in scrobem semipede altam, ut nihil ipsarum foris appareat. Locũ in quo demerseris signato, ut cùm insitionis tempus fuerit, inde accipias. Ne iuxta murum demergito, propter soricum periculum.

SVRCVLI VTI EXCIDENDI.

Nihil attinet iterũ hîc recensere, surculum etiam calamum appellari Plinio, unde (quemadmodũ iam dictum

est) incalmationem Itali dixerunt. Nostrum uulgus surculum uocat Greffe, uel fortassis ab incidendo, uel quòd graphio incidantur, uel ob nescio quid simile: nam de huiusmodi cõiecturis quæ ex uocabulorum impositione nascuntur, minimè sum sollicitus.

Surculorum incisio quo pacto fieri debeat (nam in eo maxima adhibenda est diligentia) antiqui non docuerunt: nos uerò ex recentiorum sentẽtia sic explicabimus. Atque in primis id cõsiderandum est, quod paulò antè explicabamus: nempe quo ex loco calamos desumas, quáue ex arbore & cæli aspectu. Itaque post hæc omnia, tandem eo loco cõscindendus est surculus in quo uiuidos & bonos, ac gemmantes oculos cõspicies: lignóque paulisper in summitate cõfracto, uiride quid subesse cernes, quod arborem succi plenam esse denotes. Cæterum tutissimum fuerit, eo loci surculum proscindere, in quo ligni ueteris, hoc est, anno superiore aut præcedente nati quidpiam apparebit: gemmásque alterius anni cõspicies, ut calamus præcisus duorum annorum lignum, oculósque præ se ferat. Id uerò facilè cognosces ex cortice, nodísque in ligno ab ipsa natura factis, secundum singulorum annorum ubertatem. Nam cortex anni superioris, semper nigrior ac rugosior apparet eo qui nuper natus est. Sunt tamen qui ad id præceptum haud magnopere attendant animum, uniúsque tantùm anni ligno contenti sint in surculo. Fit enim interdũ, ut uetus lignum haudquaquam reperiatur, uel tum maximè, cùm ex ipso trũco surculus quẽ proscindis, postremo anno productus est. Sunt etiam qui ex uno eodémque surculo prosciſſo, plures surculos faciant, quorum singulos, non potes dicere utroque ligno esse præditos. Tantùm hoc curant, ut gem-

mis referti ac præditi sint: atq; huiusmodi surculos æquè germinare ac cõcipere aiunt, ac si etiam lignum uetus haberent. plerunque enim accidit ut gemmæ ueteri ligno proximæ, tenuiores, minus turgidæ minúsque tumentes sint: quapropter haud usqueadeò feraces existimantur. Omnino ueteres ex annicalis ramis surculos capiebant, qui solis ortum spectarent, atque essent integri. nostra ætas probat surculos qui uetus & nouum lignũ habeant, modò uetus inueniri atque probari possit.

Surculos dum prosandis, facito ut rectè in circulum id facias, non multoties iterata sectione: neque sursum ac deorsum ducta, quasi serrula utereris. opus est enim, cultrum (aut scalprum si mauis appellare) acutissimæ esse aciei, & quæ delicatissima sit, atque optimè ad cotem prius præparata fuerit. cuspide magis agendũ est: in primísque cauendum, ne liber interior aut lædatur, aut confringatur, aut aliquo pacto corrumpatur, sitque in surculo prosasso, omnino integer ob eã causam quæ mox in præparatione docebitur.

SVRCVLOS PRÆCISOS ITA adseruato, & ad insitionem præparato atque exacuito.

Quos uoles surculos præcisos adseruare, uel qualis fictilibus reconditos aliò trãsferre, in aliámque regionem mittere: eos sic adseruato quemadmodum paulò antè docebamus, facitóque ut in terram condas ac sepelias: locúmque in quo sepulti fuerint, uirgula designes, ne iuxta murum id fiat, propter hortensium animalium periculum. At si ex longinquo tibi missi fuerint surculi, eos ubi

reœperis, cæue ne statim incidas aut inseras prius, quàm unum aut alterum diem in aquam demersos quiescere siueris: id enim succum reuocat, & uires quodammodo consopitas excitare uidetur. Dicendum est, quo pacto præparandus ad insitionem calamus.

Ab utraque parte, suraulus in imo leuiter, & tamen unita atque æquali forma præparandus est eodem scalpro, quo usus eras in proscindendo ab arbore calamo. Sūt qui huiusmodi incisionem quadratam & planam faciāt in insitione quæ fit in ligno & cortice. alij in triangulum conformata magis probant, atque ab imo mucronatam faciunt: neque æqualiter ab utroque latere ductam, sed ab ea parte qua cortex foris cum gemma relinquendus est in suraculi positione, spissiorem relinquunt, minúsque eo loci adimunt materiei, quàm qua parte ad interiorem trunci medullam ingreditur suraulus. itaque cuneoli formā efficit suraculi extremitas præparata: & ueluti quidam cuneus inseritur in ipso trunco, libro tamen haudquaquam exacto, ab ea parte qua gemma foris eminet: sed integro relicto, ut ad alium trūci librum æqualiter respondeat.

In cortice tantùm si uoles inserere, suraulus non est in triangulum efformandus, sed planus efficiendus ab imo, scissuráque ad imum etiam maior semper fiat. hoc fiet si plus ab imo materiei adimas: ueluti si latum cuneū proscinderes atque apparares.

Non est exactè apparandus suraulus, donec truncum æquaueris, atque in eo fissuram feœris, cuneósque intus deposueris. Eo facto, uidebis quàm sit profunda rima, imámque suraculi partem longiorem relictam decurtabis ad eam quam uoles altitudinem, & quantum licebit, ut

nihil incisionis supergredi aut supereminere uideatur. Summum exinde calamum detruncabis, si uoles: nam à summo non expetis germen, sed ab oculis relictis. Diendum est quo pacto præparandus arboris truncus ad incisionem: deinde uerò insitiones omnes uti fieri debeant explicabimus.

ARBOREM QVO PACTO DETRVNcare oporteat, & ad insitionem præparare.

ARBORES quas inserere uoles, summa diligentia præparandæ sunt ad calamos suscipiendos: dandáque est opera, ut serrulam habeas tenuẽ (nam crassiores serræ cortícem utiant) bene exacuatam, nullis dentibus præfractam, sed tamen ualidam, & quæ aduersus ligni uiridis contumaciam probè resistat. Tum etiam altera manu continenda atque arctanda erit arbor quam secabis, præsertim si iunior & non usqueadeo crassa fuerit: altera manu serrula ducenda, leuiter tamen atque æqualiter, neque cum tanto impetu, ut arborem usque ad radicẽs identidem contremiscere facias: nã eo pacto truncus nonnunquam à suo solo dimouetur, & radicẽs ipsa agitatione offendũtur. Sinistra igitur manus hoc molietur, ut firmum contineas truncũ, ne uacillet in consectione. Post consectionem, ramentis plagam detergito: deinde cultro quod nihil tetri odoris habeat, ipsam exæquato, ramentíque rursus detergito, nequid utiũ ex ferro contrahat, quo possit arboris humor corrũpi. Atque ea demum est incidendi ac præparandi ad insitionem trunci uniuersa ratio.

Quod autem superest: id in primis obseruandum, ut

quò tenuior ac minus crassa sit arbor, quam inserere uoles, eò truncum inferius cõsecẽs, & proximè ad terram. Itaque si digiti crassitudinem non excedat arbuscula, facito ne amplius sesquipede trũcus extet è terra: reliquum in obliquum cõsecẽs, non secundum trunci rectitudinem in circulum, quẽadmodum crassiores arbores solent. Id autem faciendum, quo unum tantum surculum in truncum immittere possis. Huiusmodi cõsectio in arboribus minutis cultro crassiore bonæ aciei fieri poterit: nam serra nihil opus est, dũ in transuersum aut obliquum paruulæ arbores incidũtur.

Arborem paulò crassiorem utroque pollice, in rotundũ incidito, etiam serrula si uoles, eo pacto quo prius explicauimus: atque ea parte quæ maximè nitida, & sine cicatrice est. hoc unum cauebo, ne librum offendas. Trũcus non excedat unius pedis altitudinem è terra: tantúmque duos surculos in huiusmodi arbore ponito.

Arbor si brachij crassitudinis fuerit, in rotundum uel orbem, secundum trunci rectitudinem abradi debet, ad duos aut tres ad summum pedes è terra. In ea tres surculos inserere poteris: duos in ligno & fissura, tertium in ligno & cortice, circa maius quod extabit in arbore præcisa spatium.

Si coxæ crassitudinem, uel amplius excedat truncus arboris quam inserere cupies, relinquenda illi quatuor aut quinque pedum altitudo è terra. neque in eo amplius quàm quatuor surculi in cruce inserẽdi: quorum (si uoles) duo in trunco uel ligno ut uocant, duo in ligno & cortice ponantur, ueluti mox explicabimus. Tutius tamẽ fuerit, in ligno & cortice omnes surculos ponere tum tẽporis maximè, cùm arborem iudicabis succum ex humo

ſuſcipere atque attrahere. Cæterum ne lignum huiuſmodi arborum, nimis arctè cõſtringat ac cõprimat ſurculos, in ipſa fiſſura cuneolum è ligno uiridi factum relinquas impactum, ad cõtinendam ligni cõtumaciam.

Craſſiſſimæ arbores & quæ menſuras ſuperius explicatas excædunt, non quidem in truncõ, ſed in maioribus brachiis, aut ramis inſeri gaudent, quemadmodum in agro Carnutino, Aureliano, & Brixienſi paſſim uidemus, etiam apud Neuſtros ſæpiſſime, quorum præcipuus uictus eſt pomiferarum arborum, è quibus & cibum & potum quæritant. Itaque uetèrem malum ſic reuiuſcere aut reiuueneſcere credunt. Agreſtia quoque & immitia mala maiorum arborum, ex inſitione mitia dulciáque, adde etiam craſſiora atque ampliora & elegantiora fieri exiſtimant, ob inſitionem brachiorum. At ſiquando brachia humore deſtituta uiderint, & ueluti propter ſenium arida, minúſque uiuacia: præſecta ferè uſque ad truncum nõ inſerunt, ſed ita poſt ſectionem relinquunt uſque ad quadriennium, donec germina ualidiora produxerint. Ex his germinibus imbecilla magíſq; inualida cõſecant atque eruncant poſt quadriennium. Super aliis uiuidioribus ſurculos ponunt: dúmque ſurculi etiam tenuiora germina producunt, uirgultis & uimineis qualiculis circummuniunt, propter uentorum impetum. Neque uerò ſolent omnia unius arboris brachia inſerere, ſed quædam non inſita relinquere, ut unius & alterius fructus benignitatem experiantur. Huiuſmodi arbores in fiſſura, atque adeò in cortiæ inſerere malunt, quàm per emplaſtrationem, niſi cortex admodum tenuis ſit & delicatus: qualis eſt pomorum initium, & ſimilium arborum.

IN CORTICE QVO MODO INSERERE DEBEAS.

Diximus quæ ante insitionem facienda, tum in surculorum collectione ac præparatione, tum etiam in arborum inserendarum consectione: dicendum est nunc singulatim de quolibet insitionis genere. Ac primùm de insitione quæ fit inter cortiæm & lignum: qui mos antiquus (maximè Catonis & Varronis tempore) fuit præcipuè receptus. Optima omnium insitio inter librũ & matriæm existimatur. Nam si crassior truncus inseratur, inter cortiæm & lignum inseri melius est, ait Plinius. Fit ea insitio tunc temporis maximè, cùm arbores gemmare incipiunt, & humorem ex terra iam assumere atque haurire: quod potissimùm fieri solet apud nos, à Calendis Februarij ad Apriles, ac præsertim in iis arboribus, quas per medium uel in cruæm, aut alio pacto rectè findere difficillimum esset: quæque quatuor aut eo amplius suraulos admittere possunt ob crassitudinem & uigorem: quos nimirum longo antea tempore collectos esse oportet, atque ita adseruatos, uti docuimus in surculorum incisione: nisi fortassis serotinas arbores per id tempus reperias, è quibus suraulos adhuc desumere possis qui nondum germinauerint: quemadmodum ex pomo quam curtipendulum uocamus, & similibus.

Itaque serrula diligenter secandus est huiusmodi arboris truncus, quem in cortiæ inserere uoles, paulò altius propter crassitudinem, ita ut quinque aut amplius pedes è terra extet. Cùm deinde truncum recideris, acuto ferramento plagam leuato: deinde cuneum buxeum uel osseum inter cortiæm & materiem, ne minus digitos

tres leuiter demittito: cauetóque ne lædas aut rumpas cortícem: postea (inquit Columella) suraculos quos inserere uoles, falcæ acuta ab una parte eradito, tam altè, quàm cuneum demisisti: sed ita tamen, ne medullam, néue alterius partis cortícem lædas. Spei enim maximè fauet medulla. Itaque calami exacutio medullam nudare non debet. Nostri non usqueadeò altè cuneum demittunt: ualidius enim demissi suraculi tardius ferunt, quanquam etiam fortius durant: præterea cultello retuso, aut etiam acuto interdum id moliuntur. quod certè minus probauerim propter periculum: præstare autem arbitror, delicato cuneolo id efficere. Sunt qui manubrium osseum uel eburneum cultelli, quo scriptorias pennas temperamus, ita cõpositum habeant in imo, ut ceu cuneus quidam, facilè & innoxiè diuidere possit cortícem à ligno: atque ita cultri cuspide & acie utuntur in legendis suraculis: manubrium autem, ceu quidam cuneus, præsto est, dum cortícem à suo ligno separant. Quod aliquando plurimùm probaui in Egidio Varleio socero, artis insitoriæ præter cæteros, quos unquam me nouisse memini, admodum perito. Quidam uestigio fissuræ, falcæ uél scalpello in truncis facto, saliæ præligant marginem ipsum, postea cuneos figunt, continente uinculo libertatem dehiscendi. Cæterum, suraculum in cuspidem sensim exacuunt nostri, ex æquo utrinque incidẽtes, relinquúntque cortícem à lateribus integrum, ab imo paulatim eximunt.

Truncо post sectionem diligenter exæquato, ut nihil ramenti supersit, æqualísque sit undecunque cortex, atque omni ex parte integer, tum cuneum demittes, suraculos, eo more qui dictus est, apparabis.

Vbi suraculos paratos habueris (ait antiquus agricola)

cuneum uellito: statimque surculos leuiter demittito in ea foramina, quæ cuneo adacto inter corticem & materiam facta sunt. Ea autem fine qua adraseris, surculos demittito, ita ut sex digitis de arbore extent. In una autem arbore duos aut tres ramulos figito, aut etiam plures, si uelis: modò ne minus quaternũ digitorũ interſit ſpatiũ. Pro arboris magnitudine & corticis bonitate hæc facito. Plures autem surculi in eodẽ truncõ ponuntur, ut uno, aut etiam duobus pereuntibus alij succurrant. Nam in eadem arbore multi surculi positi, rarò omnes germinant. Calamus ad corticem usque suum deprimatur, utraque manu (ait Plinius) ne laxetur, dum deprimitur, néue cortex replicetur in rugas. Ideóque lachrymãtes calamos inseri non oportet, quemadmodũ neque etiam aridos: nam illo modo labat humore nimio cortex: hoc, uitali defectu non humescit, neque concorporatur.

POST INSITIONEM, TRVNCVM VTI COMMVNIAS.

Cùm omnes circulos, quos arbor patietur, inter corticem & truncum demiseris, tum libro ulmi uel uimine arborem astringito, ait Columella: posteà paleato luto bene subacto oblinito totam plagam, & ſpatium quod est inter surculos, usque eò ut duobus digitis insita extẽt. Supra lutum, muscum imponito, & ita alligato, ne pluuia dilabatur. Cato, argillæ uel cretæ, arenam fimúmque bubulum admiscẽri uult: atque ita usque ad lentorẽ subigi iubet, interponi & circumlini. Ceſpitẽ præterea ab imbre frigoribúſque insitum protegendum esse censet, ac mollibus bisidorum uiminum fascibus. Lingua quoque

bubula insitum insuper obtegi præcipit: atque ita illigari opertum stramentis.

Nostris agricolis sic placet recenter insitas arbores communire. Figlinam lana minutim cõscissa permiscent ac concutiunt, aut fimo bubulo uel equino conferciunt: fissuras & rimas quas inter inserendum ex cuneis factas uident (præsertim si in ligno inseuerint) cortice uiridi diligenter operiunt: totam plagam & spatium quod est inter surculos figlina circunlinunt, ad duorum digitorum spissitudinem: faciúntque solida ut hæreat trunco: musco diligentissime ipsam terram operiunt, deinde uerò loris lintæis, paulò latioribus, uel cortice salicis in latiora uincula concisso, insitam arborem colligant in crucem, ut ipsa numerosa ligamenta, totam plagam superius oppleant, nihílque foris appareat, præter muscum intercurrentem. Vincula ad arboris latera undique circuncurrentia, uimine quamoptimè constringunt circa ipsam arborem, atque arctissimé: interim cauentes ne peruertantur in fissuris impressi surculi, aut suis locis dimoueantur, aut uacillent torti salicum cortices (uulgus uocat La torqueure) néue surculos offendant aut peruertant, dum hac atque illac ad ipsos confirmandos intercurrunt: non enim uacat maxima dexteritate atque ingenio, ipsos salicum cortices ita secundum surculorum spatia ducere, ut nihil offendatur, aut compliçatur, aut loco moueatur.

Post insitionem undique communitam, & aduersus aëris tempestatem atque imbres tutiorem factam: etiam attendendum est ad exteriora pericula, nempe quæ tum à quadrupedum incursu (siquidẽ insitæ arbores pusillæ fuerint) tũ etiam ab auiũ impetu surculos defendãt. Itaque facta si fuerit insitio ante hyemem, stramentis alli-

ganda est, propter niues & frigora: uiminibus item ac frondibus consectis circunsepienda, & altioribus spinis uimine colligatis circummunienda, ad prohibendas aues quæ gemmas enecent, néue uentorum impetu deturbentur calami. Quin si pusilla fuerit arbor insita, neque amplius quàm sesquipede è terra extet: etiam fasciculis spinarum superiectis (ita tamen ne offendantur oculi, à quibus germina expectamus) communiri debet aduersus ferarum in agris incursum, aut pecoris in priuatis fundis impetus. Altiores paulò si fuerint arbores pusillæ insitæ, palis fulciri debent, aduersus omnem uentorum noxam. Atque ea demum est communiendarum omnium insitionum breuis ratio. Nunc ad alias insitiones ueniamus.

PVSILLAS ARBORES, AVT MAIORum arborum superiores ramos in ligno vel trũco quo modo inseras.

Plantam nouellam crassitudine digiti, siquando cupias inserere, statim ab initio, atque adeò in ipso seminario antequam aliò transferas: id uerò facilè poteris eo modo qui sequitur: nam apud antiquissimos nullam huius insitionis rationem inuenio. Vulgus autem nostrum hanc insitionem uocat Enter a pied de cheure, quòd diffisso ueluti in caprinum pedem trunco, in ipsa fissura surculum inseramus.

Accidit igitur interdum, atque id sæpissimè, ut arboris truncus æqualẽ habeat cum surculo crassitudinem: id uerò si contigerit, tibíque necesse uideatur inserere, sic facito, Arbusculam cultello acutissimo, non quidem secũ-

dum rotundum, sed aliquantulum in obliquum, hoc est, deorsum uersus proscindito ac detruncato: fissurã haud ita oblongam, sed rectam tamen, & nullo pacto uitiatam aut corruptam facito: plagam leuato, & mediã cuneo findito. In fissuram surculũ inserito atque aptato ita præparatum atque exacuatũ, ut utraque parte ad rasum appareat, relicto tãtùm à lateribus integro corticæ, quẽ cùm arbusculæ, in quam insiturus es libro facies ut correspondeat, cuneum eximito, diligentérque insitam arborem figlina & musco communito, atque ita deligato quẽadmodum suprà dictum est, palóque fulcito contra omnes iniurias. Sunt qui detruncatam nouellã ueluti in duas alas findant, in caprinum pedem: ita enim appellant huiusmodi insitionem. atque id tamen eximunt quod crassioris ligni intermedium est inter alas: postea fissuram faciunt, atque in dehiscentem rimam surculum applicant: ut ea insitio œu cuiusdam ⏚ Græcæ literæ figuram referat. Spatium inter alas figlina aut luto communiunt, musco operiunt, deligant, quo pacto superiori sermone explicatum fuit.

In cacuminibus arborum simulis quædam insitio fieri potest, etsi nonnulli authores id posse fieri negent: fit autem in arboribus, quarum brachia, uel propter humoris inopiã, uel propter luxuriantem redundantiã execta fuerint: à quorũ trũcis, germina triũ aut quatuor annorum producta, & in circulum incisa ac fissa, calamum recipere possunt, si modò ita immittatur quemadmodum dictum est. Eo pacto oleã in ficum inserit Columella, fieríque sic posse arbitror in omnibus reliquis arboribus: ut etiam arborem, multos ac uarios fructus secundum anni tempora gerentem eo pacto satam aliquãdo uiderim

Patauii, in horto nobilis cuiusdam Gabrielis. Nihilque uetat quominus etiam quotidie istud idem uidere apud nos ac moliri possimus: quanquam nonnullis in locis aëris benignitas atque clementia refragari uideatur.

PROVECTIORES AC PROCERAS arbores, in fissura, ligno, & cortice quo modo inseras.

Inter insitionem in fissura, & insitionem quæ fit in ligno ac cortice, nullum discrimem est. Atque id inserendi genus, tam ad pusillas, quàm ad prouectiores arbores pertinet: pusillæ autem, non tantam diligentiam expostulant, quàm quæ maiores sunt arbores, quemadmodum paulò antè docebamus: possumúsque in crassioribus huiusmodi arboribus, utranque insitionem experiri: hoc est, & eam quæ inter librum & materiam fit, & eam quæ in cortice & ligno: quod postremum genus antiquiores agricolæ uix experti sunt: timebant enim trũcum findere: postea uerò ut mortalitati surculorum, atque adeò arborũ succurreretur, posterior ætas uni truncо uel senos surculos adiecit (ut uno saltem emortuo, alij superstites essent) truncо per media fisso, cuneóque tenui fissuram custodiente, donec cuspidatim decisus descendat in rimam calamus, inquit Plinius. Quapropter huiusmodi insitionis genus, uel in rimam aut in fissuram fieri dicere uulgò placuit. Quod non solùm arboribus, quarum truncus crassitudinem brachij aut coxæ æquare uidetur, peculiare est, sed etiam longè crassioribus: quarum insitio in brachiis aut humeris, non autem in truncо maiore fieri debet: ueluti pyri syluaticæ, mali prouectæ, & aliarum

aliarum huiusmodi arborum. Nam quæ insitio fit in cacumine maiorum ramorum, ea sic administratur, uti iam in pusillis arboribus dictum est.

Multa in hoc inserendi more obseruanda: primùm, ut arbor, quam insiturus es, plurimo succo atque humore sit referta: quod plerunque accidit Ianuario & Februario mensibus, usque ad Martium. deinde uerò ne gemmantem arborem inseras: tum enim succi bona pars in altum perducta est: præterea, ne per mediam medullam, arborem findas, sed paululum ad latus medullæ deflectas. Insuper autem, ut serotinam arborem pari surculo inseras, & pro temporis ratione atque opportunitate id efficere ac moliri studeas. Denique, ne surculus sit eo die collectus quo uoles inserere, néue statim erutus inseratur. Oportet enim calamos, decem aut plusculis antè diebus quàm inserantur, legere: ne si feruens adhuc turgénsque surculus in capacẽ rimam immittatur, necessum sit quippiam eius emarcescere, antequam in unum coalescat corpus: fungosam laxitatem intercipiens lignum, & hospitem surculum intercedere: in cuius rimas hiantes subiens aër, prorsus in unitatem coire non patitur, inquit Ruellius. Quòd si dies aliquot prius uase claudantur surculi, aut eo more qui superius dictus est, adseruentur in hortis, faæsset omnis iniuriæ suspicio, neque uinculorum laxans mollities infestabit, neque inspirans aër officiet, sed breui tempore comprehendent. Postremò uerò ad id attendendum est, ne quam arborem paucis antea diebus ex seminario in plantariũ trãstuleris, eam protinus inseras. Oportet enim arbores, quas insiturus es, peregrino solo iampridem assuetas esse antequam inserantur, radicésque altè proiecisse in suo plãtario. Quòd si benignum

solum haud nactæ fuerint, séque ipsas ægrè nutriant, uix etiam surculis uires dabunt: cùmid in primis operam demus, ut humoris copia surculi germinent, eáque uberrimè proueniant. Sed insitionis in cortiæ & ligno faciendæ ratio nunc explicanda est, ex nostrorum agricolarum consuetudine.

Antequam arborem detruncæs, adimenda sunt uirgulta ex ipso pedis truncо enata, eáque ita euncanda, ut nihil uestigii supersit. Quin si plures truncos, pluráque brachia maiora arbor assurrexit, duo ad summum relinquenda, quæ (si uidebitur) inseras. Truncum exinde præpares, & surculos, quos uel uase fictili, uel terra opertos in horto adseruabas, eximito: atque exacuare incipito, non tamen omnino, quoadusque fissuræ capacitatem uideris, qualis esse poterit: lachrymantes enim circulos inserere non oportet, neque etiam aridos. Itaque longiorem incisionem ac spissum calamum relinquito, non adempto tamen cortiæ à lateribus: ad extremum autem, ita præparandi erunt surculi, ueluti suo loco dictum est. Truncum arboris uel brachiorum dispositum & præparatum, ad insitionem findito. Ramenta ligni ex serrula facta inter decurtandum, ipsi plagæ inspergito, ne serrum ligno noceat. Cultro maiusculo aut runcula delicatissimæ aciei, non quidem per medium, sed aliquantulum in latus ducta linea, truncum leuiter, & tamen æqualiter findito, caueto, ne nimium altè aut profundè fissuram imprimas, ut cortiem à ligno sua sponte seerni uideas: id enim si accideret, esset iterum serra prosandendus truncus. Super rectam lineam, transuersam aliam facito, etiam ad latus decliuem, neque per medium truncum errantem, ne medullam arboris offendas. In fis-

ſuras factas cuneos buxeos immittito, ut quàm profunda ſit rima facilè coniicias: ſuraulúmque optimè præpares, præparatum ita inſeras, ut gemma extra arborem aut extra plagam uel deligaturam (ſi uoles) promineat: non enim ſuraulorum oculi ad internam arborem debent eſſe conuerſi: facito præterea ut cortex cortici reſpondeat, materies materiei: paululum tamen excædat atque promineat trũci cortex, ne ſit ſuraili inciſio gracilior, quàm pro fiſſura, néue etiam craſſior, ſed ita multoties compoſita atque emendata, ut eleganter in rimula ſtare poſſit. Medullam medullæ optimè counitam eſſe oportet: alioqui non fieret optimum coniugium. Rectos ubi uideris undecunque calamos, tum cuneis exemptis, conſyderato quo pacto tandem ſe habere poterunt. Denique ſi uoles etiam inter cortícem & materiam, duos alios ſuraulos addere nihil uetat, modò ſit arbor ſucci plurimum abundans, & quæ multos ſuraulos alere atque enutrire poſſit. Sin periculum eſſe uideris in rimis, ne propter arboris craſſitudinem ſuraulos nimium comprimant, (non enim uſqueadeò ſtrictè compreſſos eſſe oportet) inter ipſas, cuneolum ligni uiridis, ab eadem arbore deſumptum immittito, & æqualem plagæ facito, ut liberum habeat ſuraulus humoris ſui cum ſucco trunci commercium. Super rimis quæ extabunt, quáſque non opplent ſuraili, librum uiridem, tenuiſſimum & internum, ab eadem arbore deſumptum imponito: ſuraulóſque curato ut recti ſint, néue inter deligandum & operiendum uacillent. Atque hæc de inſitione in cortiæ & ligno hactenus: de inoculatione & emplaſtratione diendum eſt.

INOCVLATIONEM SIC FACITO.

Inoculatio quid sit, superius iam explicatum est. Ea omnium insitionum (ut ait Plinius) fertilissima est, sed infirmissima. Nam quæ cortiæ nituntur tantùm, uel leui aura ocyssimè deplantantur. Inoculationem sicæ aut humoris exigui arbores non recipiunt: quapropter fit inoculatio Maio & Aprili mensibus. Opus est enim succo turgidas arbores inoculare, ueluti sunt ficus & olea.

Fit inoculatio ex Catonis sententia hoc pacto: (etsi neque inoculationem, neque emplastrationem id uocet) Quod genus aut ficum aut oleam esse uoles, inde librum scalpro eximito (non dicit in emplastrum aut scutulam) & alterum librum cum gemma de eo fico quod genus esse uoles eximito, apponitóque in eum locũ, unde extraxeris, in alterum genus, facitóque uti conueniat. (Atqui in emplastratione nõ extrahitur cortex eius arboris quã inserimus, sed finditur in figuram T literæ, atque in fissura emplastrum imponitur.) Ait præterea, Librum longum facito digitos tres semis. Quod sanè ad id conuenire uidetur, quod ait Plinius, antiquam inoculationem fieri, sutoriæ simili fistula, aperiendo in arbore oculum, cortiæ excisso, seménque includendo eadem fistula sublatum ex alia. Quo in loco legendum fortassis fuerit subula, ex eruditissimi Bayfii nostri sententia. In emplastratione uerò, scutula longa esse non debet, sed potius breuis & latior, uti mox doœbimus. Itaque dubium non est, quin id quod de olea & fico, uerbis superioribus dicit Cato, de inocultatione, non autem de emplastratione intelligẽdum sit. Nam postrema omnium reperta est emplastratio, ab iis qui nouis moribus student: neque puto Theophrasto,

Græcásque antiquioribus, nedum Catoni aut Varroni cognitam fuisse emplastrationem. Sed inoculationem eos nouisse sanè facilè crediderim, quam Græci enophthalmisмon uocarunt. Ea enim admodũ antiqua fuit, quam etiam monedulæ primùm nos docuere: quæ cõdẽtes semina in thesauros cauernarum, eiusdem rei nobis præbuere causas, ait Plinius. Virgilio quoque cognita fuit: docet enim quemadmodum quærendus sit sinus in nodo gemmæ expulsi cortices, gemmáque in alia arbore includenda.

Nostra ætas inoculationem nouit, uocátque, ut superius dictum est, uulgus infistulationem. Eámque aiunt nostri agricolæ longè securiorem esse atque uberiorem emplastratione: neque unquam nisi maxima uentorum iniuria, aut insitoris negligentia atque imperitia interire. Fit autem hoc pacto:

Scalpello bonæ aciei, aut runcula (si uoles) ex ramo arboris, cuius fructum expetes, quámque luxuriare uidebis, & gemmis humoréque turgere, uirgulam desunito, ei propemodum & crassitudine & magnitudine respondentem, quam in alia arbore inoculare uoles. Exemptæ uirgulæ summum abradito: accedito ad arborem quam uoles inserere: tantundémque facito in quadam ipsius arboris uirgula aut ramulo quem inoculare cupies. Curabis insuper ut circa summum uirgulæ quam cideris, tibi appareat oculus unus integer, sanus, incorruptus ac lætus: atque idipsum quoque in alio ramulo facies ut sit, eodémque propemodum situ atque aspectu cæli. Ad tres aut quatuor à gemma digitos, circulum scalpello facito, circum corticẽ, mollitérque leuibus digitis ipsum corticem attrectato, & circumagito, ut sua sponte tandem exiliat,

atque auellatur, oculo semper integro remanente in ipso cortice quem exemeris: ea uerò est fistula quam uocat Plinius. Iam necesse est ut ramulum, quem inoculare studes, tres etiam aut quatuor à sua gemma digitos circunscribas, simulémque propemodum fistulam eximas, ei quam ex alio ramulo exemisti: seruato etiam oculo integro, relictóque innoxio germine, quod ligno adhæret, ipsíque oculo uim præbebat. Fistulam hãc secundam proiicito: atque in eius locum primam imponito, uidetóque ut oculus oculo, cortex cortici bene respondeat: germénque quod in ligno relictum erat, in oculum fistulæ quam inseris ingrediatur. Vbi tandem omnia probè respõdebunt, nihílque uacillabit, neque rima apparebit, aut uarix circa commissuram duorum corticum: tum filo latiore aut ligno compacto, sursum deorsúmque uincies, ut cortex ligno assuescat, magísque inhæreat. Caueto interim ne comprimas oculum, néue ipsum attingas. Atque hoc demum esse dicitur, in oculum inserere uel inoculare: quod itidem in emplastratione non fit. nam scutula aut emplastrum, oculum quidem habet: locus autem arboris aut corticis, in quem imponitur, oculum habere non debet: quapropter adoculationem potius, quàm inoculationem uocaueris. De emplastratione igitur dicendum.

EMPLASTRATIONEM VTI FACIAS.

Emplastrationem natura ipsa docuit. Ea per æstatem facienda est à Maio ad Augustum: solísque arboribus conuenit, quibus pinguis succus in cortice est, ut ficis, oleæ, persico. Huiusmodi enim insitio, subtilissimè inuenta, humidum succosúmque, & ualidum ac robustum li-

brum in arbore desyderat. Quibus enim arboribus aut fruticibus, tenuis, caducus, rimosúsque est cortex, eas neque inoculare, neque emplastrare rectè poteris. Fertilissima omnium insitionum inoculatio, ait Plinius: postea uerò emplastratio, sed utraque infirmissima. Quinetiam emplastri ratio ipsa, ex inoculatione nata uideri potest: non prius (ut opinor) cognita, quàm Columellæ temporibus, cuius insitionis formulam ita describit:

Ex qua (inquit) arbore inserere uoles, in ea quæsito nouellos & nitidos ramos: in his deinde obseruato gemmam quæ bene apparebit, certámque spem germinis habet. Eam duobus digitis quadratis circunsignato, ut media gemma sit (nos breuem & inferne acutam scutulam facimus, non amplius quàm duos digitos latam, in cuius medio uel capite sit gemma) & ita acuto scalpello circuncidito, delibratóque diligenter, ne gemmam lædas. Deinde ex qua arbore inserere uoles, in ea nitidissimum ramum eligito, & eiusdem spatii corticem circuncidito, & materiam delibrato (nos delibramus quidem, sed corticem non auferimus: imò in figuram literæ T incidimus, & cuneolo buxeo aut osseo scalpri manubrio, corticem paululum diducimus ac diuellimus à ligno, ut in id spatium, scutulam inseramus: cuspidem prius infigentes, atque ita imprimentes & occulentes inter duos cortices, ut nihil scutulæ appareat, præter oculum qui per rectam rimam exeritur) In eam partem, quam nudaueras, gemmam hanc, quam ex altera arbore sumpseras, aptato ita, ut emplastrum circuncisæ parti conueniat. Vbi hæc feceris, circa gemmam bene uncito, ita ne lædas. deinde commissuras & uncula luto oblinito, spatio relicto, quo gemma liberè germinet. (Nos corticem pro luto

relinquimus: non enim ab aëre frigido metuendum est, quando id æstate fit, ligneisque aut corticeis uinculis, sursum ac deorsum ingeniosè deligamus, quemadmodum in inoculatione dictum est, multasque scutulas in eadem arbore deponimus, ut altera pereunte, quædam saltem reuiuiscat) Materia quam inseueris, si sobolem uel superiores ramos habebit, omnia præcidito, nequid sit quo possit succus euocari, aut cui magis quàm insito seruiat. Post unum & uigesimum diem soluito emplastrum. Ea uerò est emplastrandi ratio, tum ex Columellæ, tum etiam ex nostra cõsuetudine. Dicendum est iam quænam arbores quos surculos optimè patiantur, quóque pacto fieri debeant arborum inter se coniugia.

QVÆ QVOS SVRCVLOS ARbores patiantur & admittant.

Ex antiquioribus authoribus quidam omnem surculum in omnem arborem inseri posse existimarunt, si tamen non est surculus cortiæ dissimilis ei cortici cui inseritur. Atque hoc est ueluti generale quiddam ad omnes arbores. Præterea, aliud consyderandum est, ut serotinus surculus præcoci arbori non inseratur, néue præcox serotinæ. Nam quæ serotinæ sunt arbores, succum & humorem habent dissimilem: hoc est, uel magis acrem & austerum, uel longè abundantiorem. Quapropter periculum est ne in iis surculi inserti eo succo nutriri non possint. Quæ præcoces sunt arbores, certissimum est eas serotinæ arboris surculum perpeti non posse. Cæterum post temporis & aëris ac cæli rationem consyderatam, item prouentus maturitatem, & huiusmodi cætera, id unum præscriptum esse debet, ut nucleis nucleos, acinis acinos,

item baccis baccas adiungamus: denique ut arbores inseramus surculis aut sui generis, aut suæ naturæ. Læuē cortice læui cortici, durum duro emplastremus: amarum succum aut humorem, amaro: dulcem, dulci sociemus. Quod superest, libet hîc tibi describere certos limites in generali, quibus intelligas quænam arbores diuersos surculos, & quorum generum patiantur: ídque tum ex antiquorum, tum etiam recentiorum iudicio.

Ficus inseritur moro & platano.

Morus inseritur castaneæ, fago, malo, pyro syluestri, terebintho, ulmo, populo albæ: quo coniugio candida mora fiunt.

Pyrus inseritur malo punicæ, cotoneæ, moro, amygdalæ, terebintho. Quinetiam si pyri surculi moro figantur, rubra pyra creabunt.

Malus inseritur omni pyrastri generi. Eadem cotonei coitu fœcundata, poma dabit, quæ Græci melimela nominant, nostri pomapyra uocant, Pommespoires. Pruno quoque adigitur, sed initio. Platani cõsortio, rubra mala proueniunt.

Nux in arbutum solam inseri uoluit: cæterarum societatem horrere uidetur.

Punica uariis arborum adulteriis gaudet, ut salicis, lauri, fraxini, damascenæ pruni & amygdalæ: quibus omnibus miscri lætatur.

Rosam aiunt punicæ insitam per inoculationem aut emplastrationē, serotinos flores, & autumnales rosas producere.

Prunus damascena, syluestri pyro cuiusque generis, cotoneæ malo, & pomo impacta coalescit.

Castanea, iuglādi, fago & robori infixa cõprehendit.

Cerasus, nec persica, nec terebinthi respuit hospitium: nec contrà cerasi, terebinthus & persicus.

Myrtus salici inseritur, & damasceno, & thasiæ nuci, hoc est amygdalæ.

Cotonea malus, oxyacanthæ consortium non aspernatur. Ea quemadmodum & caprificus, arboris cuiusque consortium init, nec ulli surculo denegat hospitium.

Corma & Sorba in mitiores arbores sui generis inseri posse quidam crediderunt: item in pyro, pomo, & cotonea: sed id nunquam uerum esse, aut posse iure fieri potui comprehendere. Rectius crediderim inseri posse, aut debere in oxyacantha, quemadmodum & mespila.

Malus persica & armeniaca nucleis seritur, ut postea in seminario ex ramo sui generis inseri possit: nunquam alioqui inseri gaudet, nisi emplastratione & inoculatione.

Amygdala nux emplastratione & inoculatione inseri desiderat: alioqui surculis nõ prouenit, nisi super nouella planta in seminario acinis sata inseratur. Pistaceam admittit insitam, ut existimat Didymus.

Capacissima insitorũ omnium dicitur platanus, inquit Plinius, postea robur: utraque sapores corrumpunt.

Si in pyrum syluaticam inseueris pyrum, quanuis bonam, inquit Varro, non erit fructus tam iucundus, quàm si in eam quæ syluestris non sit.

In quancunque arborem inseras, ait idem, si eiusdẽ generis est, dũtaxat ut sit utraque malus, ita inserere oportet, referentem ad fructum meliori genere, ut sit surculus quàm est quo ueniat arbor.

Oxyacantha apud nos omnes suscipit malorum, pyrorum, prunorum, & cerasiorum species: malorum ta-

men minus, minutorum pyrorũ frequentius: ueluti sunt œrtoliana, bergamota, & quæ finora dicimus.

In œtoneam malum quicquid uel pruni, uel œrasi, uel pomi omne genus inseris, id bellissimè prouenit & diutissimè durat.

NOVA QVAEDAM INSERENdi genera, præter ea quæ superius descripta sunt.

Libet hîc paulisper attingere noua quædam alia inserendi genera, præter superiora: quæ tamen partim ab antiquis tradita sunt, partim etiam à nostris agricolis inuenta: potiúsque ad delicias & nouitatem pertinent, quàm ut singularis cuiusdam utilitatis munus nobis exhibeant.

Noua quædam inserendi ratio est præter superiores, quæ ex arbore in arborem fieri dicitur: eáque Varroni (ni fallor) magis etiam Columellæ ac Plinio œgnita: cùm scilicet diuersæ, insociabilésque naturæ arborum œpulantur, ut fici atque oleæ, uel nucis ac fici. Igitur, si quidem id experiri uoles, primùm iuxta oleam ficum serito, non ampliore intœruallo, quàm ut contingi largè possit. Vbi radicès egerit, tum ramũ oleæ quammaximè sequacem atque obediturum eliges, eúmque omni interim tempore edomabis meditatione curuandi. postea fico adepta uires (quod euenire trimæ, aut utique quinquenni solet) detruncabis superficiem, ipsámque deputabis (uti dictum est) adraso cacumine. crus medium, aut etiam trũcum superiorem, ramóque quem incuruare uoles è directo uicinum, terebra inforabis: atque in ipsum fici foramen, ramum oleæ incuruabis, faciésque ut mediam

ficum transiliat. luto foramen utrinque oblines : uinculísque custoditum ramum oleæ diligẽter continebis ne curuatura fugiat : sinésque ita quodam propaginum insitorúmque temperamento ramum coalescere, atque ita germinare. Id ubi senseris, curabis (si uidebitur) ab olea præscindendum, ne amplius ad oleam attinere conspiciatur. Is insitionis mos apud nos iam satis uulgatus est ac communis, cuius tamen rationem Plinius haud sibi satis compertam asserebat: tametsi id passim apud nostros Cenomanos fieri hac tempestate soleat. Atque hoc pacto factã elæostaphylon crediderim, uitæ per mediam oliuam inserta. Ego uerò memini me gustasse unam, quæ tam amara esset gustu, quàm est nucis uiridis expressæ succus. Id nimirum factum fuerat mangonio quodam uitis per mediam nucem traiectæ, ob raritatem & nouitatem potius, quàm ut aliquod inde commodum expectaretur.

Alia rursus est inserendi formula ad uoluptatem potius quàm ad utilitatem inuenta. Ea fit, ut pomum uel pyrum in quatuor partes scissum, quatuor sui generis sapores gustu diuersos referat. difficilis quidem hæc, uíxque ex centum unam inuenias, arborem quæ hanc insitionem rectè perferre possit. Factum tamen inuenimus, neque id sine maxima omnium admiratione. Surculos quatuor assumunt uel pyri uel mali (nam congeneres esse oportet) ueluti si ex francætura, curtipendula, rubellana, malacria, singulos assumas surculos : ipsósque ita adinuicem coniungas, ut per longum incisus alterius cortex, alterius corticem admittat, humórque fiat utrique cõmunis: ipsas taleas ita luto uel uisco, aut etiã cæra oblines, ut una tantùm appareat: deinde uerò in terram defiges bene subactam & fimo consparsam, ut ita crescant, & radicem as-

sumant. Qui fructus ex ea insitione proueniet, quatuor sapores diuersos referet. Sed profectò difficillimum est inserendi genus. Atque facilius esse duxerim ex duobus suculis experiri quàm quatuor. Itaque puto si persicæ mali & amygdalæ surculorum (ut suprà dictum est) cortiæm cortici exæquatum committas, fissúmque cortiæm uisco illinas, recte atque optimè tum demũ fieri posse. Nam id antiqui agricolæ, teste Palladio, affirmarunt, omne insitum bene comprehẽdere, si quidem in ipsa plaga uiscum mergas: quod quasi glutinum quoddam succos utriusque materiæ procul dubio misebit. Velim igitur, quando idipsum experiri tentabis, ut compositos & compactos surculos exacuas atque incidas ab imo tanquam unus esset: deinde uerò in persicæ mali aut amygdalæ lignũ inseras, ueluti paulò antè docuimus in aliis insitionum generibus: futurũ iri spero, ut fructum recipias nucis amygdalæ simulem, sed cuius caro exterior æu cortex edi possit, & persicam gustu referat: interior autem nucleus, amygdalam nucem, uel ediuerso. Huiusmodi fructus edimus aliquando in Arcoliano, arboribus eo pacto insitis, ut dictum est.

Præter has rursus alia est insitio, qua efficimus ut arboris fructus sine acinis interioribus uel nucleis aut ossibus nascatur. Vt igitur prunus uel cerasus, huiusmodi fructum proferat, nostri agricolæ sic inserũt: surculum nitidum, gemmantem, elegantem, ac succo exuberantem ex arbore admodũ feraci legunt, & qui facillimè incurari atque inflecti possit, tanquam esset uimen aliquod. eius surculi summum non quidem excidunt, sed tantùm ita efformant atque exacuũt, quẽadmodum & imum decere docuimus. Itaque fit ut is surculus & in summo & in

imo positioni atque insitioni sit aptissimus. Eum in lignũ alterius pruni aut ceraſi ita inſerunt, ut ima ſuculi pars in unam arboris partem inflexa atque inſita ſit: ſuprema item in alterã: ſuculúſque ita inflexus, & utraque parte inſitus, luto oblinitur, muſco operitur, deligatúrque ſicut dictum eſt. Anno ſequenti ſi quidem utrunque uiderint ſuculi latus germen producere, atque ex trunco uires accepiſſe: tum ſuculum per medium conſcindunt, & craſſiorem rami partem inſitam omnino auferunt, eam nolentes ad fructum peruenire: aliam, quæ minor fuerat, creſcere ſinunt. Itaque experiuntur fructum ſine nucleis: ſed cur id fiat conijciẽdum eſt. Cùm enim ex anteriore arboris aut ſuculi medulla nucleũ procreari ac generari facilè omnes intelligant, ſummáque ſuculi in cacumine arboris deſumpti pars, medulla omnino uacet, aut ea admodum exigua prædita ſit: mirũ non eſt ſi carnem tantùm fructui generari uideas, non etiã nucleũ: cui nihil ſuppetat quo huiuſmodi nucleus prouenire poſſit.

Idem fieri aiunt quidam iuniore ceraſi uel nouellæ culmine ita propagato, ut extremi ramuli tantùm demergantur: ſummúmque uirgultorum foras exiliat: atque ubi uideris ſumma huiuſmodi cacumina radicæ egiſſe, tum quidem ipſum truncum maiorem ſcindito, eúmque ſolũ naſci patiare. Ex uirgultis huiuſmodi qui fructus exit, oſſibus carere dicitur. Roſacea & quæ moſcheta pyra dicuntur, ſic prouenire ex inſitione uel experti credimus. Taleam dum incidimus, & apparamus ad inſitionem, ab imo rectà findimus in fiſſura: granum moſchi, uel roſæ odoratæ ſiccæ foliũ immittimus, atque ita inſerimus. Sunt qui id in fiſſura trunci demittant neſcio quàm fœliciter. Aliis magis placuit taleas, dum ſerunt, ab imo in-

dere, atque in fissura, uel moschũ, uel quiduis aliud odoris egregii committere, & in terram defigere. dubiũ non est quin fructus odoratum saporẽ ori præbeat. Idipsum in Vettonica nostra quidam commentati sunt, satis elegãter me hercule, ut odorem caryophylli referrent. In rosis quas moschetas uocant, ærtissimum est hoc factum fuisse, atque etiam fieri posse, super cynosrhodo, uel per emplastrationẽ, uel eò magis per inoculationem aut insitionem.

Hoc etiam inter insitionum nouas species addemus, quod antiquis placuit asserere, siquando arbor minus tẽpestiuè fructum adferret, aut etiam nullũ produceret: lignóque & foliis plus æquo luxuriaret, clauum ligneum uiridem radici maiori ablaqueatæ impingunt, aut etiã medio trunco circa hyemem: itaque aiunt sequenti anno arborem fructum proferre. Eius autem rei rationem proferunt, quòd arceatur humor ab ipsis radicibus aut brachiis, uel ramis maioribus, ad quas totus alioqui consumebatur. Idipsum passim apud nos fieri ab eruditioribus agricolis audimus. Pomiferis (ait Plinius) quæ germinant, nec ferunt fructum, fissa radiæ inditur lapis, fertilésque sunt. hoc idem & amygdalis, è robore cuneo adacto, in pyris sorbísque è tæda.

INSITARVM ARBORVM ET iam prouectarum translatio,

Post insitionem, docendum est uti iam insitas arbores uel prouectiores (etiam si non sint insitæ) transferas aliò, ponásque uel in hortis uel in agris. Quo in loco commodissimum fuerit breuiter disserere, quam soli aërísque temperiem singulæ desiderent.

Primùm obseruandus est ex æquo, singularũ arborum

positus, quem prius habeant quàm transferas, quódque solum, & quàm pingue aut aridum desyderent. Itaque priusquam arborem auellas, tutissimum fuerit in cortice signum facere: uel creta, aut argilla, notare solis aspectũ, aut cæli regionem ad quam inclinata sit arbor quam transferre studebis, ut secundum eam notam, similem positionem inuenias.

Quas arbores iam eradicatas, aliquot dies adseruare uoles, antequam ponas, aut transferas, earum radices terra bene operito, ne pluuia aut imber nocẽat. periculosius enim illis est imbre madefieri, quàm calido torreri.

Purgandæ sunt arbores, & inutilibus ramis eruncandæ, antequam eas transferas: eo enim pacto, fœlicius atque uberius translatæ crescunt, præsertim si maiores arbores fuerint, lignóque luxurient: qualia sunt pomorum & pyrorum omne genus, etiã insitum. Reliquæ uerò arbores insitæ, nisi maiores & prouectæ admodũ ac crassæ fuerint, eruncatione aut amputatione tanta non indigent.

Pusillas arbores in seminario insitas, quibus unus aut alter est ramus tantùm, nõ est opus amputare: succo enim necesse habent.

Scrobes secundum radicum amplitudinem & pedis arboris ambitum latos atque altos effodito: facitóque ut in eo extensi radicum humeri huc atque illuc liberè uagentur, neque seinuicem contingant, néue sursum explicentur.

Radices si paulò longiores fuerint, quàm par sit, præcidito: si etiam delibratæ atque aliquantulum eroſæ, eas transuersa sectione decurtato: facitóque ut quæ plaga radicis cortice magis nudata fuerit, ea in terram pronaiacæat,

cæat, cùm arbor erecta fuerit in scrobe. nam spes est ut fibræ circa plagã renascantur, incremẽtúmque suscipiant.

Glebæ putres & pingues tibi sint in promptu, cùm arborem in scrobem demittes. Satis autem est, ut dum radicæs eo more qui prius dictus est extensæ fuerint, terra in ambitu ipsas superet semipede, nisi locus sabulosus & lapidosus sit admodum. Glebas igitur quas in promptu habebis spissas, pingues, succo exhuberãtes, miscebis cum ea terra quam ex scrobe exemeras: cauetóque ne partem herbosam deorsum circa radicæs mittas: periculum enim est ne plus satis incalescant. Itaque utrunque solum probè commisceto: facitóque ut circa radicum internalla, etiam tenuissimæ, cribratioréque soli partes ingrediantur. Solũ autem si refertum fuerit uermibus, quibus radicæs offendi possint, cineres lixiuium expertos commisceto. Post impactas radicæs, pedibus uehementissimè solum conculcato, aut etiã pauicula comprimito, aspergitóque, si præsertim sicca terra fuerit: nam madidam periculosum est aspergere. Neque uerò tutum est per imbres aut madidum tẽpus arbores transferre, nisi loci solíque ratio id in primis expostulet. de quo nunc est paucis differendum.

QVOD SOLVM SINGVLIS arboribus sit amicum.

Agricolam maximè decet post soli naturam ac bonitatem exactè consideratam, etiam ipsarum arborum temperaturam agnoscere, ut cuique proprium atque naturale solum præbeat. Omnium enim maximum est, ait Theophrastus, solũ commodum, conueniensque cuique arbori tribuere: quando aliud solum aliis arboribus conue-

nientius esse soleat. Itaque paucis explicandum est, quod, quibúsque arboribus sit familiare.

Solum quod pingue admodum est, nulli arbori conducit: exiccat enim plus, quàm sit commodum. Optimum solum est quod bono constat temperamento: & in summa, quod solutum, humectúmque sit, nec frigore torpeat: hoc enim radicibus aditum facilem præstat, alimentúmque laudatissimum subministrat.

Iuglandes solum nigrum, triticum iam expertum amant: quapropter in mediis agris seri gaudent.

Pyros non usque adeò delectat pingue solum, sed mediocrem amant temperaturam. Muris includi gaudent, modò sole meridiano fruantur, neque aquilonem sentiãt, sed huic oppositos habeant parietes.

Malus solo pingui, stercorato, diligenter effosso, non lapidoso, non cretaceo, non arenoso delectatur.

Malus cotonea etiam macro solo prouenit, sed cui cultura plurimùm faueat.

Malus armeniaca subactum amat solum, satis pingue, non tamen stercoratum: in eo enim flauescit, quemadmodum & persica. Quinetiam utraque arbor neque nimis calidum, neque nimis humidum solum amat: solémque liberum exoptat, meridianum, aquilonibus oppositos parietes: cæterum frigoris impatientissimæ.

Pruni solo pingui & glareoso optimè ac fœlicissimè proueniunt, macrum respuunt.

Argilaceum & magis candidum solum oleis fertile notatur: id enim, ait Theophrastus, multum uaporis flatúsque continet, quod natura olearum desiderat.

Cerasiorum omne genus, præsertim acriũ & aridorum, sabulosam & friabilem amant terrã. At quæ crass-

siora sunt, & insitione mitiora facta, ut sunt quæ Aquitanica uocamus, aut goguya, ea certè pingue solum desiderant in translatione.

Amygdala, sicco, sed eo subacto, lapidoso, mediocriter calido, non humido solo delectatur.

Palma solum sabulosum, salsugino súmque concupiscit.

Pinus leue solum, saxosum & arenosum amat.

Mespilus quodcunque solum amat, & uel in umbra crescit.

Sorbus aquosis gaudet.

Corylus frigido, sterili, sabuloso que solo prouenit.

Oleæ, sico, utique, solum campestre maximè competere ait Theophrastus. Nucum autem, pomorúmque generi, radicæs montium amicæ: nam & his humor ex cacuminibus plurimus affluit. Itaque nõ sunt eo in loco arbores altius effodiendæ.

INTERVALLA QVALIA, QVANtáque esse debeant inter singulas arbores.

PLVRIMVM etiam refert ad arborum incrementum & prouentum uberem ipsa positio secúdũ loci solíque rationem, in montanis enim maiora quàm in campestribus spatia relinquenda sunt.

Punicas, myrtos, lauros, crebras serere, non plus quàm nouenos pedes distantes, præcipiunt antiqui agricolæ. Malos, distantiores paulò: Pyros & prunos, amplius: Amygdalas & sicos, multò amplius: simili modo & punicam. Sed hæc rursus singulatim ex nostrorum agricolarum opinione recensenda.

Interualla plantarum quas seris, non tam ratione lo-

ci, quàm secundum eorum quæ conserenda acceperis, naturam instituí debent.

Maiorum igitur arborum, ueluti sunt nuces, castaneæ, si uoles unum tantùm ordinem circa agrorũ itinera conserere, iuxta sepes, quemadmodum uulgò fieri uidemus, facito ut arbores inter se distent quinque & triginta pedum spatio, non minus. Si uerò plures ordines eodem in agro ponere desiderabis uel ad fructuum ubertatem, uel quia tale sit solum, quale maximè iis arboribus conueniat, quinque & quadraginta pedes opus est inter se distent.

Malum & pyrum agrestem, proceram uel insitam, circa uias, iuxta sepes agrorum, uel (ut dictum est) in unum tantùm ordinem ponere qui uolet, necesse est relinquat inter singulas arbores, uiginti pedum interuallum. At si duos huiusmodi arborum ordines circa hortorum ambulationem pedes duodecim latam pones, quinque & uiginti pedum spatium inter singulas relinquito: cauetóque ne sibi edirecto respondeant, sed ueluti mixtim positæ sint.

Pomarium si conserere studebis, multósque pyrorum aut malorum ordines sepibus inclusos ponas, ita faciendũ erit, ut quoquouersum arbores XXX. pedum interuallo à semuicem distent, atque in quincuncem deponantur, neque uerò sibi edirecto respondeant.

Minores arbores, ueluti sunt pruni, ceraſi, persicæ, & id genus cæteræ, si quidem multas eodẽ loco conserere aut transferre uoles, ut ceraſetum, persicetum, prunetum facias: necesse est, undecunque secundum suos ordines, quindecim, aut paulò minus pedũ interuallo ponantur. Si uerò duos tantùm ordines secundum hortorum ambulatio-

nes conſerere cupias ad oblectationem, uideto quanta ſit ambulationis latitudo. Nam ſi minor fuerit pedum quatuordecim, tum mœruallum arborum duobus pedibus augebis: ſin quindecim pedes excædat, tum etiam minues.

Acerba œraſia in horto uel plantario diſpoſita, duodecim pedum mœruallo conſeri gaudent in quincunœm.

Puſillæ reliquæ arbores, ueluti ſunt cotoneæ, ſorba, meſpila, coryli, & huiuſmodi, ſatis fuerit ſi nouem pedibus à ſemuicem remotæ ſint: uix enim plures ordines huiuſmodi arborum ponimus.

Duos ordines, aut eo plures uariarum arborum dum ſeres, facito ut puſillas in prioribus circa ſolem ordinibus conſtituas, maiores autem in poſterioribus, itáque ſingulis liberrimus erit ſolis aſpectus.

Pyrum ſi cum pruno conſeras in apricò locò, facito ut prunus ſoli magis expoſita ſit: pyrus enim umbram facilius ferre poteſt.

Arbores in multos ordines ſimul diſpoſitæ maiori ſpatio atque mœruallo conſeri debent, quàm ſi in unum tantum ordinem diſponerentur.

Quin & ratione locorum mœrualla dediſſe non decet. Nam in ſolo craſſo, pingui & uliginoſo, maius ſpatium atque mœruallum deſiderant arbores, quàm in arido & macro ac ſterili: fultim enim conſertæ, ſibi inuicem mutuam opem ferunt. Locis præterea montuoſis breuiora ſunt mœrualla relinquenda, quàm planis. montibus enim minus radiœs comæque augeſcunt. Verũ ad culturam priuatarum fructiferarúmque arborum ueniamus.

PRIVATARVM, FRVCTIFERARÚMque arborum, in paſtino poſitarum cultura, poſt inſitionem tamen ac tranſlationem.

ADDENDVM etiam hoc operæpretium uiſum eſt, neque ſilentio prætereundum quod ad culturam priuatarum arborum pertinet, poſt inſitionẽ & tranſlationem tamen. Parum enim eſt arbores trãſtuliſſe atque inſeuiſſe, niſi & reliquam culturæ rationẽ probè teneamus, qua fructus lõgè uberiores ſuſcipimus, & facimus ut diutius ac fœlicius poſitæ arbores uiuant.

Omnino mutationes arborum, ait Theophraſtus, culturæ ratione exultare, ut ex acutis amariſue tranſeant in dulces: œu punicæ atque amygdalæ, & quicquid per alterationem ſuarũ radicum, natum ſit immutari. Quippe amygdala triennio pòſt mutatur, niſi per id tempus diligentiori cultu ſaginetur. Facit enim cultus ut omnium arborũ radicæs, à quibus planè nutriuntur, ualidiores fiant. Atque huius nonnullæ, ex ſylueſtrium numero, in urbanum habitum tranſeunt. Melior igitur pleniórque germinatio & fructificatio cultarũ arborum eſt: fit enim cultura ſolum laxum, permeabile & humidum: fructúſque cœpioſe producitur, cùm ſuperuacua quædam plantis abſcindimus, alimentáque ſubminiſtramus, & omnia patefacimus, afflatibus arbores exponentes.

Communis arborum omnium cultura, eſt foſſio, rigatio, ſtercoratio, item purgatio, & aridorum exemptio. Quas culturæ ſpecies quædam arbores in primis deſiderant, aliæ minus, aliæ nunquam: ut cupreſſus, quæ nullo pacto ſimum aut aquam concupiſcit. de his igitur ſingulatim diſſerendum uidetur.

Solum squalidũ atque siticulosum fodere, agitaréque sæpe oportet. Palustribus quoque, uiginosisque fossio prodest. Nihil autem id mirum est: nam alterum siccat, alterum humefacit. fossio in summa omnibus prodest arboribus: tollit enim quæ impediunt aut auferunt pabulum: ipsúmque solum humectius atque suspensius reddit. Aër quoque, dum fodimus, permiscetur humo, & uaporatum quendã humorem atque alimentum præbet.

Rigatio iis locis conuenit, quibus propter pluuiarum inopiam, æstate solo calido & sicco fructus percoqui nequeunt. In his autem diligenter cauẽdum est, ut more solito rigatio adhibeatur: hoc est, ut ipsam rigationem non intermittas. Periculum enim est ne postquam rigare cœpisti, non aquam crebrò adhibeas: nam eo pacto pristinam alimoniæ facultatem adimes, & facies ut æstu sæpe arbores exaresçant. Fluentibus igitur aquis non putealibus, idque ad uesperam, irrigandum.

Punica & uitis aquam diligunt. Ficus cùm rigatur, magis germine uiget, sed fructum deteriorem parit, præterquam laconica, ait Theophrastus, quæ riguis uehementissimè gaudet. Malus uerna & myrtus aqua feruenti rigari gaudent. quod fortuito deprehensum est, cùm myrtus iuxta balneum staret neglecta. Palma salsis aquis irrigari gaudet. Platanus urinam humanam, dũ irrigatur, amicabiliter tolerat. Amygdala dũ fructum parit, neque riganda, neque stercoranda, neque ulla cura tractanda est.

Purgari omnes arbores desiderant, melioréque reddũtur exemptis aridis, tanquam alienis quæ tum incrementa, tum alimenta impediãt. Ob id, cùm arbor annosa

est iam, totam decídunt: germinare nanque denuò incipit. Purgatione maximè egere myrtum & oleam Androtion author est: etenim quò pauciora reliqueris, eò melius germinant, fructúmque cœpiosiorem præstant. Sed sunt purgationis plura genera, quæ mox explicare oportet. Est enim decacuminatio, amputatio, & quæ perpurgatio dicitur.

Decacuminationis dimutilationísque ratio in paucis cogitanda est. Ea dicitur, cùm detracta cœma, arboris extremitas præciditur. Decacuminatione abies, pinus, larix, & palma pereunt: quibus quidam addunt cedrũ & cupressum. Arbores enim hæ cũ natura siccæ sint, & meatu condãtur rectissimo, & unica radiæ inhæreãt (ait Theophrastus) uulnere facilè infestantur, fitq; ut & frigus & ardor facilius subeat, præsertim cùm undique infertur.

Amputatio purgationi ferè proxima est: ea perfractis adhibetur arboribus. Omnia enim ferè quæ in altum luxuriosius extollũtur, cœmpescenda agricolæ cœnsent: præterquàm illa quæ apta sunt excælsa cœnsistere, cœu palma, pinus, cupressus. Minus enim fœcunda redduntur, cùm alimentum per longinquum transeat spatium. Itaque amputanda prohibendáque germina illa sunt, quæ intempestiuè excurrunt. uulgus nostrum uocat Esbourionner: quæ cultura uiti maximè peculiaris est. ea enim quotannis amputari requirit, propter summam augescẽdi facultatem: cæteræ autem arbores partim annis alternis, partim quadriennio post insitionem uel positionem.

Cæterum plantæ nouellæ dum prima fundunt germina, sinendæ sunt intactæ crescere, ut radicem liberè capiant: cúmque iam radicem egerint, cœnualuerintque, tum tu superiora amputare poteris: quæ optima & aptis-

sima sunt, tantùm relinques.

Perpurgatio autem fit, cùm ea resecamus in arbore quæ fructum præstare nequeunt, & quæ incrementa cæterorum uetare possint: sic etiam quæ inter brachia constiterint, dēsáque inter se sint, ac de mediis proueniant. Hæc enim omnia cùm solem, tum flatum auferunt: nam & perflari placidè, & solem sentire arbores commodè nequeunt. Cùm autem huiusmodi perpurgatio laboriosa plagarum causa sit, ob id non ea quidem tempore quolibet, sed post Vergilias administranda: tum enim arbores ualidissimæ sunt, cùm humorem ad fructum cōsumpserint, & nondum alium susceperint. Quæ autem in fructificando tardiores sunt, has pro ratione purgabis post fructuum decerptionem. Ficœ peculiare notatur, perpurgandum esse antequam germinet.

Recisio putationis aut purgationis species est, sed quæ ad maiores arbores in primis pertineat: nam perpurgatio arboribus imbecillibus & solutis propriè datur. uulgus nostrum recisionem uocat Esbrancher, cùm brachia arborum minus fruticantia, etiam integra rescinduntur, ut aliis humor copiosus ad fructum suppetat. hanc curam olea, punica, & myrtus in primis desyderant. Minus ea recisionem tolerant quæ plagis infirmantur, ut pyrus, malus, & quicquid sicum, ac cortice tenui uestitum est. hæc enim resecta, uehementissimè laborare solent. Qua de causa minus his auferre præcipiunt antiqui agricolæ, aut ferro perquam leuissimè. periculum nanque imeritus propter ulcera imminet.

Post purgationem stercorandum, ut se recreare pabulo possint arbores post recisionem. Crebra autem stercoratio, arboribus inimica: timendum enim, ne ui nimii

caloris obarescant. Nam eadem ratio non est arbusti ac loci arboribus uacui, segetibúsque destinati. Aërrimum stercus, arboribus minimè conuenit. Stercus autem quod optimum esse iudicaueris, semper pro uirium arboris ratione disponere debes: minus si acre, plus si mollius sit. Suillum stercus, etsi ualidum, tamen aiunt quidam optimum esse, cùm fructus emollire, immutaréque uolumus. Eo enim punicas dulcescere, & nucleo uacuas reddi: Amygdalas quoque ex amaris dulces effici autumant. Quod superest, siticuloso atque graculi solo modicam stercorationem conuenire ait Theophrastus: pluuio autem, crebram & largiorem.

Lætatio inter culturam arborum poni potest. Ea fit, cùm humore naturali destitutas, solo pinguiore, crassiore, & multo lætiore, circumquaque munimus. Lætiores etiã facimus, dum solum uertimus: ut inter uertendum aëre benigno fruatur. Interdum fossam circumquaque efficimus, terra undecũque aggerata: atque ita per aliquot dies relinquimus, ut radices libero quodam aëre gaudeant.

Delibratio quoque inter culturas arborum ueniet: cùm scilicet arbor in altitudinem nimium assurgit, ipsíque altitudini crassitudo non est æqualis. quapropter librum in rectam lineam secamus, nihil tamen auellentes, quo liberius crassescat.

Ablaqueantur omnes pene arbores, radicésque resecantur post cõsitionem, dum scilicet adhuc nouellæ sunt. Id uerò fit ut altè descendant, atque amplius incrementum recipiant. Præcipuè autem iis hoc facimus, quibus radix prima parte terræ natare soleat, ut Oleæ ac Viti. AEtatem uerò grandiorem adeptæ cùm fuerint, annuas radices, & in uniuersum per summa cæspitum adhæren-

tes reſecare par eſt: ut inferiores, plures, ac robuſtiores efficiantur. Aridæ præterea abradendæ ſunt: annexæ enim cæteris, officiunt, & uermes in arboribus creant. Multùm diſpoliare radiçs damnoſum eſt: non enim tam perpurgandæ ſunt, quàm partes ſuperiores: nam alimẽtum atque incrementum præbent.

Antiqua arborum culturæ ratio talis fuit. Feruentibus locis accumulabant æſtate radiçs, operiebántque, ne ſolis ardor adureret. Interdum ablaqueabant, attondebántque ac colluebant, ut perflatum admitterent. Quibuſdam locis, per hyemem, cumulis congeſtis, à gelu uindicabant. Aliis circa hyemem aperiebant, humorémque ſitientibus quærebant. Vbicunque autem mos erat circunfodiendi arbores: in circuitu, pedes in orbem ternos, nec tamen inſitas, circunfodiebant, priuſquam ualidæ ferre cœpiſſent fructus.

Noſtræ ætatis agricolæ, nouellas in plantario ſæpe irrigant, locis præſertim ſiccis, & æſtate, priméque poſt tranſlationẽ anno. Arbores quæ iam multum incrementum acceperunt, circa Octobrem circunfodiunt, ablaqueant, aëréque liberum radicibus relinquũt: ſi præſertim eius generis ſint arbores, quæ ſuperiore anno cæli incommodũ perpeſſæ ſint. Declinante hyeme foſſam opplent, ſuóque ſolo radiçs operiunt: nonnunquam meliore pinguioréque lætant. Porcino uel ouillo fimo, muſcoſas arbores fœcundant: interdum cinere lixiuium experto ſolum ipſum commiſcentes. Muſcum circa arborem collectum, ligneo cultro abradunt, cortiçm non uitiant. Per æſtatẽ, arbores quas hyeme non ablaquearint, ſi uiderint ſiti aut humoris uitio exareſcere, circunfodiũt aliquantulũ in ambitu, ſolóque pinguiore atque humidiore lætant.

Putationem aut reciſionem, uel etiam purgationem, nunquam molitur ætas noſtra, antequam arbores humorem è terra manifeſtò ſuſcipere uideantur, feréque germinare incipiant. Lignum quod abſcindunt, iuxta truncum ſecant: ut humor ſuperfluens plagam cõfeſtim operiat atque occludat: quod alioqui per hyemem uel æſtatem mediã rectè non fieret. Ramos craſſiores dum reſecant, id in primis dant operam, ne dũ brachiũ per mediũ ſecuerint, ſuo pondere in terrã decidere ſinant: poterit enim hoc caſu cortex arboris uitiari, atq; in lõgum diffindi. Itaq; ſurſum ac deorſum, etiã à lateribus utrinque, ſerrulã imprimunt, ut tandem brachium à medio diſrũpatur, neque corticis ulla ſuperſit in caſu continuitas. Inde uerò falcato cultro, plagam diligenter exæquant, ramentiſque quæ ex inciſione deciderunt, ipſam operiunt.

At uerò reciſio quæ propter maiorum arborum incrementum fieri ſolet, dum etiam nobiliores nucum, mororum, ceraſorum, prunorũ ramos inſerimus, ut ſequentibus annis fœlicius atque uberius creſcant, alia tempeſtate attentanda eſt: nempe ſtatim ubi uetera folia deciderunt, ad Calendas Octobris. In his uerò truncum ac brachia quæ nuda reliqueris, facito ſatis oblonga ut ſint: nam meunte uere inſerenda erunt.

Arborum quas ſuperioribus annis ex altera tantùm parte inſeueris, ne ſinito partem non inſitam, ligno præter modũ luxuriare: ſed per tempus atque opportunitatem ſuperflua demito: ramúmque tantùm integrum ac ſanum relinquito, qui tibi fructum oſtendat. Partem inſitam, ligno etiam, ramuliſque ſuperfluis uiduabis, ne tota humiditatis uis in iis enutriendis exhaletur, fructúſque ob id pereat. ídque fiet, confluentis undique humoris

tempore, nempe circa Aprilem.

In aliis culturis, nihil ab antiquorum more superius explicato, differimus. Itaque de morbis arborum nunc est differendum.

ARBORES VRBANÆ QVIBVS morbis intereant, quæue patiantur incommoda.

Vrbanas arbores plures infestant morbi quàm syluestres: nam morbos syluestribus accidere quidam negant, quibus intereant. Forsitan autem urbanæ arbores magis ægrotant, (inquit Theophr.) propter harum infirmitatem. Sed morborum, quibus arbores urbanæ obnoxiæ sunt, alij nomine uacant: ut cùm ob aquæ inopiam squalent, uel alimenti inopia langueſcunt, ac pallent modo frumenti: alij nominantur, ut uermiculatio, syderatio, & huiusmodi. Rursus quoque morborum qui nominari possunt, alij communes sunt & publici, ut uermiculatio, syderatio, radicatio: alij minus communes, ut sphacelismus, glabratio, roratio: quod postremum propriè uiti conuenit, & plærique alij morbi: de quibus singulatim nunc est differendum.

Vermiculationem nulla ferè est arbor quæ non sentiat. Aliæ tamen pluribus refertæ sunt, celeriúsque intereunt, ut Malus, Ficus, Pyrus: aliæ paucioribus infestantur, atque ægrius moriuntur, ut quæ acerbos fructus pariunt: uel succum, aut humorem internum, acerbum gerunt: quapropter Ficus, Laurus, minimè omnium hoc uitio infestari creduntur, atque ob id minus putrescunt. nam certissimum est, omnes arbores uermiculationi obnoxias, ato putrescere, dulcem etiam succum intus habere,

Ficum tamen offendunt interdum uermes in uicinis arboribus natæ, atque ad ipsam peruenientes. Alios præterea parit, qui Ceraſtæ uocãtur: omnes tamen in Ceraſtam figurantur, sonúmque edunt ueluti paruuli ſtridoris.

Omnia quæ lentiſco inſerta terræ mandãtur, minus uermiculationem ſentiunt, odoris feruoríſque cauſa. Vermiculantur magis, quæ ætate prouectiores ſunt: quod & ipſum euenire uidetur iniuria circunfodientiũ, aut quum ſiti propter ſqualorem laborauerint. Quippe ex ictu putreſcunt arbores: ulcerat éque, uermes per ſaniem creãt.

Vermes igitur, arbori ſeneſcenti in cortice nati, per hyemem enecantur à noſtris agricolis, hoc pacto: Declinante iam hyeme, ferro optimæ aciei corticem abradunt, eámque partem auferunt quam uermibus offenſam cernunt: plagam fimo bubulo, aut etiam porcino illinunt ac conferciunt: linteíſque deligant, uiminibus obuinciunt uſque in aliquot dies. Quibus autem arboribus, in diuerſis corticum locis uermes apparebunt, in iis uidendum, qua parte cortex magis turgeat, lachrymoſúſque cõſpiciatur. nam in ea parte reſecandus, uti dictum eſt: uncóque uel cuſpide runcinæ eximendi uermes, quotquot ſub cortice exeri atque euocari potuerunt. Plagam emplaſtro claudito, quod fæcis uel porcinæ, uel bubulæ maiorem partem accipiat: ſaluiæ tritæ, calcis uiuæ pauxillulum addito. Id emplaſtrũ bene colligatum plagæ tantiſper relinquatur, donec ſua ſponte decidat.

Syderatio, quæ Græcis aſtroboliſmos dicitur, ad nouellas plantas præcipuè pertinet, ac ſuraculos. Quod accidit imbecillitatis cauſa, uel cùm ſiccatæ tellure arbores, humorem trahere nequeunt: quapropter plurimæ pereũt ſub ſydus, ait Theophr. Ictu etiã iniurioſo accidit ſyderatio.

Sphacelismus, ferè idem uitium est: sed ad radicem magis pertinet. unde sphacelismum syderationem quidã dicunt: atque extrinsecus plagis & uulneribus fieri aiũt: uel cùm post fructificationem, humore adhuc tenui, causa imbecillitatis, gelicidium uehemens consecutum sit.

Radicationem uocant, cùm radices imarescunt, marcescúntque: quod uitium, ficui maximè conuenit.

Glabratio etiam ficui propria, morbúsque radicum appellatur: qui certè ex nimietate humoris solet accidere. ídque uitium, quidam Aulam appellãt. Huic noxæ medemur, uel resectione summarum radicum, uel demissis propaginibus, uel suffossionibus, aut ablaqueationibus, uel amputatione, cùm sua germina ministrat arbor, ne sua opacitate succum percrasset.

Scabies, & quæ adnasci solent cochleæ, ficorum magna ex parte peculiaria sunt, nec tamen ubique: potissimum gignitur, cùm aquæ paululum post Vergilias inæsserint. Atque ob id quidem uitium, fructus prætenuis, fluxus, ut potè crudus creatur, & antè tempus defluit: nam humor uitiatus refermentatur, & referuescens, erumpit ut pustulæ, unde scabiei nomẽ. At si copiosè aqua inæsserit, causa quæ scabiem creat, eluetur. forsitan & detrusa introrsus abolet ac deserit. Remediũ esse potest, uel cùm nimia nutrimenti ubertas detrahitur (quemadmodũ & Amygdalas & punicas quidam castigare solent) uel cùm arbor firmior atque robustior redditur.

Cradatio ficui etiam communis est: que fit, cùm rami imarescunt, marcescúntque: crados enim, ramos ficulnos quidam appellant: unde & morbo nomen. Caprificus autem, neque uermiculatione, neque radicatione, neque scabie, aut cradatione infestatur,

Tabem arborum, Græci ecplixin uocant, quasi quidam sit stupor rigórque, frigore, gelu, alsiosis annis contractus.

Vredo, Græcis clausthmos dicta, multis arboribus peculiaris est, quum propter solis ardorem ac uehementiam inarescunt.

Clauum, fungum, siue ollam (patellam transfert Plinius) uocant morbum oleæ proprium, quum solis exustione uexatur. Impetigo quoque ad ollam pertinet.

Vitibus propria est quæ roratio dicitur: quidam ψιεδας dicunt. Huius autem gemina causa est, aut quòd rores statim post florem inciderint, aut quòd exuperantia fuerit. Itaque utraque de causa defluunt acini, & remanentes paruuli constant.

Hiraulatur uitis, cùm germina flatibus fuerint abscissa, aut cùm imperitia culturæ fuerint læsa, aut tertio, cùm fuerint in supinum excisa.

Articulatio uitibus etiam propria est, & quibus humoris abũdantia articulos ita offendit, ut fructum procreare nequeant propter luxuriem germinis: nec enim pabulũ excoquere possunt, sed ad germinandum uis tota cõuertitur, quasi detractæ fluxu rapido nimii aliméti.

Oculorum obtusio accidit, cùm post gemmationem acriter frigent arbores, ut cùm germina sua festinantius inchoant, túncque gelatio statim consequitur.

Flos quoque intempestiuus, gelatione etiam perit. nempe cùm flatus gelidus, flori adhuc imbecilli occurrans, totum profundit: quod in Amygdalis & Armeniacis sæpissimè apud nos accidit.

Squallent interdum arbores, aquarum inopia: nec enim tunc humorem possunt transmittere. Iuuat contra id ui

id uitium (inquit Theophr.) ſolum aſſiduè appellere, cœquaréque: ſic enim per æſtatem humoris aliquid trahent, & per hyemem calor aderit amplius, qui alimẽtum diſpenſet, quod largè imbrium copia ſubminiſtrat.

Depaſtio animalium, arboribus etiamnum damnoſa eſt: quòd dum germen cæditur ac detrahitur, ſimul quoque aduritur. Fit enim hoc uitio, ut plantæ grauius infeſtentur. Contra id incommodum, fimo boum diluto aſpergi folia quidam iubent, quoties imber intercidat, aiúntque ita ablui uirus medicaminis.

Peſſimum oleis, uitibus, & aliis omnibus, ſi dum florent, impluerit. Defluunt enim flores & fructus, cauſa imbecillitatis.

Nimia fertilitas arbores etiam enecat: exareſcunt enim, quia totus humor ad fructum conſumitur.

Pinum ſtrangulari aiunt antiqui agricolæ obeſitate atque pinguedine nimia. Cùm enim aurã tũc attrahere nequeat, propter nimiã nutritionem, accidit ut moriatur.

Excæſſus quoque frigoris atque æſtus, etiam ualidiſſimas ac robuſtiſſimas arbores enecare certiſſimum eſt.

Hædera nimio pabuli deſyderio, ſalſugineque ſibi ingenita, arbores interimit. Fabarum quoque putamina ferunt radicibus aut germinibus arborum imbecilliorum, & quæ nuper proſiluerunt appoſita, uitam penitus tollere: quòd ſua duritie, ſiccitatéque alimentum partim trahant, partim arcendo auferãt: unde arbores alimento deſtitutæ, protinus moriuntur.

Dimutilatione radicũ, nouella uitis interit: &, ſi quid tenellum, imbecillũ, atque rectifluum ſit. Amarã quoque efficit Amygdalum dimutilatio, & punicam duriorem: principio enim alterato, finis quoque alteratio ſequitur.

Diffissionem & fissionem caudicis, ac uulnus tolerant Vitis, Ficus, Punica, Olea, Amygdala & Malus: ut quæ ita uulneratæ rursus comprimantur & coeant, ac ueluti ad sanitatem reductæ uiuant, alimentum quantum abunde sit capientes: non enim resiccantur, neque à frigore quicquam læduntur, fissuræ causa. Id autem fit, propter humiditatem ingenitam: quod præcipuè accidit arboribus, quæ iuxta aquas uiuiscunt: sed hæc omnia, non nisi bene adulta, facilè ferunt. Pinus autem & Palma id non patiuntur.

Corticis in orbem detractio, quam decorticationem uocant, communis omnium arborum aut certè plurimarum interitus est.

Culicæ in aliquibus arboribus gignuntur, ut in Robore & Fico. Est & quoddam culicum genus, Centinæ uocatum Theophrasto (Centrinas uocat Plinius) id otiosè uiuit, quemadmodum fuci inter apes: & quos ex altero genere sua poma ingressos aspexerit, protinus necat, id uerò suis tandem moritur operculis.

Est etiamnum peculiare Oliuis & uitibus quod Araneum uocant (inquit Plinius) Arachneum Gaza traduxit in Theophrasto: fitque cùm ueluti telæ inuoluũt fructum, & absumunt. Oleæ (inquit Theophrastus) Arachneum nascitur, humiditate quadam aëris proximi quod fructum adimit.

Folliculis ulmeis quoddam bestiolarum genus innascitur, quod Cnipes appellãt, qui cùm in ficis gignuntur, ficarios illos culicæ deuorant. Huius remediũ, cancros statuunt alligandos: in eos enim uertere se culicæ inquunt, sed ficus quidem auxilia istiusmodi comperta habentur.

Erucæ, quas Caniculas uulgus nostrum uocat, na-

ſcuntur tempore & uento auſtrino: ſi ſol acrior fuerit, rumpuntur: imbribus etiam cœpioſis crepant: hæ frondes & folia arborum, ipſdque adeò germina erodunt. Contra id uitium quidam iubent lacertæ uiridis ſucco arborum cacumina tangi: alij taurino felle totam arborem extrorſum illinunt.

Formicæ quoque, ſunt arborum peſtes. Has abigunt rubrica ac picæ liquida, perunctis caudicibus: necnon & piſcæ ſuſpenſo iuxta, in unum locum congregant.

Talpæ, ſi circa arborum radicem fodiant, amurca locum conſpergito, aut peribunt, aut inde aufugient.

Voluox, aut conuoluulus, ne naſcatur in uinea, aut etiam arboribus, caudicem & brachia urina illinito, addita aquæ pari portione: per ſe enim nocere poteſt urina.

In ſummam, Didymus aſſerit omnem arborē iuuari fabarum aut aliorum leguminum paleis, aut aceribus frumento circumpoſitis. Tradūt item ſuccum herbæ, quæ ruſticis polypremnos appellatur, caudicibus illitum, arbores à noxa defendere, & largiorem edere fructum: neſcio an ea herba ſit ſedum maius quod uocant: nam id beſtiolas interimit, noſtri fæcem uini radicibus arborum conſperſam mirè prodeſſe aiunt: alij aduerſus ſolis aduſtionem, uinaceis ſolum aſpergunt.

Sed iam poſt arborum culturam explicatam, etiam de fructibus aliquid dicendum eſt: ut ſciamus quo pacto tandem conſeruari debeant.

FRVCTVS VARII, EX PRIVATIS arboribus collecti, quo modo adſeruari ac recondi debeant.

Poſtrema hæc fuerit ſermonis, qui de arborum cul-

turæ ratione à nobis initus est particula, fructuũ cõseruandorum explicatio. Parum enim est arbores excolere probè nouisse, nisi & fructus recondere atque adseruare diligens agricola pernoscat. Non enim æquales sunt arborum quotannis fœtus, sæpéque periculis occurrẽdum est, dum unius anni fructus in alterum cautè adseruamus. Itaque ab Amygdalo incipiendum.

Amygdala nux (ut Florentinus tradit) ad legendum maturitatem fatetur, cùm fuerit spoliata cortice. Ea si muria lauetur, & candida sit, & imolumis, plurimùm durat, mox siccata ad usum seruatur: eo pacto siccanda Amygdala nostri faciunt. Si difficulter corium exuant (nam quædam sunt eius generis) paleis obrutæ, continuò relaxabunt.

Castaneas nuces, si ad ueris initium seruare uoles, eæ in umbra siccari debent expansæ: deinde in siccum locum translatæ, in cumulum redigantur, quem arena diligenter operiat. Integrarum probatio est, ut in frigidam mittantur: tum enim quæ sanæ sunt, merguntur: supernatat quæcunque uexata, aut intus corrupta est. Sunt qui in uasculis seruent, arena pariter indita. Sunt qui in cratibus disponant, uel intra sabulonem, ne inuicem contingant: uel inclusas uirgeis ex fago receptaculis, & lutatas, ut spiracula non relinquant, loco sicciore defodiant. Aliis magis placuit, hordei paleis immundissimus obrutas adseruare, uel palustri ulua, figuratis densioribus sportis reclusas. Nec desunt qui filo transfixas, & igni detostas cumulatim adseruant.

Cerasia antè solis exortum, arbore sua decerpta, in uas (substrata in fundo satureia) coniiciuntur: deinde cerasia superponũtur, iterúmq; alternis satureia: adiicitur

nonnihil acidi mellis, aliquantum dulcescentis. Seruantur itidem interiectis arundinum foliis, & in eundem modum alternatim dispositis, in cado. In candenti sole, usque ad rugas siccata, diu seruantur, item molliusculo igni fer uore passa.

Citria mala, Sotion author est, subacta, gypso studiosè perlita, toto anni curriculo, inoffensa integritate, atque illæsa omni uitio seruari. Idem non putrescere promittit citria mala, quæ acerus hordei fuerint obruta. Tradunt alij mala citria per totum annū custodiri, si uasculis quibuscunque claudantur. Sed si legere uelis atque seruare, nocte cum suis foliatis ramulis decerpēda sunt, & secreta disponenda. Alij singula singulis fictilibus claudūt, & opaco loco ordinata custodiunt. Plerique in cedri scrobe, uel in stramínibus minutis, uel paleis tecta seruant.

Corna, cùm maturuerunt, nostri in lagena oris patentissimis leuiter & laxè componunt, ne collidi possint: deinde ad fauces usque commissa uimineis suraculis sic transuersis arctantur, ut modicè corna comprimant, nec patiantur ea, cùm acceperint, liquorem subleuari: tum quamoptimo & liquidissimo melle, uel uicario eius saccharo, uas usque ad summum ita replent, ut corna submersa sint. Hæc ratio non solùm corna bene custodit, sed etiam saporem mulseum præbet: qui sine noxa possit interdum febricitantibus dari, præsertim si uentris profluuio tententur: præterea suo subacido gustu, & palatum irritante, morosam abigit malaciam.

Cotoneorum condendorum uarius fuit apud antiquos usus. Democritus suadet, in domo non recondenda cotonea, ubi reliqui fugaces fructus sint, uel alij quoque teneri resideant: siquidem hos suo sapore labefactant, ac

maximè uuas in uicino reconditas, marcore conficiunt. Fæce uini mirum in modum seruantur, aut fictili nouo, operculóque picato, in uini dolio clauduntur, ita ut fluitent: eo pacto recentia permanent: & unum in quo enatant, odorem bonum contrahit. Quidam foliis & luto operiunt, in sole siccant, & super tabulato reponunt. Alij hordeo obruunt: alij gypso uel cæra crustant: alij foliis fici inuoluta custodiunt: alij in melle integra demittunt. quidam illinunt creta figlina, siccatáque in sole suspendunt. Reliquas condendorum cotoneorum rationes uideto apud Ruellium: unde has quoque magna ex parte desumpsimus.

Ficus recentes seruari possunt singulæ intra uiridē cucurbitam clausæ, loculis unicuique excauatis, suspensa eo loco cucurbita, ubi nec ignis, nec fumus inspiret. Legendæ autem cum petiolis, ut diutius integræ durent. Alij sic in melle disponunt ficus, ut neque semuicem, neque uas tangant. Immarcidæ seruantur in poculo uel uase uitreo aut perspicuo, obducto cæra spiramento. Alij crati-bus expandunt toto solo siccandas, & recipiunt nocte sub tecta.

Seruantur iuglandes uel paleis obrutæ, uel aëria, uel foliis suis aridis, uel arca ligno suo facta concluſæ: uel immuxtæ cæpis, quibus hanc uicissitudinem reddunt, ut acredinem tollant. Expertum prodũt, si uirides nuces, tantùm putaminibus suis liberæ, demergantur melle, post annum uirides inueniri: ipsúmque mel ita medicabile fieri, ut ex eo facta potio, faucibus & arteriis medeatur.

Pomorum seruandorum uaria admodum ratio, pro diuersa morum ac regionum consuetudine. Quidam enim seruant poma tabulatis, loco frigido, septentriona-li-

bus feneſtris, quæ ſereno die patentes lucem accipiant. Alij ſtramentis, ſtoreis, paleíſue ſubſternunt, rarâque componunt, ut limites paruũ ſpiritum æqualem accipiant. Cui ſtudiuntur delicatiora poma in olla fictili, cæra interius inducta: hordei aceruis obruta, à putrilaginis labe uindicantur. Seruantur quoq; fideliis fictilibus, non picatis, effracto fundo & excluſo ſpiritu. Sũt qui ſiculneis frõdibus ſiccis, inuoluta ſingula poma recõdant, ac luto uel argilla uas operiant: ut ad extremũ talia reperiãtur, qualia concluſa fuerant. Porrò etiam ſeruantur poma caniſtris, uel uimineis ciſtis compoſita, & mundo tomento obruta. Multa ſunt alia ſeruandorum pomorum præcepta, quæ tu ex Plinio, aliiſque bonis authoribus deſumes.

Meſſila aut picatis, & minutis urceolis, aut ſcrobe populi, aut in ollis inter uuas uinaceis obruta ſeruantur.

Oliuæ inter cæteras condiuntur, colymbades appellatæ. eæ uerò, uel muria, uel melle cum aceto & ſale probè adſeruantur. Sunt qui pulegium, mentham, anethum, lentiſcum, & ramulos oliuæ ſubditos addant. Alij detractam ex muria & aceto colymbaden, atque ita præparatam, ut decet, ſpongia detergent: & in urceum, uel fideliam nouam immittunt, ſubſtrato apio & modica ruta: conciſis deinde pleno uaſe oliuis immittunt defrutum, uſque ad os: lauri turiones quidã immittunt: alij baccas, quæ noxentes reperiuntur. Non deſunt qui lectas ex arbore baccas ſtatim condiant: rutam & petroſelinum inter ſpatia ſtructionis ſternant: poſtremo, mel & acetum ſuperfundant: nouiſſime, oleum optimum miſceant. Cætera petito ex Ruellio.

Pyra quamoptime ſeruari Democritus author eſt, illitis piæ ſurculis ſuſpenſa. Alij in ſapa, uel paſſo, uel dulci

uino, uel musto mersa custodiunt cadis plenis. Plurimi inter scrobem obruta seruarunt. Alij siccatis frondibus in glandis, inuoluta recondunt: aut in uræis fictilibus, in uino uel musto demergunt. Nonnulli inter paleas aut frumenta, pyra seruant: aut in melle sic composita reponunt, ut se non contingant. Quædam dura & adhuc uiridia, uase claudi desyderant, & operculo tegi, inclinato deorsum uasis ore: ac scrobe obrui gaudent, loco iuxta quem perennis aqua defluit. Sunt qui quædam pyra (ut Mustacea, uel alterius generis, aut Certoliana, aut Rosacea, uel Bonchrestiana) diuidant, & granis purgent, ac siccent in sole, ut nouo uere gustui quamoptima reddãtur.

Persica, salgamorum studiosi, in prouentum alium cadis condiunt. Duracina seruantur, obruta muria, uel aceto mulso, uel detractis ossibus (ficorum more) siccantur in sole, ac pendent. Item sæpe ossibus exẽptis, duracina melle condiuntur grato sapore & iucundo. Optimè etiam seruantur, si umbilicus pomi, gutta picis calentis oppleatur: ut sic uase concluso, sæpe cogatur innatare. De malis armeniacis idem dictum fuisse existimato.

Punica mala, ut Græci tradunt, ad hybernos usus reseruãda, læui manu collecta, ne tactu asperiore utientur, aut uulnus sentiant inter legendum: nam ea putrilaginis originem adferũt. Cocta piæ merguntur, refrigeratáque suspendũtur. Alij arcentæ flocculo sigillatim inuoluta, funiculis adstringunt, ne tumescentia dehiscãt in rimas: sic tamen munita, in parente patiũtur hærere. Sunt qui scrobe querna, suffuso prius aceto, composita obruãt. Alij integra in feruentem aquam marinam, uel muriam demergunt, ut combibant: deinde sole resiccant, uel loco suspẽdunt frigido: & cùm uti uolunt, aqua dulci pridie

macerant. Longo custodiuntur usu, si in feruentem aquam intingantur: & protinus erepta, in arena sicca componantur, aut tritici cumulo in umbra, dum rugas contraxerint, recondantur.

Sorba Cato cõdiri iubet sapa. Alij præcipiunt cum suis ramis decerpta uasis fictilibus seruanda in scrobibus, gypsato operculo, duûm pedum terra superinducta, loco apricо, inuersis uasis, uel etiam in doliis. Alij integra dolio picato suspendunt, & clausa omni aura operculo & gypso, illitis omnium surculis picæ. Secta in partes, siccantur in sole, cum suis pediculis. Viridia suspenduntur locis opacis & siccis. In defruto diu asseruantur: adiecto spissamento aridi fœniculi, quo deprimãtur ita sorba, ut semper uis supernatet.

Quod supereſt in fructuum conseruandorum ratione, id uerò facillimè poteris ab authoribus petere: à quibus eadem hæc, quæ tibi proponimus, desumpta uides. Nã de huiusmodi obseruatione præcepta statuere, uanum esse existimamus, cùm quisque apud se pro loci commoditate, nouam sibi eius rei administrandæ formulam facilè confingere possit.

Vinetum.

PRIMA omnium nobis est explicanda uineti ac uineæ significatio: deinde uerò ad uitiarium & uites, ac uitium partes & differentias, earúmque conserendarum uocabula ueniemus.

Vinetum itaque appellabimus, plagam uel regionem,

aut magnum soli uel terreni alicuius tractum uineis cõsitum: id uulgus nostrum uocat vignoble. Virgilius,
Néue tibi ad solem uergant uineta cadentem.
Ouidius 6. Metamorphoseon:
Deseruere sui nymphæ uineta Timoli.
Tmolus enim mons est Lydiæ (inquit Plinius lib. 5.) ut croco florentissimus, ita & uitibus multis consitus.

Ordinare autem & instituere uineta dixit Columella: item etiam emundare & extirpare, lib. 4. cap. 27: Sic enim ordinata uineta festinabimus emundare, sarmentisque & calametis liberare. Idem lib. 3. cap. 2: Ad escam non expedit instituere uineta, nisi cùm suburbanus est ager. Et cap. 3: Sed nos extirpanda uineta censemus: quorum singula iugera minus quàm ternos culleos præbent. Conserere quoque uinetum idem author dixit non inuenustè, cap. 11. Quinetiam uinetum restibile appellauit, quod repastinatum est, uel singulis annis repastinatur, hoc est, restituitur & reseritur. Multa alia uocabula uineto propria sunt, quæ etiam uineis attribuuntur: quapropter de iis in uinearum culturæ uocabulis latius dicemus.

Vineæ autem propria & peculiaris significatio, certè non est tam ampla, ac uineti: sed tamen locum utibus consitum & ordinatum cõplectitur, Vn cloz de vignes: ut quemadmodum uinetum ipsarum uinearum, ita etiã uinea ipsarum utium dici uideatur. Columella: Qui uineam aut arbustum constituere uolet, seminaria prius facere debebit. unde uineam ordinare paribus mœruallis dixit idem author lib. 3. cap. 13. Et agrum uineis uestire cap. 1. eiusdem libri. Instituere item uineas in agro trecentorum iugerum dixit Ciæro contra Rullum. Vinea quoque conseminea dicta, pro agro unius tantùm speciei &

notæ uitiũ cõsito. Nam (inquit Columella) diuersæ notæ stirpes, nec pariter defloresçunt, nec ad maturitatem simul perueniunt, ac cætera id genus, quæ suo loco atque ordine explicabimus.

Sed non est illud silentio prætereundum, uineam, aut à uino (quod uinum ferat) deduci, aut à uiminibus, quibus ipsa uinea arboribus uel palis obuincitur: quemadmodum à uinciendo uitem dictam certissimum est. At quia duæ sunt ipsius uineæ significationes: priorem, quæ à uino est, deductionem huic, de qua loquimur, tribuemus: posteriorem autem, quæ est à uiminibus, ei uineæ dabimus, quæ bellicum instrumentum significat, lignis compactum (inquit Liuius) latum pedibus octo, altum septem, longum sexdecim, tectum duplici ligno, cratibusque contextum: cuius latera uiminibus septa sunt, ne saxorum ac telorum impetu perfringatur: extrinsecus autem, ne cremetur, crudis ac recentibus coriis integebatur. Eo instrumento oppugnantes milites ad muros subruendos antiquitus usi sunt. Cicero ad Catonem: Aggere, uineis, turribus oppugnaui, usúsque tormentis multis.

A uinea non solùm uinetum, sed & uinitor & uinitorius descendunt. VINITOR autem is dicitur qui uineas excolit, vn vigneron. Columella libro tertio capite uicesimo primo, Ac multùm interest, pluréne an pauciores materias, pro natura cuiusque stirpis uinitor summittat. Inde etiam falcem uineaticam Varro dixit, qua uineæ expurgantur. & semina uineatica dixit Columella libro quarto, capite primo. fructum item uineaticum, libro septimo, capite tertio. Vinealis quoque terra, uineis conserendis maximè apta & habilis Columellæ

dicta est: Nõ intempestiuè (inquit) commemorabimus Iulij Græcini conscriptam ueluti formulam, ad quam posita est limitatio terræ uinealis. Vinearij quoque cõles uel caules eidem authori libro quinto, cap. 6. dicti sunt, qui in uineis sunt, uel qui in uitibus assurgunt. Quo in loco quidam legunt cõlles uinearios, pro monticulis uitibus consitis. Custodes item uinearij latinis dicti, quos hodie uulgò uocamus messiers. uinaria quoque cella eidem dicta quæ uulgò uocatur vn celier. & uinaria uasa, uino recondendo apta. rustici nostri absolutè uocant des vaisseaulx, alij des muiz. quemadmodum in libello de uasculis explicauimus. Forum prætereà uinarium Varroni dictum lib. 1. cap. 54. in quo uinum uendibile exponitur. uulgus nostrum uocat l'estappe. Atque hæc tantùm de uineis. nam earum differentias & genera in uitibus explicabimus.

Vitiarium uerò, ferè idem ac uinetum significat: sed hoc à uinea, illud à uite. Est autem uitiarium, ager uitibus uestitus. Varro 1. de re rustica, cap. 2, In uitiario primitus cùm exit uitis, tota resecari solet. unde facere uitiarium plerisque in locis dixit Columella: Vitiarium (inquit) neque ieiuna terra, neque uliginosa faciendum est. Sed ad uitem.

Vitis, si propriam uocabili uim retinet, materiã ipsam, atque adeò semen siue plantam, qua uineæ conseruntur, significat. Estque (inquit Columella cap. 1. de arbo.) tertium quiddam, quod neque arborem, neque frutiçm dicere quis possit. Dicta autem uitis (inquit Varro) eò quòd inueniatur ad uuas pariundas. Vnde à pariendo parilema, ac postea imminutis literis (ut in multis) dici cœpta palma. Ex altera autem parte, caprea dicta, quòd pariat

æpreolum. Hæc Varro. Palmam autẽ appellat, maiorem partem uitis unde uuæ nascuntur, quemadmodum minorem, flagella, ut statim docebimus in ipsa partium explicatione.

Quinetiam uitis, lignum ipsum nodosum, ex plãta deærptum, & foliis nudatum significat. Vnde castrẽsis olim moris ac iuris fuisse pulchrè annotauit Budæus noster, ut milites à centurionibus uite cæderẽtur: hoc est, uirga nodosa uitis, uel baculo ex antiqua uite facto. Plinius lib. 14, Centurionum in manu uitis opimo prædio tardos ordines ad lentas perducit aquilas, atque etiam in delictis pœnam ipsam honorat. Iuuenalis de Mario,

Nodosam posthæc frangebat uertice uitem,
Si lentus pigra munuret castra dolabra.

Plutarchus in Galba, κλῆμα ἑκατοντάρχου uocat, id est, uitem centurialem, ut Macrobius. Inde factum, ut etiam Spartianus uitem pro centurionatu acceperit in Hadriani uita. Hinc etiam sub uitem præliari milites dicuntur, authore Festo.

Dubium itaque non est quin uitis, si propriè accipiatur, ipsam plantam ac materiam significet. Vnde uitisator apud Virgilium lib. 7. AEneidos. Nam (ut posteà docebimus) etiam pro uinea sumi sæpissimè solet uitis. Vnde diminutiuum uiticula, pro parua uel mediocri uite. Cic. 3. De natura deorum, At enim minora dij negligunt: neque agellos singulorum, neque uiticulas persequuntur. Inde fiet, ut uinearum ac uitiũ differentias uno atque eodem loco explicare ac confundere nobis necesse sit, quando ita etiam ab authoribus factum est. Sed prius nobis sese offert partium uitis explicatio, quàm ad eius differẽtias transeamus.

VITIS PARTES.

VITIS, atque adeò omnis planta, ſuis propriis & ingenitis partibus à natura dotata eſt : quibus ueluti membris uaria munia exequitur : quemadmodum pulcherrima ad cœrpus noſtrum inductione ac cœmparatione, Lucius ille Columella, rei ruſticæ doctiſſimus explicauit. Id enim procul dubio (inquit) uerum eſſe ratio nos admonet, ſi modò, ut in cœrporibus noſtris propria ſunt officia cuiuſque membri, ſic & frugiferarum ſtirpium partibus propria munia. Videmus hominibus inſpiratam uelut aurigam rectricémque membrorum animam, ſenſúſque iniectos ad ea diſcœrnenda, quæ tactu, naribus, auribúſque & oculis indagantur : pedes ad greſſum cœmpoſitos, brachia ad cœmplexum: ac ne per omnes uiæs miniſteriorum uagetur inſolenter oratio, nil aures agere ualent quod eſt oculorum: nihil oculi quod aurium: nec generandi quidem data eſt facultas manibus aut plãtis : ſed quod hominibus ignotum uoluit eſſe genitor uniuerſi, uentre protexit: ut diuina præditus ratione, rerum æternus opifex, quaſi quibuſdam ſecretis cœporis in arcano atque operto ſacra illa ſpiritus elementa cum terrenis primordiis miſceret, atque hanc animalis machinæ ſpeciem effingeret. Hac lege pecudes ac uirgulta progenuit : hac uitium genera figurauit, quibus eadem ipſa mater ac parens, primùm radices ueluti fundamenta quædam iecit, ut quaſi pedibus inſiſteret. Truncum deinde ſuperpoſuit, uelut quandam ſtaturam cœporis & habitus: mox ramis diffudit quaſi brachiis. Tum cæules & pampinos elicuit, uelut palmas. eorum alios fructu donauit, alios fronde ſola ueſtiuit, ad protegendos

tutandóſque partus.

Hactenus noſter Columella, quem potiſſimum in hac re imitamur, & cuius ſermonis proprietati maximè ſtudemus: ad quam etiam loquendi rectam atque expolitam formulam, iuuenes noſtros erudire plurimùm cõamur.

Sequamur iam præſcriptam cõparationis ac ſimilitudinis uiam, & à radice ipſa ad ſummas uſque, & etiã minimas partes uitem diuidamus.

Radix in uite, id eſt quod in aliis ſtirpibus. Vnde cõfirmare radices dicitur malleolus uel mergus ſubactus, cùm aliò tranſmiſſus, uires reſumit: uulgus noſtrum appellat reprendre racine. Tempus, inquit Columella, non aliud magis idoneum eſt hunc mergum amputandi, quàm ab Idibus Octobris in Idus Nouembris, ut hybernis menſibus ſuas radices cõfirmet. Radicis autem differentias, & uarias exprimendi formas in noſtro ſeminario tam abundè docuiſſe uiſi ſumus, ut iam hoc locõ nihil ſuperſit planè quod de hac re dicamus. Itaque lectores in eum locum recurrite.

Truncus, la ſouche, id eſt in uite quod ab radice ſurſum aſcendit, & craſſum ac rugoſum & flexuoſum apparet. Stirpem indifferenter appellauerit qui uolet. Caput autem trunci uocat Columella, ſummũ quod in trũco apparet: Sed ut (inquit) caput trunci pedali ferè ſpatio ſit inferius iugo. Quod autem ex duro truncõ enaſcitur, id antiqui agricolæ pampinarium appellarunt.

Materia, ipſius trunci partem cum ſuis brachiis & ſarmentis ac cõlibus cõprehendit, le bois ou le marraim. Vnde Columella: Vbi uino cõſulimus, uitis eligatur, quæ uino ualet, & in materia. Aliàs autem, materiæ

appellatione, significatur omne lignum accommodatum ad ædificandum, le marraim. Vnde Paulus iureconsul. Perticæ (inquit) & pali in numero materiæ redigendi sunt, & ideo lignorum appellatione non continebuntur. Hinc materiarius, uocabulo Plautino, dictus faber lignarius. Et fabrica materiaria, Plinio nuncupatur lignaria siue tignaria, ab ædificiorum tignis, quam fabricam Dædalus inuenisse creditur. Quinetiam Vitruuio peculiaria uerba sunt materiari, pro ædificare: & materiones, pro iis qui ædificia construunt & ligna coaptant. apud Marcum Tullium quoque ædes malè materiatæ: hoc est, tignis & trabibus malè fultæ, maléque admuniculatæ, & ob id uitium facientes.

Sarmentum, le sarment, prælongas uitium uirgulas comprehendit, in quas uitis luxurians spargitur: hoc est, uitis ipsius brachiorum & caulium lignum, tam dum est in ipsa uite, quàm dum exectum & exemptum est. Varro lib. 1. cap. 3, In uitiario primitus cùm exit uitis, tota resecari solet, ut firmiore sarmento è terra exeant, atque in pariendis colibus uires habeant maiores. Virgil.

-primus deuecta cremato Sarmenta.

Itaque (inquit Columella lib. 5. cap. 5.) post uindemiam uelut inutilia sarmenta decidunt, & à stirpe summouent. Idem lib. 4. cap. 24, Sarmenta lata, uetera, malè nata, contorta, deorsum spectantia, recidito. Vnde emucidũ sarmentum Varroni, infirmum & imbecillum dictum, quódque propter infirmitatem sterilescit. Et nouellũ, item etiam uetus sarmentum Columellæ, pro eo, quod unius uel plurium annorum est.

Sarmentum autem duarum uel trium gemmarum, quod è uite præfracta deponitur, cùm in pollicem tondetur,

detur, ut anno sequẽti renouetur, appellatur à Columella lib. 4. cap. 21, custos uel resex, aut palmes præsidiarius: à Catone autem cap. 33, uinarij custodes dicuntur, qui (dum resecatur uinea) ad unum producendum relinquuntur.

Palmites dicuntur qui è sarmentis, uel, ut rectius dicam, è stirpibus ac suculis ueluti palmæ quædam è brachiis quotannis prodeunt: uulgus nostrum uocat les iettons. Quidam (inquit Columella) sic imperant utibus, & eas ita multis palmitibus onerant, ut posteritati non consulant.

Palmitum autem multa genera facit Plinius libro 17. cap. 22: Eũ enim qui è duro exit ac prouenit, materiámque in proximum annum promittit, pampinarium palmitem uocat. Columella autem uirgam pampinariam, quòd pampinos tantùm promittat, & lætam frondem sine fructu ostendat. plerunque enim primo anno frondem sine fructu affert: ubi uerò supra cicatricem est, tunc fructuarius uel etiam fructuosus Columellæ libro quinto cap. 5, palmes dicitur, quòd fructum pollicèatur, sempérque sub iugo relinquitur: atque ex anniculo palmite factus, fructum protinus creat. Palmites autem anniculi, iettons d'une annee, dicuntur unius anni: quemadmodum & ueteres palmites qui multorum annorũ sunt: quos palmites emeritos, pluribúsque induratos annis uocat Columella. Ita quoque & nouelli palmites, ieunes reiettons, qui & custodes dicuntur, non longiores tribus gemmis, proximo anno materiam daturi, si uitis luxuria se consumpserit. Palmes præterea fœaneus dicitur, quasi in faucibus ipsius uitis enatus. Nam (ut inquit Columella) solet in bifurco medius prorepere. Illud autem

bifurcum, ueluti fauces in uite repræsentat, unde profundere palmites dicitur uinea, cùm ex surculis ramos emittit, monter en bois, ietter bois. Columella lib. 5. cap. 5, Sequente deinde anno, cùm palmites profudit uinea, unus summittitur.

Brachia autem ut palmites & palmulas habere etiã uitis dicitur, quibus sursum attollitur. Cato cap. 49, Vineam ueterem si in alium locum transferre uoles, duntaxat brachium crassum licebit. Duramenta, siue etiam duramina uocat Columella: Quaternísque (inquit) brachiis, quæ duramenta quidam uocant, diuidatur in totidem partes. Paulò pòst: Considerandum est, cuius longitudinis sint duramina.

Coles præterea uitis appellat Varro, eos qui inter geniculos sarmentorum apparent. Caulis (inquit Plinius) à capite ad duas gemmas reciditur.

Surculi autem in stirpibus ac uineis dicti, ueluti germina quædam ex ipso trunco uel caudiæ producta: unde surculos utigineos Cato appellauit, qui ex una uite demuntur, ut in aliam conserantur uel inserantur. Terebra (inquit) uitem quam inseres pertundito. eò duos surculos utigineos (quod genus esse uoles) insertos, obliquos arcto ad medullam. Propagines uocat Plinius libro 17. capite uicesimotertio. Cæterum surculi in uite qui nihil adferunt, & nullo fructui ferendo proprij sunt aut habiles, ab agricolis antiquus spadones appellabantur eleganti metaphora.

A surculo autem fit surcularis: ut surcularis terra Columellæ dicatur, quæ multis stirpibus sua sponte prouenientibus abundat.

Sarpiculus in uite iugata (de qua in sequentibus age-

mus) Varroni appellatur, id quod hac atque illac per iuga serpit, atque ipsis iugis fulcatur, lib. 2. de re rustica cap. 2, Cùm hæc inter bina loca, ut iugum continet sarpiculos, sic colles publicè distantes pastiones.

Sagittam rustici uocant (inquit Columella) nouissimam partem surculi: siue quia longius recessit à matre, & quasi emicuit atque prosiluit: seu quia cacumine attenuata, prædicti teli speciem gerit. Est igitur sagitta, sarmenti uel malleoli aut seminis summa ac superior pars.

Flagella uitium appellat Varro, minorem uitem, hoc est, ramos uitium oblongiores & productiores, aliis tamen minores, ab ipsis brachiis sursum ascendentes: dicta flabella prius, à uenti flatu. Quidam (inquit Columella) totum flagellum, sicut erat matri detractum, crediderunt sationi conuenire. Matrem appellat, truncum ipsum in quo est medulla & humor præcipuus, à quo surculi, flagella, & qui nepotes uocantur, prodeunt. Flagella autem fructuaria dixit idem author lib. 5. cap. 5. pro iis flagellis in quibus oculi fructuarij apparent.

Palma autem dicitur maioris uitis flagellum, unde nascuntur uuæ. Columella libro 4. cap. 21, Sed nouellis (inquit) palmis semper uitis renouetur: quæ si satis excreuerint, iugo superponantur: sin aliqua earum uel perfracta, uel parum procera fuerit, locúmque idoneum obtinebit, unde uitis anno sequenti renouari debeat, in polliçem tondetur, quem quidam custodem, alij resecem, alij præsidiarium appellant: id est, sarmentum gemmarum duarum uel trium, ex quo cùm procesſere fructiferæ materiæ, quicquid est supra uetusti brachij, amputatur, & ita ex nouello palmite uitis pullulascit. Pollex itaque quid sit ex superiori descriptione uides,

dictus quidem, quòd præ cæteris sarmentis aut brachiis uiribus polleat.

Caput uitium, aut seminum, uel sarmentorum capitulum, extremam eorũ partem uocat Columella, quemadmodum crura, uicinas radicibus partes: Materiæ (inquit) uehementissimæ reperiuntur in capite uitis, aut in crure uicino radicibus.

Cerux autem apud eundem authorem, uel pro ipso uitis capite, uel pro parte capiti proxima, quæ in uite est, sumitur, quæque ipsi uiti robur præstat: Vitem (inquit libro quarto cap. 7,) cùm ad unum pampinum iam redegeris, & ipse excæsserit pedalem longitudinem, decacuminare conueniet, ut in cerucem potius confirmetur, & sit robustior.

Capreoli, coliculi sunt inprti ueluti cincinni quidam in ipsis pampinis tenerioribus apparentes, quibus uitis ueluti manibus quibusdam (inquit Cicero) adminicula cõplectitur ac comprehendit. Ii enim (inquit Varro) ut uitem teneant, serpunt ad locum capiendum: unde à capiendo capreoli dicti. Iidem etiam clauiculi appellantur. Cicero de Senectute: Vitis quidem quæ natura caduca est, & nisi fulta sit, fertur ad terram: eadem ut se erigat, clauiculis suis, quasi manibus, quicquid est nacta complectitur. Clauiculos protulit Plinius in proœmio libri 13: Clauiculæ (inquit) ipsæ quibus repunt uites teritæ, & ex aqua potæ, sistunt uomitionum consuetudinem. Græci capreolos uitium, helicas uocant: aliarum autem herbarum, ut hederæ, cirrhos: qui quidem certè imbecilliores sunt, & minus ualentes, sed interdum etiã uolubiliores.

Crines uitium appellat Plinius lib. 17. cap. 23, Verna-

cula (inquit) putatio, deiectis per ramos uitium crinibus circumuestit arborem, crinésque ipsos uuis. Idem etiam uiticulas appellat libro uicesimoseptimo, cùm de uite syluestri loquitur.

Gemma in uite idem est quod & oculus, le boutton, l'oeilleton: quia ueluti oœllus quidam conspicuus, aut gemma quædam excellens, conspici possit, cùm primùm è uite prodit aut sarmento. Pulchrè autem quid sit explicat nobis Cicero in Dialogo de amicitia: Itaque (inquit) ineunte uere, in his quæ relicta sunt, existit tanquam ad articulos sarmentorum ea quæ gemma dicitur, à qua oriens uua sese ostendit. Ab ipsa enim gemma & oculo, primùm flos, deinde fructus prodit, tam in ipsis uitibus, quàm etiam in arboribus. Vnde Apuleius gemmulas ueris floridas non impropriè appellauit. Quia autem nonnulli oculi cùm florem promittant, fructum tamen non adsequuntur, ideo Columella eos fructuarios oculos appellat, qui iam fructum aliquatenus ostendunt. bouttons grappez, ou bien les tesmoins. Hinc etiam trigemmes malleolos uocat idem author, non quidem ab eo, quòd omnino trium oculorum sint, (cùm ferè circa plagam, qua à matre abscissi sunt, pleni sint gemmarum) sed quòd his exceptis, quibus frequentes sunt, in ipso capite, tres deinceps articulos, totidem gemmas habeant. Inde etiam gemmare uel gemmascere uites aut palmites propriè dici possunt, cùm uere ineuntes gemmas siue oculos ostendunt: uulgus nostrum uocat bouttonner. Nam si uere (inquit Columella) mergum amputauerimus, quo gemmare palmites incipiunt, matris alimentis subitò destitutus, languescit.

Cæterum in malleolo uel palmite aut ſarmento uitis qui nodi ſiue internodia apparent, à Cicerone & probatis authoribus articuli uocantur, quemadmodum ſuperiora exempla oſtenderunt. In aliis autem herbis aut leguminibus ſiue etiam ſubfruticibus, geniculi ſiue geniculæ. Plinius libro decimooctauo, Geniculæ tritico ſunt quaternæ, farri ſenæ, hordeo octonæ. Græcis τὰ γόνατα dicuntur. Vnde herba polygonaton appellata, quam Latini geniculatam, à geniculorum multitudine uertérunt.

Pampini uitium, dicuntur uirgæ, ſeu rami folioſi, à brachiis uel palmitibus atque adeò ipſis caulibus prodeuntes, & (ut inquit Plinius) à lateribus exeuntes: qui quidem dum grandiores ſunt, & foliis onuſti, uuas ab iniuriis externus defendũt ac tegunt, les bourgeons. unde Virgilius,

Heu malè tunc mites defendet pampinus uuas.

quanquam tamen racemarios & ſteriles pampinos quodã in loco uocat Columella. Erit igitur id in uitibus pãpinus, quod in arboribus ſtolo: atque è tenero ſemper naſcitur, in quo à palmite differt. Pampinarium alioqui dicitur, ſiquidem è duro trunco enatus ſit, inquit Columella. Vnde pampinare uerbũ, eſt bourgeonner, & pãpinator: de quibus in ſequẽtibus abundé. Pampinum reſecem uocat Columella, qui reſectus reciſúſq; melius prouenit, fitque reſecando fructuoſior. Nam cõfiteor (inquit) pampinarios quoque, cùm è duro prorepſerint, tempore anni ſequentis acquirere fœcunditatem, & ideo in reſecem ſubmitti, ut generare poſſit.

Malleolus (inquit Columella) nouellus eſt palmes innatus prioris anni flagello: cognominatúſque à ſimilitu-

dine rei, quòd in ea parte, quæ deciditur ex uetere ſarmento, prominens utrinque, malleoli ſpeciem præbet. deciditur autem, ut aliò transferatur ad uitem populãdam & frequentandam. Vulgus noſtrum marquotas ſotellásque uocat, des marcottes: alij uulgatius, des roſſettes. Quibus ad nouelleta inſtituẽda plurimùm utimur. Malleolos autem humi depactos poſtea non transferimus, ut Itali ſolebant: quem tamen morem noſtrum attigiſſe uidetur Columella lib. 4.

Palmipedalis autem malleolus Columellæ dicitur, qui habet longitudinem pedis unius & palmi. Palmum autem cõſtare digitis quaternis docet Vitruuius. Pes uerò, palmis quatuor cõſtat. Sunt igitur in totum digiti ſexdecim.

Præſidiarij quoque malleoli eidem authori dicti, qui quaſi ipſius uitis præſidio, & ad uitis tutelã relinquuntur, qui etiam cuſtodes & ſubſidiarij, atque adeò fructuarij dicti ſunt, marquottes franches. Ita quoque & trigemmes ac bigemmes palmites, atque etiam ſteriles dicti, quòd execti, duas uel tres gemmas oſtenderent, uel poſiti ſterile ſærent, neque fructum adferrent.

Furunculus, palmes eſt iuxta alium palmitem (qui cuſtos dicitur) enatus, vn reietton. Ita dictus (ut inquit Columella) quòd ab alio palmite ſuccum furetur: uel potius, quòd tuberculi cuiuſdam ita appellati, magnitudinem referat: ut ſit furunculus in uitibus, extuberantia quædã in modum uerrucæ, quæ fit dum germen ex cicatrice procedit. Columella: Sed ſi reſecis facultas non erit, circunſpiciendus eſt furunculus, qui quanuis anguſtiſſimè præciſus, in modũ uerrucæ, proximo uere materiam exigat.

Mergus in uite, dicitur palmes, qui supra terram incuruatur iuxta suum adminiculum, uulgus nostrum uocat (ni fallor) vn courson, alij autem vn brin, à mergendo scilicet nominatus. Vnde Palladius, Mergum (inquit) dicimus, quoties uelut arcus supra terram relinquitur, alia parte uitis infossa. Nonnullos (inquit Columella) in uineis characatis (hoc est pedatis) animaduerti, & maximè heluenaci generis, prolixos palmites quasi propagines solo adobruere, deinde rursus ad arundines erigere, & in fructum summittere, quos nostri agricolæ mergos, Galli candosoccos uocant, &c. Nescio an hæc nostra diuinatio omnibus placebit, si dicamus Gallicam uocem, qua hodie etiam utimur, mergum referre, diminutione addita, ut mergottas (quas corruptè marcottas quidam uocant) pro mergulis uel mergis dicamus. Itaque iudicabit apud se qui uolet, & quod sibi uidebitur, facilè sentiet: nam hic tantùm de dictionis allusione sermo est.

Nepotes, uocantur palmites, qui postea nascuntur, translatione sumpta ab hominibus eorúmque sobole. Columella, Iam uerò ipsos palmites, quos uindemiæ præparamus, clauiculis ac nepotibus liberandos magnopere cenſeo.

Dracones in uitibus dicuntur à Plinio, palmites emeriti, pluribúsque annis indurati: Nuper (inquit) repertum, draconem serere iuxta arborem. Ita palmitem appellamus emeritum, pluribúsque induratum annis. Vnde etiam rasilem draconem uocat, cùm præcisus, quàm maxima amplitudine, tribus partibus longitudinis deraso cortice, quatenus obruatur, sulco deprimitur.

Iunculus, idem est in uite, quod etiam draco. Nempe

(inquit Plinius) cùm uetus palmes in lõgum, & ad quartum usque pedamentum emittitur, quos alij dracones, alij iuniculos uocant, ut faciant quæ masculeta appellant.

Traduces in uitibus, dicuntur palmites uel malleoli, qui aliunde tracti ac propagati sunt: uel (inquit Varro) ubi ex arboribus in arbores traductis uitibus, uinea fit, quos traduces, quidam rumpos appellant. Inde traducem bimam uocat Plinius, qui duorum annorum est.

Viuiradices dicuntur surculi cum radicibus exempti, ad differentiam malleolorum & talearum. Est enim uiuiradix, planta quæ cum radice seritur, quasi uiuam radicem habens. Sunt autem (inquit Columella) sationis duo genera, malleoli & uiuiradicis. Des plantes ou plantalz.

Suffragines, dicuntur uitis soboles, quæ suffringuntur & exputantur, uel ad geniculum confringantur, ut aliò transferri possint. Columella: Si soboles (quam rustici suffraginem uocant) radicitus adhæret, diligenter explantanda. Vne taille.

Propago, dicitur uitis uetula depressa atque in terram per inflexos arcus submersa, ut ex una plures emergant, uulgus nostrum uocat sep de prouing. Nam cùm fuerit anniculà, supra terram iuxta suum adminiculum curuatur: atque ex alto scrobe submersa, producitur ad uacantem palũ, tum ex arcu uehementer citat materiam. Plinius, Vis uitium omnis euocatur in palmites, aut deprimitur in propagines. Vnde propagare uerbum, uitem uetulam supprimere ac prosternere in terrã ut multam sobolem faciat. Prouigner. de quo postea fusius.

Virgæ præterea, quas uitis ex radicibus aut caudicis lateribus ciet, quasi nepotum partu grauida, ab an-

tiquis ſoboles appellatæ ſunt.

Viticulæ uerò, à rei herbariæ prudentibus appellantur, non quidem palmites aut ſarmenta: ſed à ſimilitudine, ipſa quidem flagella, quæ uitis modo reptantia longè latéque uagantur, ac uicinos frutices nacta, ſic eos intricant, ut iis perinde ac pedamnibus abutantur: uel ſcandentia, ſuis irretiunt claviculis, quibus quaſi digitis hærent, quales in cucumeribus, cucurbitis, & pleriſque aliis inueniuntur.

Denique illud addendum, toros, in uitiũ ſobole, aut craſſioribus brachiis appellari, calloſam illam & prominentem ueluti pulpam, quæ (quemadmodum hominibus muſculi) ita etiam uitibus uires præbent ac robur. Columella de arboribus: Arbuſtiuam (inquit) uitem, tam putare, quàm alligare diligenter oportet: nam & in ea fructus maximè uitis conſiſtit, diutiúſque perennat, quæ firmis toris & idoneis loris religata eſt. Itaque omnibus annis conuenit ſubſequi putationem, ita ut tori renouentur, & uitis per idoneos ramos diſponatur.

De taleis autem uinearum & taleolis, item etiam aliis quæ ad inſitionem pertinent, hîc tacebimus, cùm in ſeminario ſatis ſupérque de his ſit tractatum. Ad quod nõ grauabit lectorem recurrere, ſiquando his opus habuerit. Nunc ad uitium differentias. Quas ut facilius deſcribamus, ab iis quæ latius patent, & generaliores quodammodo ſunt, incipiendum: deinde uerò ad communiora uinearum uocabula, ab earum poſitione uel forma, aut culturæ ratione petita recurremus.

VITIVM DIFFERENTIÆ QVÆ LATIVS PATENT.

Vitium appellatione multæ stirpes aut plantæ cõprehẽduntur: quas interdum alio adiecto efferimus, interdũ etiam nomine immutato significamus, quemadmodũ mox explicabimus. Sed primùm à uuticæ incipiemus, quando cum uite nonnihil habet affinitatis.

Vitex à uinciendo dictus, frutex quidem est (inquit Plinius) non multùm à saliæ, uitilium usu distans: foliorum quoque aspectu, nisi odore gratior esset. Vitilia autem uocat quæcunque ita lenta & flexilia sunt, ut iis ad uimina tum uitium, tum aliarum rerum uti possimus. Itaque uitex nihil ad uitem, nihilque cum uite similitudinis habet (ne quis putet) tantùm à uiendo uel uinciendo nomen accepit. Græci eum frutiçem agnon, hoc est, castum, quòd eius semen potum: aut ipsa folia substrata, castitatem conseruent, inquit Galenus. Vulgus seplasiariorum utranque uocem simul iunxerunt, & agnum castum corruptè appellarunt. De hoc alibi plura.

Syluestris uitis, satiuæ congener: latinis, labrusca: Græcis, ampelos agria dicitur. Vigne sauluaige. quòd ea quidem in sepibus, syluis, & marginibus terræ, seu labris quibusdam nascatur. Cuius (inquit Dioscorides libro 5) folia, caules & clauiculæ, uim habent cultæ uiti similem. Tantùm igitur cultura ab alia differt. Virgilius labruscam syluestrem appellauit in Bucolicis:

Syluestris raris sparsit labrusca racemis. propriè quidem. nam raros racemos propter incultam & agrestem nascendi consuetudinẽ habet. Præterea longissimè differt ab alia uitæ agresti, de qua inferius agemus. Quapropter non uitẽ agrestẽ, sed labruscam agrestem appellare

maluit. Cæterum labrusca hæc, duorum generum est. Altera enim florem tantum fert, quem nunquam ad fructus maturitatem perducat (inquit Dioscorides) flósque hic, à Græcis œnanthe dicitur. Altera perficit quidē, sed paruis admodum acinis, & raris, ut inquit Virgilius.

Syluestrem aliam describit Dioscorides lib. 4. inter herbas non frutices connumerādam, sed uitis nomen mutuatam à forma: sarmenta habentem uitis modo prælonga, aspera, lignosa, rimoso cortice, foliis hortensis solani, lō gioribus tamen ac latioribus, flore muscoso & capillaceo, fructu exiguis uuis simuli, post maturitatem rubente: cui Taminiæ uuæ nomen ab antiquis impositum est propriè: non enim taminia uua staphidem agriam significat, ut posteà docebimus. Huic igitur descriptioni certè haud longè abest, salicastri imago, ita quidem dicti, quòd in salictis nascatur. Caueto autem ne pro salicastro siliquastrum proferas. est enim siliquastrum, hortensis herbæ genus, quæ uulgò costum appellatur, item etiam piperitis. Du coq. Cæterum salicastrum eosdem ferè usus præstat quos uitis syluestris. Ea certè Ruellio uidetur esse quam rura nostra modò uiornam, De la viorne: modò hardeam, De la hart, uocant, quòd ramorum fasces ea perinde quasi uinculo ligantes distringant. hæc nanque uiticulis prælongis asperísque cernitur & lignosis: præterea cætera omnia habere cōspicitur, quæ superius Dioscorides expressit. Sed certè in montibus & petrosis apud nos uiorna potissimùm nascitur, fruticátque.

Quod autem Virgilius Viburnum appellauit lentum, inter cupressos nascens, quanquam id quidem detrita una litera uulgari nostræ dictioni alludere uideatur: tamen potius uulgari illi frutici conuenire iudicaue-

rim,quem matianam uulgus uocat, Du massault,quàm uiornæ uulgari. Ruellius tamen ait quosdam etiam rusticos eum fruticem uiornam appellare.quo nomine superior quoque frutex dictus est,& sæpissimè à nobis ita auditus. Matianæ autẽ descriptio hæc est:Frutex est in montibus,locis petrosis ac rubetis nascens:ramulis crassitudine digitali, bicubitalibus: foliis ulmeis, pilosioribus, quæ paribus internodiis aduersis pediculis coniugatim adhærent,per ambitum minutissimè serratis. Flos illi est albus,racematim enascens, eóque maræscente acini ostenduntur in uuam congesti,grano lentis magnitudine,latiusculo,& ueluti leniter utrinque compresso,cùm ematuruit rubro,quo usum optimè conficitur,& pelles condepsantur.Radix est per summa cæspitum uagante.Eius autem fruticis lignum, atque adeò rami tam flexiles sunt & lenti,ut quocunque uelis facilè flectas,sine offensione. unde pueri prima literarum elementa condiscentes, eius fruticis ramulis decerptis & concinnatis utuntur ad literarum tactum, ne scilicet aliò mens uagetur, aut aliam pro alia sumant.Iudicabit igitur apud se diligens lector, an id quidem uiburno conuenire possit, etsi quidem aliud inuenerit rectius,eo mea sententia utatur.

Staphis agria,siue (ut Athenienses dicere consueuerunt) astaphis agria,inter uitium syluestriũ species connumeranda uenit: nam & labruscam imitatur, & ipsum nomen, passam syluestrem sonat,uel uuam passam syluestrem:non tantùm quidem,quòd eas uuas quæ passæ & passulæ uulgò dicuntur,ferat (Galenus enim duplex staphidis agriæ genus facit,satiuum quod uuas passas fert, & syluestre) sed etiam quòd ipsa folliculorum staphidis agriæ figura, hoc est granorum uel thecarum

in quibus recõduntur acini, rugosam uuam magis quàm integra uuarum grana præ se ferant. folia autem habet labruscæ (inquit Dioscorides) diuisa, cauliculos rectos, molles, nigrósque: florem fert glasti (quæ uulgò guesda dicitur) & folliculos uirides, simules aëri, & in his nucleum triangulum, ex nigro subfulueſcentem, intus album, gustu acrem. Eam uocarũt latini pituitariam, quòd commanducata grana, feruore suo pituitam ex cerebro eliciant. Item pediculariam, quòd erumpentibus è corpore pediculis, ex oleo muncta aduersetur. Taminiam autem uuam falso Cornelius Celsus & nonnulli appellauerunt, cùm taminia uua (ut iam diximus) propriè sit ampelos agria, cuius fructus atque adeò acini rubescunt, & in apricis nascitur: huius autem fructus cum uindemia matureſcit, nigreſcítque, & in opacis plerunque nasci solet. Cæterum staphis siue astaphis, Græcis uuam passam sonat: staphyle autem, uuam tantùm: hoc est, uitium uiniferarum: à Staphylo Liberi patris filio, ne quis fortassis putet staphylen agrian legi debere.

Vitis alba, Græcis ampelos leuce dicta, quam alij bryoniam, alij (inquit Dioscorides) ophiostaphylon, quasi uuam serpentariam, uel colubrinam appellant, foliis sarmentísque uitem satiuam imitatur: sed hirsutiora sunt omnia. nostrum uulgus colubrinam appellat, quòd colubri modo per dumos serpat. De la couleuree. notissima est uel ex hortuli nostri lectione.

Vitis nigra, Græcis ampelos melæna, Plinio bryonia nigra dicta, folia & caulem habet, similitudinem hederæ referentia: quanquam smilacem magis imitentur, aut potius solanum, maiora sunt tamen. Quinetiam arbores ipsa planta suis clauiculis scandit, inuenitúrque apud

nos passim in humidis & palustribus locis: appellatúrque uulgò (ni fallor, nam res ipsa maximè dubia est) Dunerprun. sunt autem illi per intervalla cum foliis dispositi racemi, qui non ultra octo decémue annos ostendunt: inter principia quidem uirentes, post maturitatem nigrescentes. In frutetis & sepibus atque arundinetis maximè nascitur, propinquas stirpes conscendens & alligans. Radicem habet foris nigram, intus buxeo colore. rarior inuentu apud quosdam, quàm alba, ideóque cognitu difficilior. Hanc etiam Tamnum siue tamum quidam uocari putãt, inquit Barbarus, uulgò autem Tamarum. Columella:

Lubrica iam lapathos, iam tami sponte uirescunt.

Chironiam uitem quidam appellauere, aut quòd Chiron medicinæ & herbarum in Thessalia peritissimus, ulceribus iumentorũ & hominum ex ea primus remedium inuenerit: aut quòd chironiis ulceribus (quæ serpentia dicuntur) ea uetères mederentur.

Cæterum, ut alias uitium differentias breuiter percurramus: Capnia, genus unum uitis esse dicitur à quibusdam, quæ uuam nigram ex candida, & candidam ex nigra sine prodigio ferat.

Genus alterum uitis Theophrastus posuit, quod fructum inchoans ad florem usque tantùm perducit. Insanas huiusmodi uites appellasse uidetur Plinius quodam in loco. Item etiam triferas: quoniam in iis alia maturescunt, alia turgescunt, alia florent.

Vitis aliam speciem in parte Idæ, quæ Phalacras dicitur, nasci tradit Theophrastus, quæ eam formam habet quã mox describemus. Fruticosa quidẽ hæc est, parvulis virgis, ramulis ferè cubitalibus exporrecta, quibus

acini laterales, nigri, tuberculo fabæ pensiles hærent, sapore dulces, ligno intus modo uinacei condito, folio circinatæ rotunditatis, indiuiduo, paruóque.

Nascí præterea in Aphrica uitem aliam Græci produnt, quam accolæ Vbolimam uocant: fítque oliua inuites insita, ut utriusque fructum ferat. Vnde Græci huiuscemodi uitem elæostaphylon, quasi uuam oleosam, ab utroque parente nomen mutuantes, appellarunt.

Denique uerò ad uitem nostram redeundum, quæ satiua, & culta, & urbana dici debet, Græcis ἄμπελος ἥμερος. Et œnoe, & œnophoros, hoc est uinifera, ad labruscæ differentiam, appellatur. Sunt qui etiam Clematida & Clemacem, interim & œnanthan appellant authore Iulio Polluce. Eam autem Thebis à Libero patre primùm inuentam Bœotii tradunt. Cuius differentias particulares & communia genera tum à patriis, tum etiam à culturæ & statuminum ratione petita, iam æquum est ut expliœmus.

VINEARVM ET VITIVM PARticulares & communes differentiæ.

Nolim quisquam putet, me id oneris ac prouinciæ suscipere, ut hoc loco omnium uinearum species ac uaria genera describam, quando totidem affirmantur esse, quot soli. Regiones enim uniuersæ (inquit Columella) regionúmque penè singulæ partes, habent propria uitium genera, quæ cõsuetudine sua nominant. Quædam etiam stirpes cum locis uocabula mutauerunt: quædam propter mutationes locorum, à qualitate sua discesserunt. Quapropter quid tam difficile ac laboriosum esset, quàm omnes

omnes differẽtias enumerare uelle, quæ à diuersis locis, in quibus nascuntur, nomina sumpserunt? Sunt enim apud Virgilium Thasiæ, Mareoticæ, Psythiæ, & innumeræ aliæ. Sunt & apud Plinium ac Columellam infinitæ, quas qui numerare & explicare contenderit, iustum huic labori uolumen destinet oportet. Nos uerò, quanquã id non recusamus, ut scilicet nonnulla uitium genera ac differentias explicemus: tamen id præmonuisse æquum duximus, hoc loco tantùm ea explicaturos, quæ magis utilia & necessaria, puerisque nostris commodiora iudicauimus: tum ad bonorum authorum faciliorem cognitionem, tum ad antiqui moris rationem, cum nostra consuetudine cõferendã. Incipiemus igitur ab arbustiua uite.

Arbustiuæ uites aut uineæ, dicuntur quæ arbores scandunt, aut ipsis applicantur: quales ferè omnes sunt apud Italos: Græcis ἀναδενδρώδεις, siue dendritides appellantur, Vignes rampantes sur les arbres. Colum. lib. de arboribus ca. 16, Arbustiuam uitem tam putare quàm alligare diligẽter oportet. unde & arbustare uites dicẽbãt agricolæ antiqui, cùm eas arboribus applicãbãt & apponebant ut sursum ascenderent. hinc etiam arbustiuum uinum Columellæ dictum, quod in arbusto gignitur. Arbustum autem ueteres rei rusticæ scriptores appellabãt, peculiari quodam uocabulo, ipsas arbores uitibus nuptas: uel eam terræ partem in qua plures essent arbores uitibus applicatæ. quod apud nos hodie non fit. Arbustum (inquit Columella) inter quadragenos pedes dispositum esse conuenit: sic enim & ipsæ arbores & appositæ uites melius conualescent, fructúmque meliorem dabunt. Plinianum autem uocabulũ est, arbustare agros, hoc est, arbustum in agris facere, & uites arbustiuas in agris

ſerere. Vites enim (inquit ille) maximè arboribus gaudent, quia naturaliter in ſublime procedunt. Cæterum ulmis ſolebant cõplurimùm appliçari uites apud antiquos: unde maritatas uitibus ulmos dixit Virgilius. Item etiam populis. Vnde nuptas uites populis dixit Plinius. In Campano (inquit) agro, uites populus nubunt. Idem, nuptas populos uitibus alio loco dixit. Populum autem, uulgus noſtrum uocat, Vn peuplier. Opulis quoque iungebantur, & nubebant uites apud antiquos eleganter. Vnde arbuſtiuæ uiti quamoptimè, opulum maritari dixit Varro. Vitem præterea opulus alit (inquit Columella) uerùm quoniam frondem non habet idoneam, à pleriſque repudiatur. Eſt autem opulus, arbor, ulmi procritate adoleſcens, cæudiçe recto, enodi, rarioribus ramis brachiato, frondibus ferè utigineis, baccis racematim dependentibus, prima pubertate uiridibus, à maturitate puniçeis. rura noſtra obierum uel opierum appellarunt.

Vlmus autem, quam Atiniam uocant ruſtici: quæ generoſiſſima eſt & lætiſſima, multámque frondem miniſtrat, ea certè omnium cõmodiſſima uiſa eſt ad uitem recipiẽdam. Itaque ad id ita formabatur antiquis: nempe alternis brachiis in modum ſcalarum relictis: deinde uerò, cùm firma uidebatur, ab ipſo crure, pedali intermiſſo ſpatio, maritabatur uiti. Virgilius,

Illa tibi lætis intexet uitibus ulmos.

Huiuſmodi ulmi genus, Gallicum uocat Columella, raróque ſamaram (qui fructus ulmorũ eſt) ferre Theophraſtus aſſerit, ut etiam nonnullis ſterilis uideatur.

Oleis etiam uites interdum admouentur atque inſeruntur nonnunquam, ut ſuperius docuimus, unde elæoſtaphylos una.

Fraxinis insuper uites probè maritabantur apud antiquos, præsertim syluestribus, quas ornos Columella appellat, uulgus nostrum Fresnes champestres ou saluuaiges: sunt que paulò latioribus foliis quàm cæteræ fraxini, neque deteriorem frondem quàm ulmi præstant. Eã autem in anniculum scrobem circa Calendas Martias deponebant antiqui: neque uerò ante trigesimum sextum mensem falcæ attingebatur, ut seruarentur brachia: dein alternis putabatur, sexto anno quàm optimè maritabatur.

Alius præterea arboribus iungi desyderant uites, quas tu ex agriculturæ scriptoribus diligenter pernoscere poteris. Sunt enim nonnullæ arbores, quas odit uinea, & quibus applicata, nullum propemodum fructum aut inutilem & degenerem adfert. Sed hæc omnia referre uereor, ne præter institutum nostrum esse uideatur. Tantùm id unum addam ex Columella, (ut nostri iuuenculi antiquæ cõsuetudinis memores, arbustiuæ uitis positionem discant) quo pacto per arbores uitis ab antiquis disponi solebat. Primùm igitur (inquit Cato) uitis propagabatur in sulcos, deinde uerò arborum ramu diuaricabantur, hoc est, cõllucabantur & incidebantur: neque nimium crebri relinquebantur, ut sole uites gauderent. Ipsæ uerò uites arboribus bene nodabantur per omnes ramos, neque præcipitabãtur, aut nimium perstringebantur. Satis autem multæ arboribus asserebantur uites, ut quando opus esset, de arbore deiicerentur, & in terram deprimerentur. Ac de arbustiua uite satis.

Surrectæ uites dictæ, quæ, more arborum, in se cõsistunt (inquit Columella) neque pedamentis ullis, aut iugis, aut arboribus opus habent, ut fulciantur. Hu-

iusmodi uites in agro Andegauensi, & apud Vascones plurimas uidere possis. Exeunt enim è trunco duro, crasso, & à terra cubitum prominenti, caules permulti sursum erecti, frutticantes, atque interdum in seimuicem complexi, neque in terram prolabentes. Atque hæ quidem nunquam (nisi admodum uetulæ) palis fulciuntur, aut in terram demittuntur aut propagantur. Eas enim cùm serunt aut ponunt, unius tantùm pedis interuallum inter malleolos aut uiuiradices relinquunt: quo pacto hodie salices amerinas & uiminales conseri uidemus. Ita fit ut statim ab ipsa positione frequententur, neque alia propagatione amplius egeant. Quin nec etiam pedamentorum aut fossarum ac stercoris multam & numerosam impensam per multos annos desiderant, ut hodie apud nos. Qui mos utinam ab impostoribus & negligentibus agricolis nunquam aduectus fuisset: aut ciues uinearum impensas & reditus ac curam omnem hactenus reliquissent. Hoc enim pacto fit, ut deteriora omnia sint, quæ prius diligentiori cura excolebantur.

His uerò uitibus oppositæ, uites stratæ siue constratæ dicuntur ab antiquis agriculturæ scriptoribus: nempe eæ quæ ab enata stirpe, confestim ueluti proiectæ, per humum serpunt (inquit Columella libro 5. capite 4.) Non enim clauiculis suis quicquam apprehendere possunt, neque etiam ipsis pedamentis circumligatæ inhærere. Habent enim clauiculas præter modum crassas. Eas uites Andegaui currentes uulgò uocant, Vignes courantes. fructum autem non adferunt qui delicatus aut præstans iudicari possit, copiosum tamen uinum reddunt. Nisi quis malit (quod rectius crediderim) constra-

tas uineas appellari eas, quæ ubi à stirpe enatæ sunt, multis caulibus abscissis, & uno tantùm relicto fructuario palmite, in terram consternuntur, & ita serpere dimittuntur in longum: neque aliam præterea culturam desyderant, cuiusmodi passim apud Andegauos uidimus & Rupellanos. Huiusmodi autem uites iucundissimum fructum adferunt, & data opera ita excoluntur. Harum uerò culturam, & prosternendi formam docet Columella libro 5. cap. 5. eásque eodem loco prostratas uites, cubantes, & iacentes etiam appellat. Tu eum locum diligenter uideto.

Vitis siue uinea iugata, dicta à similitudine militaris iugi: quòd ita fiebat, ut duabus defixis in terram hastis, tertia superligaretur. Iugata uinea (inquit Columella) ita constituta est, ut etiam arari possit: eóque maiorem ubertatem consequitur, quòd sæpius & minore impensa excolatur: plus aëris recipit, & altius fructum fert, & æqualius concoquitur: sed difficilior est eius cultus. Itaque iugatæ uineæ, post arbustiuas, omnium sublimiores erãt, & quasi iugum in summitatem quandam faciebant. Súntque sine controuersia inter pedatas uites connumerandæ. Iugationis autẽ species (inquit Varro) duæ sunt. Vna directa, ut in agro Canusino, nempe quæ simplici iugo porrecta erat. quod quidem iugum simplex, cantherius appellabatur: unde cantheriatæ uites, quæ simplici iugo porrectæ erant. Melius autẽ est in eis uinum, quando seipsas non obumbrant (inquit Columella) assiduóque sole coquuntur, & afflatum magis sentiunt: pampinationi quoque sunt faciliores. Altera uerò iugationis species, compluuiata appellatur, à cauis ædiũ compluuiis. Eáque in longitudinem & latitudinem iugata erat, ut in Italia

pleræque. Compluuiata uitis (inquit Plinius libro 7.) uino cœpiosior est, dicta à cauis ædium compluuiis. Appellantur enim iugorum compluuia, quæ in utranque partem, dextram scilicet ac sinistram, item etiam anterius & posterius latius protensa sunt, ut (quemadmodum in ædificiis uidemus) aquam utrinque recipere possint. Atque ubi duæ materiæ per unam partem iugi mittuntur, media pertica interueniat, directæque palmæ per iugorum compluuia decurrant, & ueluti mersæ cacuminibus in terram despiciant. Huiusmodi autem iugi uel compluuii formam uidebis in paluſtribus nostris Parisinis ad diuorum Martini & Dionysii portas. Solent enim ita uites disponere agricolæ ad uuas omphacas recipiendas ac colligendas.

Vineæ autem non iugatæ, & ridicis fultæ, atque humilis, & quæ uinum (inquit Varro) acratophorum ministrat, duæ species. Altera (inquit idem author) in qua terra cubilia præbet uuis, ut in Asia multis in locis: Altera, cùm ea tantùm remouetur à terra uitis, & sursum erigitur, quæ ostenderit se afferre uuam. Sub quam ubi nascitur uua, subiiciuntur circiter bipedales è furculis furcillæ, ne uindemia pereat: & uindemia facta, denique discat pendere in palmam, aut funiculo, aut uinctu, quod antiqui uocabant æstum. Simulac autem dominus uidit occipitium uindemiatoris (hoc est uindemia statim absoluta) furcillas reducit hybernatum in tecta, ut sine sumptu, eadem opera altero anno uti possit. Hæc Varro. Rectius autem mea sententia describi non potuit nostrarum uinearum forma, quæ furcillis nituntur, quemadmodum ipse recenset: deponuntúrque ridicæ aut furcillæ siue pedamenta aut statumina, statim uindemia

facta, ne pluuiis hyemalibus putrescant, uel in cumulos aggerantur, & ita simul aggerata, in ipsa uinea relinquuntur, ut altero anno iterum prodesse possint. Hac consuetudine (inquit ille) utuntur Reatini, & hodie quoque Romani, atque adeò Parthenopæi. Cæterum huiusmodi uineæ à Latinis pedatæ, hoc est, pedamentis fultæ (quorum varias species postea declarabimus) à Græcis autem characatæ dicuntur. χάραξ enim ἄκος, à Græcis pedamentum, siue palus dicitur. Vnde natum prouerbium, χάραξ πρὸ ἀμπέλου, subaudi ἐξηπάτησεν, hoc est, palus uitem accepit.

Vitis tripedanea, à specie & mensuræ iucunditate nomen habuit apud antiquos: nempe quòd in altitudinem tripedaneam ad summum crescere sineretur, uel quòd ita esset disposita, ut inter quamlibet uitem trium tantùm pedum interuallum æquale constitueretur. Huius uitis meminit Columella libro 3. cap. 2.

Vitis autem tricenaria (quando nescio quid affinitatis inter se habent ipsa uocabula) dicta, quòd eius iugerum tricenas uini amphoras reddat, inquit Varro libro 1. capite 26.

Vites quoque unciariæ pari ratione à iucunditate speciei dictæ: nempe quæ ita dispositæ erant, ut inter quamlibet uitem, uniius iugeri uncia, interuallum æquale faceret.

Stephanitæ uites, hoc est coronariæ, à specie quoque nomẽ habuerunt: nempe quæ per statumina calamorum materiis ligatis in orbiculos gyróque flectũtur: & materiis summissis, earundem statuminibus per orbem & in coronam flectuntur (inquit Columella) cuiusmodi pleraque in Gallia Narbonensi conspeximus. quod ornatus &

decoris gratia potius ab illis factum existimo, quàm ut eam formam agriculturæ ratio requirat. Quinetiam non longè ab Aurelianensi agro, uites iugatæ, siue simplici iugo cantheriatæ, longius discurrere permittuntur, ne propter longam deerrationem imbecilliores fiant, & minus in fructu quàm in materia ualeant per singulos cantherios, aut ad summũ secundo cuique cãtherio, uitis ramum in gyrum & coronam reflectunt, ac deinde longius serpere sinunt usque ad extremum. Eas uites certè stephanites & coronarias iure dicere poteris, quando non ornatus solùm, sed etiam utilitatis gratia fiãt. circum ipsas enim coronas, permultos semper oœllos & fructuarios quidem eos conspicias. quæ quidem coronæ si non fierent, neque ullo pacto reflexa uitis formaretur: potentiores quidem ramos & robustiores materias ederet, minus autem fructus quotannis redderet.

Insanæ uites dictæ quibusdam, quæ ad florem usque fructum tantũ perducunt, inquit Barbarus. Quinetiam est ubi Plinius insanas uites, triferas appellet, quoniam in his aliæ matureſcunt uuæ, aliæ turgeſcunt, aliæ tantùm florent. Smyrnæ autem triferam uitem à se uisam Marcus Varro prodidit.

Vites gemellæ dictæ, quæ gemellas uuas ferunt, Vignes gemelles. Columella libro 3. capite 1, Verum & aliæ duæ geminæ, quæ ab eo quòd dupliees uuas exigunt, gemellæ uocantur. Plinius, Gemellarum nomen uuæ semper geminæ dedere: earũ asperrimus sapor, sed uires præcipuæ.

Venũculæ uites Plinio, siue uenuculæ aut uenunculæ Columellæ dictæ, quæ uuas ferrent temporibus hyemis durabiles, quas nasis conditas (unde ollares uuæ: Horatius,

Venicula conuenit ollis.

de quibus postea) in tempus hyemis asseruabant, ut uenderentur: atque hinc fortassis nomen tractum. Huiusmodi autem uuas Veneti Marzeminas appellant uulgò. Antiqui etiam Siculas, & Staculas, & Numisianas, pro regionum consuetudine. Plinius lib. 14. cap. 2, Veniculã (inquit) inter optimè defloreſcentes, & ollis aptissimam. Cãpani malunt siculã uocare, alij staculam, Tarracini numisianam, nullas uires proprias habẽtem, sed totam perinde ac solum ualeat. Columel. autem lib. 3. cap. 2, Scaculam & sticulam uocat. Vnde quid conijciã planè non habeo, in tanta uocum corruptione.

Vitis ad escam, siue escaria appellata, quæ plerunque siue in pergulis (unde pergulana dicta) siue etiam in iugis & compluuiis serebatur, ut esui tantùm esset, & ad escam uẽderetur, priusquam uindemiæ fierent. Ad escam (inquit Columella) nõ expedit instituere uineta, nisi cùm suburbanus est ager, ut rarò postulet mœnditum fructum mercantibus uelut pomum uendere. Cibariam Plinius appellat, cuius generis est (inquit) horœnia agro Campano familiaris.

Spionia uitis, quam Plinius spineam à quibusdam uocari tradidit, omnium abundantissima, & uino & uuarum magnitudine erat, magis tamen uuarum magnitudine. Plinius lib. 14. cap. 2, AEstum fert spionia, quam spineam quidam uocant, autumnisque & imbribus pingueſcat, quinimò nebulis una alitur, obid Rauennati agro peculiaris. Hinc Dapsilem spioniam uocauit Columella, hoc est, succo abundantem & fertilẽ: hoc enim dapsilis uitis significat à dapibus. Spionia (inquit) dapsilis musto & amplitudine magis uuarum, quàm numero ferti-

lis. Vnde Spionicus gustus, hoc est, qui uuæ spioniæ est, fortassis autem quòd agrestis pruni (quæ spinus dicitur) gustum referat. bruscum & garbum Itali uocant. Itaque spineus gustus à uite spinea dicendus esset, nisi illud nos diuinare quisquam dicere possit. nam nihil temere proferre uelimus. Columella, Iam & illud magnæ dotis est, posse gustum cuiusque generis non mistum, sed uerè merum cõdere, ac separatim roponere: siue est ille Bituricus, seu basilicus, seu spionicus.

Biturica autem uitis, vigne de Bourges, à gente nomen habuit. Antiqui enim nostras uites Gallicas in honore habebant, quòd fortassis per id tempus excellentes essent, & accurata diligentia excolerentur. Vnde Bituricæ fructibus optimæ dicuntur Columellæ lib. 3. cap. 21, & Plinio lib. 14. cap. 2. Quemadmodum & Allobrogicæ, quòd apud Gallos Allobroges (qui Delphinates hodie dicuntur) fortissimæ & laudatæ essent, vigne de Daulphine. Allobrogica uitis (inquit Plinius) frigidis locis gaudet, gelu maturescens, & colore nigra. Nunc autem earum uitium nomen nondum penè excidit: sed fortassis minus diligenter uites illic excoluntur, aut quòd bellorum periculum peritiam excolendi agricolis adempserit, aut quòd solum sit corruptum, & noua culturæ ratione deuastatum.

Rhetica quoque uitis, ab antiquis celebrata, quæ hodie etiam apud omnes in honore habetur. est autem Germaniæ superioris, uel à Rhetis populis dicta, uel à Rheni Germanici fluminis uicinitate. vigne de Rin. Rhetica uitis (inquit Plinius) temperatis locis nascitur.

Græculæ uites dictæ, quæ in Græcia crescebant: cuiusmodi erant, inquit Columella, Pythiæ & Sophortiæ,

quæ probabilis gustus habebantur: solũ enim apud Græcos etiam hodie ualentissimum & generosum est admodum, præsertim in quibusdã regionibus: unde nunc uinum Græculum Romæ cælebratur, & quod Monemuaticum Venetiis dicitur, uulgò Maluaticum appellatum. Plinius de Græcula uite sic loquitur, Græcula (inquit) uitis, non inferior Aminæis bonitate, prætenera acino, & uua tam parua, ut nisi pinguissimo solo ualere non possit.

Thasiæ præterea uites, græculæ, hoc est, in Græcia nascentes, dictæ, cõsimili ratione, à Thaso insula quæ est in mari AEgeo. quarũ uitium mentio fit à Columella lib. 13. cap. 23. Virgilius,

Sunt Thasiæ uites, sunt & Mareotides albæ.

Vnde Thasium uinum Plinio lib. 14. cap. 7.

Mareotides etiam græculæ uites & uuæ dictæ, à Mareotide parte Epiri, in qua uinum optimum apud antiquos nascebatur. Harum uitiũ meminit Colu. lib. 3. ca. 2.

Basilica uitis, ab insigni & larga uini copia, quam reddebat, nomen habuit, & nobili ac forti æstuum & austrorum præter cæteras tolerantia, ut quasi regia diceretur. Plinius lib. 14. cap. 2, Basilicam Dyrrhachini cælebrant, Hispaniæ cœlobin uocant (Columella cõlubẽ appellari tradit) grauior uua, æstus austrósque tolerat, capiti inimica, copia larga. Basilicum huiusmodi uitis genus uocauit Columella lib. 3. cap. 4.

Aminæa uitis, inter cæteras generosa, sed alba apud antiquos, ab Aminæa regione (inquit Macrobius) appellata: fuerunt autem Aminæi populi, ubi nunc Falernum est. Virgilius,

Sunt & Aminææ uites firmissima uina.

Principatus (inquit ille Plinius) datur Aminæis,

propter firmitatem, senióque proficientem uini eius ubique uitam. Quinque eius genera. Ex iis germana minor, acino melius defloreſcit, imbres tempeſtatéſque tolerat: Non item maior, ſed in arbore quàm in iugo minus obnoxia. Quidam Amnæas uites & uuas dictas putant, quaſi ſint ſine minio, hoc eſt rubore, nempe quòd album uinum reddant & proferant.

Eugeniæ uites, ſiue uuæ, dictæ generoſæ, vignes franches & de bons complantz, quaſi nobiles, & inter cæteras inſignes. Εὐγένεια enim Græcis, nobilitas dicitur. Itaque Euganeæ aut eugeniæ appellatæ, quòd uinum generoſum fundant: ſicut & Euganei populi, à generis præſtantia denominati. De huiuſmodi autem uineis, uideto Columellam de arboribus cap. 7. Eugeniam uitem (inquit Plinius) Tauro minitani cõlles cũ generoſitatis cognomine miſere Albano tantùm agro, quoniã tranſlata ſtatim mutatur. Nanque eſt aliquibus tantus locorum amor, ut omnem in his gloriam ſuam relinquant: nec uſquam tranſeant totæ. Feruẽtibus denique locis eugeniam uitem naſci idem author recenſet.

Argitis uinea, ſiue etiam uua, inter minores habetur, quòd arboribus (ut inquit Columella) non uſqueadeò apta ſit, ſed iugo amicior, humilimíſque tabulatis aptior, terræ mediocritate lætatur, quemadmodum uſula: nam in pingui, nimiis uiribus luxuriat: in macra, tenuis & uacua fructu uenit. Videtur autem à candore (qui Græcis ἀργὸς dicitur) nominata: uel potius ab Argo urbe Græciæ, uinorum generoſorum fertiliſſima: ut etiam hodie ex collibus ſibi uicinis, fortiſſima & potentiſſima uina adferantur Romam. Virgilius,

Argitíſque minor, cui non certauerit ulla

Aut tantùm fluere, aut totidem durare per annos.

Vitis uehemens & multa materia frondens Columellæ *dicitur, quæ in terra densa crescit, & robusta est, ac potens, tam in uino quàm etiam in materia.* vignes fortes & puissantes en bois. *lib.3.cap.1.* Terra *densa (inquit) dabit uehementem uitem, & multa materia frondentem.*

Vitis fœcunda, vigne de bon rapport, *dicitur copiosa, fructifera, & uberem fructum reddens: qua ratione etiam infœcunda, quæ parum aut nullum fert fructum, neque culturæ æquale beneficium reddit.* Columella *lib. 3.cap.16,* vigne de mauuais rapport.

Vitis autem luxuriosa siue luxurians, quæ nimium luxuriat & abundat, ac ueluti sylvescit, uel in fructu, uel etiam in foliis aut frõdibus emittendis. vigne trop chargee de bois, fruict ou fueilles. *Columel. lib. 4. cap.11,* Nos *autem magister artiũ docuit usus primi anni malleolorum formare incrementa, nec pati uitem superuacuis frondibus luxuriãtem sylvescere. Idem lib. 4. cap.21,* Luxuriosa *uitis, nisi fructu compescitur, malè deflorescit, & in materiam frondémque effunditur: hoc est, nisi abundantia fructuariorum oculorum liberetur, malè florem amittet, neque postea fructum ostendet. præterea tota in frondem & materiam, non etiam in fructum abibit ac consumetur. Quemadmodum idem author luxuriosas, uel luxuriantes palmas & segetes dixit, hoc est, fructu nimio, uel nimia fœcunditate abundãtes, unde postea sterilescere possint.* Virgilius:

Luxuriem segetum tenera depascit in herba.

Deflorescens uerò uinea dicitur, quæ iam in fructum transit, & florem deponit atque exuit. vigne qui pert ou oste & laisse sa fleur. *Quemadmodũ florescere ele-*

ganter dicà potest, cùm florem induit, & in florem abit, vigne qui entre, ou est en fleur. Plin. lib. 17, Pessimum (inquit) est inter omnia, cùm defloresœntem uitem & oleam percutit imber: quoniam simul defluunt fructus. Pulchrè quidem defluere fructum dixit. Est autem id (ut obiter dicam) quod uulgus nostrum uocat, couler. Vnde non inuenustè dicere poterimus, à uineis fructum defluxisse, cùm post depositum aut exutum florem, per malam aëris tempestatem & imbres nimios, fructum postea nullum ostendunt, vignes coulees.

Vitis ordinaria, quæ paribus ordinibus aut in quincunœm aut in decussim sata est. Coæquato (inquit Columella) deinœps pastinato, malleolus ordinariis uitibus interserendus est, eúmque sat erit medio spatio, quod uacat inter uites, per imam lineã depangere. Ita quoque & ordinaria semina eodem loco, nempe lib. 3. cap. 16, appellat, quæ in ordinem serũtur æqualibus interuallis: quæ quidẽ æqualia interualla, & ueluti media spatia inter uitium ordines, interordinia appellabãtur. des adoz. De quincuncis autem ratione & more formandarum uel ponendarum in quincunœm uitium & arborum, satis in Seminario diximus. Plura autem qui uolet, legat lib. 3. ca. 15. Columellæ.

Vitis nouella, ieune vigne, vigne nouuelle, nonnulli uocant des plantes, ou nouueaux complantz. Nempe quæ uitis recẽs posita est, & multorum annorum non est, atque adhuc tenera. Virgilius,

Atque mala uites incidere falœ nouellas.

Vineas nouellas appellauit Cato cap. 33, Vineas (inquit) nouellas alligato crebrò, ne caules satæ perfringantur. Columella, Vineam nouellam omnes gemmas agere finito.

Ab his uineis nouelletum dictum, in quo uites nouellæ cõsitæ erant, quasi nouellarum uitium seminarium. Paulus iureconsultus, Veluti (inquit) si nouelletum in fundo satum sit.

Vitis aut uinea ueterana, quæ multorum annorũ est, et iã induruit. Vigne faicte & accoustumee au labeur. Si sunt (inquit Columella lib. 3. cap. 21,) ueteranæ uineæ, separatorum surculorum cuiusque generis singulos hortos inseramus. Itaque uides quemadmodũ in hortis, uel post hortos, etiam uineæ conserebantur. Idem autem author eiusdem libri cap. 15, ueteranam uitem ait totam exputari solere, & ad unam materiam firmissimam redigi. Vineam etiam ueterem uocat: Veterem (inquit) uineam si in summo radices habebit, resecare nolito.

Vinea ualens & iam constituta, vigne nouee, & en sa force. nempe quæ iam constitit, ut neque amplius nouella, neque etiam uetus aut ueterana dicenda sit. Columella, Iugerũ ualentis & iam constitutæ uineæ, quatuor operis putatur & alligatur.

Capitatæ uineæ, à culturæ ratione appellatæ, nempe quæ crescunt in caput, & robur crassitudinis accipiunt in stirpe. vignes de souche. Alij (inquit Columella) capitatas uineas, alij brachiatas magis probant.

Brachiatas autem uocat, quæ in multa brachia componũtur, ut in summa parte, qua decisa, nouella uitis est, quicquid circa cicatricem citauerit, conseruari, & in quatuor brachia pedalis mensuræ diuidere conueniat: ita ut omnem partem cæli singula brachia aspiciant. vignes ramees & estendues.

Vites præcoquæ, à celeritate proferendi fructum nomen habent, qua ratione ipsæ quoque uuæ præcoquæ, &

fructus præcoces, & præcoqua siue præcocia poma appellata, ut in Seminario dictum est: Præcoques (inquit Columella) uites dictæ, quarum maturitas fructus præcurrit hyemẽ, vignes hastiues. Vnã etiã uitem præcocẽ (inquit idẽ) nobis ante hoc tempus incognitam græca consuetudine dracontiũ uocari comperimus, quæ fœcũditate iucunditatẽ ue, aræ lacæ, basilicæq;, & Biturice cõparari possit.

Præciæ à Plinio eædem uites (ni fallor) appellantur, quasi præmaturæ. Et præciæ (inquit) duo genera, magnitudine acini coluntur: quibus materies plurima, uuáque ollis utilissima, folio apio simili: unde præcias & purpureas uuas laudauit Virgilius.

Heluolæ uites, quæ & Variæ (inquit Columella) ab heluo colore, qui est medius inter rufum & albũ, nominatæ: neque enim purpureæ erant, neque nigræ: & acinorum colorem habebant ex rufo albescentem. Sunt heluolæ uites, quas nonnulli uarias appellãt, neq; purpureæ, neq; nigræ, ab heluo (nisi fallor) colore uocitatæ. eædẽ etiã helueolæ dicebãtur. Insignes colore inter purpureas nigrásq; medio heluolæ, sæpius uarianti (inquit Plinius.) Et ob id uarianæ à quibusdã appellatæ. Itaque heluolæ & helueolæ: item etiã uariæ & uarianæ, eædẽ uites dicebãtur.

Vernaculæ dicuntur, quæ cuilibet prouinciæ peculiares sunt. Et hactenus (inquit Plinius) nobilitas datur peculiaribus atque uernaculis Italiæ: cæteræ aduenere Chio, Thasóue.

Inerticula uitis dicta, quòd iners sit in neruis tentandis: hoc est, cuius uinum potum, ebrietatem non inducat. Vnde (inquit Plinius) uerius sobria diceretur: nam Græcis ἀμέθυστος dicta, quasi ebrietati obsistens uel resistens: quẽadmodum & lapillus ille uulgaris, quẽ uulgus nostrum

corruptè

cõruptè amathystum uocat. Columella, Inerticula tamen nigra (quam quidam Græci Amethyston appellant) potèst in secunda quasi tribu esse, quòd & boni uini est, & innoxia: unde etiam nomen traxit, quòd iners habetur in tentandis neruis. Plinius, Inerticulam è nigris appellauere: iustus sobriam dicturi, inueterato præcipuè commendabilem uino, sed uiribus innoxiam, siquidem tæmulentiam non facit.

Heluenaca uitis, fertilitate apud antiquos maximè commendabatur: cuius cultura tamen Italiæ maximè repugnabat (inquit Celsus) nec alia macri solo familiarior. Tria eius genera. Maiores duæ, quarum altera quam (inquit Columella) Galliarũ incolæ emeracum uocãt (Plinius, arcam) non usqueadeò fœcunda est, & uini mediocris, sed hausțu gratius uinum præbet. Alteram longam appellant, eandémque auaram, sordidi uini, nec tam largi, quàm ex numero uuarũ, quas prima spes promittit. Minima & optima è tribus facillimè folio dignoscitur: nam rotundissimum omniũ id gerit, & circinnatum: atque hoc est laudabilis, quòd siccitates maximè perfert, ac frigora sustinet, &c. Videto Columellæ locum.

Fæciniæ uites dictæ, siue uuæ (inquit Columella) quòd plus quàm cæteræ fæcis adferunt: id tamen incommodum repensant uuarũ multitudine, quas & in iugo, sed & in arbore melius exhibent.

Apianis uitibus & uuis (inquit Plinius) apes cognomen dedere, præcipuè earum auidæ, vignes muscadettes. Earũ autem tria genera. Duæ quidem lanatæ (hoc est, quæ lanugine pubescunt) distant autem inter se, quòd altera cælerius matureścit, & magis præcoqui sit fructus: altera item, tardius cariem uetustatis recipit: tertia uerò, nu-

dis foliis est. Et ea quidem omnium generosior est (inquit Columella) omnes tamen feraces, iugóque & satis arboribus idoneæ.

Nomentanæ uites, uini nobilitate sequuntur Aminæas, fœcunditate uerò etiam præueniunt: quippe cùm se frequenter impleant, & id quod ediderunt, optimè tueantur. Nomentanæ (inquit Plinius) Aminæis proximæ sunt, rubente materia, quapropter quidam rubellas appellauere uineas. Eæ nimis fertiles uino, acinis & fœce nimiæ, &c. Ita dictæ à Nomento oppido in Latio, quod non procul erat ab urbe Roma.

Numisianæ uites fortassis appellatæ, quasi Numidianæ, à Numidia: nonnulli tamen Nursianas dici uolunt, à Nursia antiquo Vmbriæ oppido. Quicquid sit, uuas ferebant ollis aptas (inquit Columella) quemadmodum & Venuculæ. Tarracini (inquit Plinius) Numisianam uitem celebrant, nullas uires proprias habentem, sed totam perinde ac solum ualeat.

Murgentina quoque uitis, à loco Siciliæ insulæ dicta: in qua (inquit Plinius) potissima est, quam eandem etiã Pompeianam ab aliquibus uocatam asseuerat, in Latio maximè feracem.

Albuelis uitis Celso, in colle quàm in campo utilior est, in arbore quàm in iugo, in summa arbore quàm in ima ferax, materiæ frequentis & uuæ.

Visula uerò uitis, arboribus imis (inquit Plinius) fertilior erat, & amicior iugo quàm arboribus: terræque mediocritate lætatur (inquit Columella). nam in pingui, nimiis uiribus luxuriat: in macra, tenuis & nuda fructu prouenit.

Vinea conseminea, dicta, quæ tantùm unius generis

uel notæ seminum aut stirpium consita erat : uel unius tantùm speciei uites, hoc est malleolos, uel surculos ostendebat: ut aut Apianum uinum simplex, aut fæcinium, non etiam ex Apiano & fæcinio mixtum proferret. Vigne qui n'ha qu'une sorte de complãtz. Columella: Iam illa generum separatio, summam commoditatem habet, quòd uinitor suam cuique facilius putationem reddet, cùm scit cuius notæ sit hortus quem deputet (de horto autem uineis consito intelligit) ídque in uineis non cum semineis obseruari difficile est : quia maior pars putationis, per id tempus administratur, quo uitis neque folium notabile gerit : ac multùm interest, pluréne an paciores materias, pro natura cuiusque stirpis, uinitor summittat, prolixíue flagellis incitet, an angusta putatione uitem cœrceat. Eædem quoque uineæ consemunales eidem authori appellatæ, quarum (inquit libro 12. cap. 46.) non est tam firmum uinum, quàm si per se synœrum Aminæum uel Apianum aut etiam fæcinium condideris.

Caluata uinea Catoni (ni fallor) dicta, quæ rara erat, & interuallis rarioribus consita, neque usqueadeò frequẽs atque aliæ: uel, si mauis, uitis caluata eidẽ appellata, quæ pãpinos, uel flagella, aut surculos gereret minus foliatos, munúsque foliis onustos, quàm cæteræ : ut quemadmodum in caluitio capilli desunt, ita etiam iis uitibus folia deesse uiderentur. Cato cap. 33 : Si uinea à uitæ caluata erit, sulcos interponito, ibíque uiuiradicem serito, umbram ab sulcis remoueto, crebróque fodito. Hæc eadem uerba habet Plinius libro 17. cap. 22. Hactenus uitium & uinearum uocabula tractauimus. Nunc uerò ad earum consitiones & positiones uarias, ex ordinis nostri institutione ueniendum.

VINEARVM CVLTVRAE VOCABVLA.

Constituere uel instituere uineas dicebant antiqui, quod nos uulgò faire vne terre en vignes, faire des cloz des vignes, ou des vignobles. Qui uineam aut arbustum (inquit Columella lib. 3,) cõstituere uolet, seminaria prius facere debebit. Seminaria autem uitium uulgus nostrum uocat des pepinieres. Nempe in quibus acini proiecti, eò altitudinis crescant, ut possint deinde in uinetũ trãsferri & excoli: id autem quod ex acinis succreuit, rustici nostri appellãt des ieunes plantes. Latini, ut Columella lib. 3. cap. 10, dicunt semina.

Conserere uineas, planter des vignes, quemadmodum & arbores etiam dicimus: cùm semina uitiũ terræ mandamus ac deponimus uel pangimus: ea enim uocabula uinetis conueniunt. De conserendis uineis (inquit Columella) librum scripsimus compluribus agricolationis studiosis. Inde fundus uineis consitus, vn heritaige en vigne ou de vignes. Græcinus declarat (inquit Columella) Paridium quendam Veterensem, uicinum suum, duas filias, & uineis cõsitum habuisse fundũ. Ponere quoque & disponere eidẽ authori dicuntur eadem ratione ac loquẽdi fõrma. Et nos (inquit) Publi Syluine, magno animo uineas ponamus, ac maiore studio colamus. Vnde positio seminum dicta. Nam ponere semina, id est, quod uulgus uocat faire des plantes. Nec sanè (inquit Columella) positio seminum sibi altũ cubile substerni desiderat: uerùm abundè est semipedaneam consitis resolutam uitibus terrã subijcere, quæ uelut hospitali atque etiam materno sinu recipiat incrementa uirentium. Id certè etiam deprime-

re semina in regesto dixit idem author. Regestum autem appellat, terram è sulcis egestam, cùm ager bipalio mouetur, & ita egeritur humus, ut solũ tumidius appareat. Illuc postea sua semina depãgunt, & ueluti in cubili quodam substernunt.

Atqui ea quidẽ pangendarum uinearũ ratio, pastinatio dicitur: nempe cùm ipsa semina scrobibus demittuntur in regesto. Pastinare enim, est scrobes in agro facere ad pangendas & deponendas uineas, & semina pastino pãgere. Nam pastinum (inquit Columel. lib. 3. cap. 18,) uocabant ueteres agricolæ, ferramẽtum bifurcum, quo semina pãguntur. qua ratione uulgus nostrum houer, ab instrumento deductũ uocabulũ habet. Nẽpe à pastino fortassis, quod illi uocãt vne houe. de quibus instrumẽtis postea.

Semitare uineas, & limitare, Plin. lib. 17. cap. 22, est distinguere per interualla & semitas. quod ordinare uineã paribus interuallis dixit Columella lib. 3. cap. 13. Multi tamen (inquit ille lib. 5. cap. 5, cùm de ordinibus uinearum loquitur) ordines ita disponunt, ut per rectam lineam binos pedes, aut ut plurimùm ternos, inter semina relinquant: trãsuersa rursus laxiora spatia faciant, per quæ uel fossor, uel arator incedat. Cæterum extremos uinearum ordines appellauit Virgilius antes, ἀπὸ τῦ ἀντιστήκειν, hoc est, ab antestando, ut interpretatur Seruius:

Iam cæsit extremos effœtus uinitor antes.

Quidam tamen interpretantur lapides eminentiores, qui interponuntur ad materiã sustinendam. Porrò autem ab ordinibus, ordinaria uitis appellata. Malleolus (inquit rursus Columella) ordinariis uitibus inserendus est.

Limitare autem uineas decumano, est semitis uel decumanis distinguere: hoc est, ita limitare, ut ab ortu ad oc-

casum tendant. Limes enim *secans agrum ab ortu ad occasum*, Latinis *decumanus dicitur*. Quemadmodũ eisdem *cardo appellatur, limes per agrum currẽs à* Septentrione *ad* Meridiẽ. Columella: *Iuxta decumanum atque semitas, palmites intrinsecus flectendi sunt*. Plinius *ait, apertè uineas quintanis semitari, hoc est, ut in quinto quoque palo singulæ iugo paginæ includantur. id uerò à* Columella *libro 3. capite 20, semitis siue semitanis distingui dicitur. Idem quoque libro duodecimo, capite 53, decussare uineas dixit, hoc est, in stellam deformare ac ducere: & facere ut ordines uitium, literæ Græcæ figuram referant ad ornatum, quemadmodum latius & uberius in* Seminario *nostro docuimus.*

Frequentare *uineam nouellam & annicalam, uulgus nostrum populare uocat*. Peupler vne vigne. *cùm multis malleolis, qui præsidiarij uocantur (ut superius uisum est) propagatis, fit frequentior, ut altero anno plures ostendat propagines. Fit autem id maximè post uindemiam. Nam cùm annicula uitis, mensiúmque sex (inquit* Columella) *ad uindemiam producta est, sublato fructu, protinus frequentanda est, & præsidiarij malleoli propagandi sunt, qui in hunc usum fuerãt depositi: uel si ne hi quidem sunt, ex ordinaria uitæ in alterũ palum mergus est attrahendus.*

Fodere *uineam nonnihil cum pastinatione commune habet. nostrum uulgus dicit* Houer des premieres ou grosses facons: *nempe cùm prima cultura uineæ datur: unde omnes arationes uinearũ, fossuræ dici possũt*, Toutes facons. *Finis enim fodiendi uineam, nullus est (inquit* Columella) *nam quãtò sæpius foderis, tantò uberiorem fructum reperies. Vineas nouellas (inquit* Varro *lib.*

primo capitæ 31) fodere aut arare, posteà occare oportet.

Est autem occare ab occidendo deductum uocabulum, nempe cùm agricolæ glebas confringunt secunda aratione, & ita comminuunt, ut eas occidere uideantur. Puluerationem uocat Columella lib. 11. cap. 2. his uerbis: Sed frigidioribus (inquit) regionibus, puluerationem faciunt, quam uocant rustici occationem: cùm omnis gleba in uineis refringitur, & resoluitur in puluerem. id uulgus nostrum itærare uocat, Bisner, à bina aratione, hoc est secunda, deducto uocabulo. quidam uocãt Escrotter.

Puluerare autem (ne quis fallatur) seus accipit Plinius. Sunt enim (inquit) qui puluere quoque uuas ali iudicent, pubescentésque puluerent, & uitium arborúmque radicibus puluerem aspergant. Quod certum est Narbonensi prouinciæ, & uindemias certius sic eo coqui, quia plus puluis ibi, quàm sol, confert. Erit itaque puluerare Plinio, puluerem ex glebis super ipsis uuis excitare, ut demde matureſcant. Nam & puluerẽ excitare dixit Columella: Vites (inquit) post meridiem fodito, puluerémque excitato. ea res à sole & à nebula maximè uuam defendet.

Secundam præterea arationem, repastinationem etiam appellare possumus. Est enim repastinare, iterum uitem pastinare, nempe cùm refoditur. Vel si (inquit Columella) eodem loco, quo uineam ordinaturus es, facere uoles seminarium, tribus pedibus altè repastinabis iugerum operis octoginta, &c. Repastinari igitur uites dicuntur, cùm refodiuntur. Consuetudo autem repastinare uocat, quicquid emoti terreni uineis præparatur.

Fodere tertiam fossuram dixit Columella, quod nostri tertiare uocãt, Tercer. Quæ cultura tertia uineis adhibe

tur, simulatque iam uuæ uariari cœperint, inquit ille.

Cæterum fossuras omnes uinearum, quas uulgus nostrum uocat facons, Columella operas appellat, cum antiquis rei rusticæ scriptoribus. Iugerum (inquit) uineæ, quatuor operis ablaqueatur, quinque foditur, tribus occatur. fodiebatur autem terra uinealis bidentibus, apud antiquos interdum, quod nostris tantùm agricolis relictum est. houer. Interdum etiam arabatur, & aratro colebatur, ut in Campania. cuius loci agricolæ, inquit Virgilius, imitabantur arando, quod alij pastinando. illic enim solum putre, & per se quodam modo resolutum est. Neque uerò hac molitione terræ utebantur Campani, quia facilitas eius soli minorem operam desiderabat: in aliis autem prouinciis densior ager, & solũ contumacius maiorem poscebat impensam. unde quod nos pastinando efficimus (inquit Columella) externarum gentium agricolæ pastinationis expertes, sulco facto consequebantur, ut laxius subacto solo deponerent semina. Itaque, ut in summam contrahamus, uineæ iugatæ (quæ nisi locis facilibus & fertilibus proueniebant) apud antiquos, ut etiã nunc apud Italos, item etiam arbustiuæ aratris quidem excolebãtur: quòd ipsa uinearum capita & brachia sursum erecta sine ulla extantia neque aratro neque bubus obnoxia essent. Alia autem uinearum genera, aliam etiã culturam poscebant, ut aut bidentibus fõderẽtur, aut sulcis factis excolerentur & ponerentur, quemadmodũ hodie fit apud nos: cuius culturæ modũ ac rationem ab antiquis obseruatam, quóque more fiebat, uideto apud Columellam lib. 3. cap. 13.

Mergis propagare uitem dicuntur uinitores, cùm eam iuxta suũ adminiculũ incuruãt, ac sic perducitur usque ad

uacantem palum. Prouigner. Instar enim arcus curuatura fit in mergo, & ex arcu euocatur materia, quæ protinus applicata suo pedamento, ad iugum trahitur: atque hoc pacto propagata uitis, celerrimè prouenit (inquit Columella lib. 4. cap. 2.)

Supplantare autem dixit idem author libro de arboribus, capite 7, pro eo quod est explantare, deluxare, & prosternere, quemadmodum in palæstrico curulíque certamine luctantes aduersarium & cursorem superãt, subductísque pedibus ad terram arietãt, quod Græcè dicitur ὑποσκελίζειν. Dixit igitur Plinius, uuas supplãtat, hoc est lædit, conuellit ac delumbat.

Sternitur uerò uinea factis sulcis, ut renouellari possit, Abbaisser. Columella, Vetus (inquit) uinea, si non aridos in corpore habet truncos, & flecti potest: factis sulcis optimè sternitur, atque ita renouellatur. Idem prosternere in terram uineas dixit: Omnem (inquit) uiridem superficiem intorquere, & in terram prosternere oportet. Vnde prostrata uinea appellata, quæ nobis hodie frequẽtissima est. Submittere quoque propaginem uel pampinum uitis pro eodem dixit idem author lib. 3. cap. 6. & libro 4. capite 6.

Putare uineas, est sarmenta inutilia, uetera, malè nata, contorta, falcæ uinitoria præcidere, quod uulgus nostrum uocat Tailler. Columella, Cùm uitem putabis, inter duas gemmas secato: nam si iuxta ipsam gemmam secueris, laborabit, nec materiam citabit. Græci ἀμπελουργεῖν uocant, id est, sarmenta expurgare, quæ uitem enecant, nempe τὰ ἐμποδίζοντα τῆς καρποὺς ἀφαιρεῖν (inquit Budæus noster) unde ἀμπελουργία, putatio uitium Græcis dicitur, quæ & κλάσις à Theophrasto appellatur.

Attondere & interradere dixit Plinius: Oleæ (inquit ille) attondentur sicut & uites, atque etiam interradi gaudent. Virgilius, falæ incidere:

Atque mala uites incidere falæ nouellas.

Exputare quoque uitem dixit Columella, cùm materia ferro cœrcetur, ad secundam, interdum usque ad tertiam gemmam, quò robustiores palmites agat. Insecare quoque pro eodem idem accipit libro 4. capite 15: Sequente deinde anno (inquit) insecatur superior pars curuaturæ usque ad medullam, ne totas uires matris propagatum flagellum in se trahat. Amputare item etiam pro eodem sumitur: Tempus (inquit Columella) non aliud magis idoneum est hunc mergum amputandi, quàm ab Idibus Octobris, in Idus Nouembris.

Post putationem (inquit idem author) ablaqueare uitem incipito. Nam iugerum uineæ (subdit posteà) quinque operis ablaqueatur, quinque foditur, tribus occatur. Ablaqueare autem, circunfodere est: nostri discalciare uocant, Itali excodicare, ut docet Palladius, id est, circa uitis codicem, dolabra terram diligenter aperire, & purgatis radicibus, uelut lacus circa ipsas effodere, ut solis teporibus & imbribus prouocentur. Nam locis quibus clementia hyemis patitur (inquit Columella) adapertas uites relinquere, & tota hyeme ablaqueatas habere, eas conueniet. Itaque à lacubus deductum uocabulum, quemadmodum latius in Seminario diximus.

Post ablaqueationem autem, resecabatur uinea, siquando opus erat: nempe cùm radices quæ in ablaqueatione apparebãt, uinitor persequebatur, & summas earũ partes (quas æstuas rustici appellãt) resecabat, quæ sic resectæ molle sunt, nec ultrà uitibus obsunt. Vineã ueterẽ,

boni generis (inquit Columella) circa Cal. Martias antequam reſecæs, ablaqueato, & protinus cũ altè ablaqueaueris, reſecato. Quatuor digitos ab radicibus truncũ relinquito, & (ſi fieri poterit) iuxta aliquẽ nodum ſerrula deſecato. Procidere pro eodem accipitur cap. 15. lib. 4.

Stercorantur præterea uites apud nos ferè poſt ablaqueationẽ, uel etiã ipſo ablaqueationis tẽpore, cùm fimus fœcunditatis gratia ipſis uitibus inſpergitur. Fumer les vignes. quod apud antiquos ipſis tantũ agris legumina ferentibus fiebat, rariſſimè in uinetis, aut nunquã. unde Palladius: Si terra (inquit) exilis in uinea eſt, tres uel quatuor lupini modios in iugero ſpargis, atq; ita occabis. quod ubi fruticauerit, euertitur, & optimũ ſtercus præbet in uineis: quia lætamen propter uitis uitiũ non conuenit inferre uinetis. uulgus autem noſtrũ lætamen copioſiſſimum etiã uineis generoſis iniicit. Qui mos utinã à noſtris paulò negligentioribus & pigris agricolis nunquã aduectus fuiſſet. Eò enim fit, ut operæ ſuæ parcãt, & quod foſſionis altæ diligentiori cura fieri deberet, fimi abundantia compenſatur. Atqui quotidie etiam fieri uidemus, ut per aliquot quidem annos uitis fœcundiſſima ſit: cæterum autem citius multò intereat, quàm ſi cultura diligentiſſima id fieret, quod ſtercoratione ſuppletur. Sed ea certè noſtris ciuibus danda eſt culpa, qui dum agricolæ eſſe condiſcunt, meritò ab agricolis decipiuntur.

Inſerebantur quoque eodem tempore uites poſt ablaqueationem apud antiquos commodé. Si radices (inquit Columella) eius uitis ſatis altè poſitæ ſunt, optimè inſeretur: ita ut ablaqueata & nudata pars ima, ſecundum terram ſic amputetur, ne cùm aggerata fuerit, ſupra terram extet. Humida loca (inquit Varro) de una

alba: sicut, de nigra inserito. Sed de insitionum generibus satis multa in Seminario dicta sunt.

Post ablaqueationem & resectionem adæquabatur & adobruebatur uitis, siue aggerabatur, Rechausser ou recouurir. Id autem fit (inquit Columella) ut radices deorsum agat uitis, nec ex propinquo negligẽter in summa terra desectum progerminet. Ante æquinoctium uernum quod est octauo Cal. April. ablaqueationẽ adæquato: post Idus April. terram ad uitem aggerato: æstate deinde, quàm potes sæpissimè, occato.

Propagatio uinearum ea erat antiquis quæ nunc uulgò dicitur Prouigner. Erant autem propagationum, tempore Columellæ, tria genera maximè in usu. Vnum, quo urga edita à matre sulco committitur, & hîc est nobis uulgatissimus: uocant enim agricolæ sulcum, Vn prouing. Alterum, quo ipsa mater prosternitur, atque in plures palos per suas urgas diuiditur, uulgus nostrum uocat Abbaisser & accoller la vigne. Tertium, quo uitis scinditur in duas, uel tres partes, si diuersis ordinibus diducenda est. Hoc autem genus propagationis, tardissimè conualescit, quia uitis diuisa, medullam amittit. Catoni autem duo erant propagationum genera. Alterum, quo uitis in sulcos propagari dicebatur, quod genus superius explicatum est. Cato capite trigesimo secũdo, Vites propages, sulcos sursum uersum, quoad facere poteris, facito ut ducas. Alterum, quo uites in quasillum propagari dicebantur. Nempe ut radices melius terrã caperent, & commodius haberent. Fiebat autem hoc pacto: Calicem pertusum sumebant, uel quasillum, hoc est, paruũ qualum pertusum, & per ramulum quem propagare uolebant, erãsferebant, deinde terra illud opplebãt & calcabant.

post annum autem, ipsum ramum præcidebant, & aliò cum suo quasillo postea serebant. Cato *capite trigesimo tertio: Item uitem in quasillum propagato, terráque benè operito: anno pòst præcidito, cùm qualo serito.*

Pampinare uineam, est pampinos ex ea superuacuos detrahere, posteaquã fronduit. Cato: *Vbi uinea frondere cœperit, pampinato.* Columella: *Antè dies decem quàm uinea florere incipit, pampinatã habeto.* Es bourgeõner. *Pãpinationis autẽ modus hic erit (inquit* Colu.*) ut opacis locis, humidísque, & frigidis æstate uitis nudetur, foliáque palmitibus detrahantur: ut maturitatem fructus capere possit, & ne situ putrescat. In pampinatione item diligenter obseruandum, ne hos pampinos detrahamus qui cum ipsis uuis sunt.* Varro *autem libro 1. capite 31. pampinare esse ait, ex sarmento cõles qui nati sunt, de iis qui plurimùm ualent, primùm ac secundùm, nonnunquam etiam tertiùm relinquere, reliquos decerpere: ne relictis cõlibus sarmentum nequeat ministrare succum.* Spoliare *uitem pampinis pro eodem sumitur à* Columella *libro 11. capite 2,* Multi *(inquit) si pluuius est status cæli (sicuti in suburbana regione* Italiæ*) pampinis uitem spoliant, ut percoqui fructus possit, nec putrescere imbribus.*

Adumbrabantur autem econtrario uineæ, & tegebantur palmitibus, locis siccis, cálidísque & apricis, ad uuarum conseruationem: ne scilicet maximis æstibus consumerentur per cynocaumata, hoc est, æstuosos caniculæ cálores: quoniam plerunque dicti syderis tempore quædam regiones sic infestantur, Euro maximè flante, (quem incolæ Vulturnũ *appellant) ut nisi tegminibus uites opacentur, uelut halitu flammeo fructus uratur. Itaque si pa*

rum pampinosa uitis est, etiam aduectis frondibus, & interdum stramentis, fructus muniebatur. Tegetes autem supradictos, tegeticulas etiã appellat Varro: eásque cannabinas fieri solere suis temporibus ostendit.

Renouellare uitem dixit Columella *in libello de arboribus, pro resodere, reparare, & iterum nouam facere,* Renouueler la vigne.

Frondes ponere uinea dicitur Virgilio secundo Georgicôn, *cùm ante pampinationem frondescit, & ramos ac brachia sursum attollit*, Bourionner, Ietter bois, ou monter en bois.

Progemmare autem, siue gẽmare, cùm gemmas producit, & primos ueluti oœllos uere nouo ostendit. Columella *libro* 4. *cap.* 24. Bourionner, sortir.

Pubescere quoque eidem authori dicitur, cùm primam maturitatem adsequitur:

Hinc omnis largo pubescit uinea fœtu.

Retorrescere uerò uites dicuntur, quando non prosiliunt, neque adolescunt legitimo incremento, Auorter. Columella.

Repullulascere uitis dicitur, cùm resurgit & subnascitur, ac nouellis pullulis palmitibúsque exit. Repionner, reietter. Columella *libro* 4. *cap.* 24.

Repubescere item, cùm in pristinam pubertatem iuuentutísque florem reuertitur, Reuenir, Recroistre. Columel. *libro* 2. *cap.* 1.

Adminiculare uites, est eas adminiculis, hoc est, statuminibus & pedamentis fulcire. Monter les vignes. Plinius *lib.* 14. *cap.* 1: *Vites modici hominis altitudine adminiculatæ, sudibus hærent.*

Palare uineas, palis fulcire (unde maioribus perticis

ſuffultæ uites eleganter Varroni *dicuntur, ut auras non pertimeſcant) uel adiungere & ſtabilire, idem ſignificat quod ſuperius.* Tibullus:

Hic docuit teneram palis adiungere uitem.

Palus autem, lignũ eſt altera parte acutum, quod in terram defigitur, ad aliquid ſuſtinendum. Vn pieu ou eſchalatz.

Poſt palationem alligabantur uites, Lier les vignes. Columella, *Vineæ nunc palandæ ſunt & alligandæ, ne poſtea tumentes gemmæ lædãtur, & oculi alterentur. Cato autem nodare dixit, capite trigeſimo ſecundo: Vites (inquit) bene nodentur per omnes ramos, diligenterque caueto ne uitem præcipites, uel ne nimium perſtringas, hoc eſt, ne flagella ipſa decutias & deorſum reflectas, néue ſtrictius alliges quàm par erit: id enim præcipitare & perſtringere eſt.* Viere & uincire etiam Varroni & Columellæ dicuntur. Vnde etiam uimina ipſa, ligamenta appellantur. *Vinciebãtur autem antiquis uites ſparto (quam nunc geniſtam uocamus) inquit* Dioſcorides: *nos hodie ſtramentis utimur. Antiqui quoque uimina uitium ex rubo & arundinibus ac ſegmentis ſalicum faciebant ad colligandas uites, ut refert* Virgilius ſecundo Georgicôn.

Statuminare uites, idem quod pedare. Plinius *libro 17. cap. 22: Eodem modo uineam ſtatuminato. ſtatumina autem quid ſint, mox exponemus in pedamentorum generibus.*

Impedare quoque uel pedare pro eodem ſumuntur, Columella, *Cùm menſem triæſimum exceſſerit poſita uinea, id eſt, tertio autummo, uehemẽtioribus ſtatuminibus ſtatim impedanda eſt.* Pedare igitur, *eſt ſuſtentaculum uiti addere: ex quo uineæ pedatæ dictæ.* Plinius, *Aut pe-*

datæ uineæ simplici iugo. Colu. Putationem sequitur iam pedandæ uineæ cura. Vallare etiã dixit Virgilius in eadem significatione: & uallos posuit pro ipsis statuminibus, ut mox uidebis.

Iugari præterea uites dicuntur, cùm perticis tum rectis, tum etiam transuersis alligatæ, sursum ascendunt. Vineã (inquit Columella) inter quaternos pedes iugare, & perticis figere oportet. Sed quia nunc de iugatione & pedatione, atque adeò adminiculatione sermo incidit: æquum est, ut de ipsis iugorum & pedamentorum ac statuminum generibus pauca dicamus: inde uerò de instrumentis ad uinearum culturam uel fossuram commodis, etiam pauca quædam obiter explicabimus, priusquam ad uuarum differentias progrediamur.

PEDAMENTA.

Quibus stat recta uinea (inquit Varro) pedamenta dicuntur, hoc est, quibus ueluti pedibus nititur. Plinius, Castanea pedamentis omnibus præfertur. dicũtur etiam nonnullis pedamina.

Quæ transuersa iunguntur, appellantur iuga, unde uineæ etiam iugatæ, ut prius explicauimus. Iugationis autem species duæ: una directa, ut in agro Canusino (inquit Varro) altera compluuiata, in longitudinẽ & latitudinẽ iugata, ut in Italia pleræque. Cæterũ cantherius, dicitur ordo uineæ simplici iugo porrectæ. Melior autẽ est ea uinea (inquit Colu. lib. 4. capite 18.) ad uinum proferendum, quando sibiipsa non obumbrat, assiduóque sole coquitur, & afflatum magis sentit, pampinationi quoque facilior. dicta autem huiusmodi uitis etiam cantheriata

Columellæ

Columellæ libro 5. cap. 3.

Pedamentum robustum (inquit Varro) quod optimum solet afferri è quercu & iunipero, ridicæ appellatur. Est autem pedamenti genus fissile, sed tamen firmum. Columella: Ridicas querneas siue oleagineas findere, & dedolatas utraque parte exacuere oportet.

Alterum pedamenti genus fit ex palis è pertica decisis, quos (inquit Varro) cùm in fimum terra uolutur, putre quod est euertitur, & fit solum summum. Teres huiusmodi pedamentum est, & ex altera parte acutum, unde etiã palus dicitur. Palos (inquit Columella) una opera cædere, & exputatos acuere, centum numero potest. Vnde palare uineas, ut dictum superius.

Tertium pedamenti genus, fit ex arundinibus inopiæ aliorum pedamentorum subsidio. Solebant enim antiqui, aliquot colligatas libris arundines demittere in tubos fictiles cum fundo pertuso (quos cuspides appellant) quà humor aduentitius (inquit Varro) transire possit.

Quartum pedamenti genus natiuũ appellatur: nempe eius generis, ubi ex arboribus in arbores traductis uitibus uinea fit, quos traduces (inquit Varro) quidam rumpos appellãt. Vnde rumpotinæ arbores dictæ, nempe à quarum tabulatis, traduces utrinque ad alios traduces alligantur, ut in arbustis Gallicis fieri ab antiquis solebat: quæ arbusta ideo rumpotina uel rumpotineta, ab agriculturæ scriptoribus antiquis dicta sunt.

Statumina uerò, à statu arborum uel uinearum nomen habent, quòd pedamentorum & statuminum beneficio, uites quæ per se alioqui stare nequeunt, sursum erigantur, prout crescendo statum accipiunt rami. Vitruuius autẽ statumina & statuminationes, pro pauimentorũ soli-

dationib⁹: & ſtatuminare, pro munire & ſolidare poſuit.

Tigni præterea appellatione in uineis (inquit Vlpianus de tigno iũcto. l. 1.) omnia continentur quæ ad ſurrigẽdas, pedãdas, fulciẽdas, & ſtatuminandas uineas neceſſaria ſũt, ut puta perticæ, pedaméta, & cætera id genus.

Vallus, firmior palus etiam appellatur, cui alligatur ipſa uitis. Virgilius,

Exacuunt alij uallos, furcáſque bicornes. Idem,

Et uallos primus ſub tecta referto.

Vnde uallare deductum uocabulum, pro fulcire & ſtatuminare uites. Sed iam ad inſtrumenta culturæ uinearum commoda & propria ueniendum.

INSTRVMENTA VINEATICA.

Bipalium, inſtrumentum quo primùm terra ſubigebatur & ſubuertebatur, præſertim in iis locis, uel ea uinearum cultura, quæ aratrũ non admittebat, ut in conſtratis & pedatis ac ſurrectis uineis: nam iugatæ (præſertim quæ compluuiatæ erant) aratro facilius colebantur. Dictũ igitur bipaliũ quòd utrinque patulum eſſet, ut ab utroque latere palæ uicem præberet. Vulgus noſtrum uocat Vne beſche. Col. Mediocris & modicè ſiccus ager, uitiario eſt aptiſſimus, iſque bipalio prius ſubigi debet.

Pala etiam utebantur in cultura agri & hortorum, atque adeò uinearũ: nempe ad uertendum ſolum. dicta à pangendo (inquit Varro) mutata g in l. Pangere autem, figere eſt (inquit Feſtus) unde plãtæ pangi dicuntur, cùm in terrã demittuntur. Plinius lib. 18: Iuncoſus ager, uerti pala debet: at in ſaxoſo, bidentibus utendum.

Bidens uerò, aliud inſtrumentum ad uineæ foſſuram

aptum, à duobus dentibus appellatum, Houe fourchue. Columella: Bidentibus uineam ueterem sæpe & altè fodito æqualiter. Horatius:

Viue bidentis amans, & culti uillicus horti.

Pastinum quoque, unitoriũ aliud instrumentum, quo pãgebãtur semina, & scrobibus demittebãtur, Vne houe. Columella: Sed Iulius Attius, prætorto capite & recuruato, ne pastinũ effugiat, prædictum semen demersit. Vnde pastinare & repastinare uites, ut superius explicauimus.

Ligo, ad ablaqueationẽ utilis, uel etiã refossionem, & radicum detectionem. Dictus enim, quòd circũ ipsas radices ligetur & implicetur, Vn houyau. uel (ut inquit quidam) à legendo, quòd eo facilius legatur quod sub terra est propter latitudinem. Acutus tamen erat, & dentem habebat. Vnde Col. Vel fracti dente ligonis. Plinius: Adduxit graues ligones, uomeres ponderosos. Cæterum ligones, etiam omnium agrorum culturæ proprij & commodi erant, non solùm autem uinearum.

Merga, instrumentum, quo semina in propagatione mergebantur, unde nomen habuit. Plautus: Palas sibi uẽdundas & mergas datas ut hortum fodiat.

Marra, instrumentum ad excidendas herbas inutiles in uineis sponte sua resœntes: idque fit, cùm uineas iteramus. Vne bisnoere ou marre. Columella,

Mox bene cum glebis uiuacem æspitis herbam
Contundat, marræ, uel fracti dente ligonis. Iuuenalis:
Ne marræ & saracula desint.

Saraulũ autem, Vn sarclet, tam hortis, quàm etiam uineis purgandis utile erat, atque etiã segetibus: nã à sarriendo dictum est: quæ opera segetibus maximè impẽdebatur. Fiebat autem sarritio uineis post occationem. nam

(inquit Plautus) semper occăt, priusquam sarriunt rustici. Idem Truculento: -tangam, ita me amabit sarculum, Vt ego meruri iam examauerim patulum moueri.

Rastrum, instrumentum dentatum, quo utebantur rustici, dum glebas confringebant, & terram effodiebant in occatione. Virgil.

-rastris glebas qui frangit inertes.

Huic fortassis simile est quod nos uocamus Vn rateau. Col. Parum quod supereſt superioris soli, rastris licet effodere. Rastrum autem quadridēs posuit Cato inter instrumenta pratensia cap. 10. Rastellum enim diminutiuum, pratis tantùm proprium erat, quemadmodū etiam hodie: ac potissimum ligneum fuit. Columella: Medica obruitur, non aratro, sed ligneis rastellis.

Rutrum autem à supino rutum, quemadmodum ab aratum, aratrum, id est instrumentum, quo euertitur terra, diruuntur uel eruuntur inutiles radicæ, complanatur solū: nam id ruere significat, teste Seruio. Virg. 1. Geor.

Quid dicam iacto qui semine comunus arua
Insequitur, cumulóque ruit malè pinguis arenæ?

Cato cap. 11, Oportet habere uillicum, palas sex, rutra quatuor, rastros quadridētes. Inde Rutellū, diminutiuum à Lucilio prolatum.

Serrula, instrumentum ad desecandas & deturbandas radicæ post ablaqueationem, dum uitium radicæ inutiles expurgabantur. Vne siette. nam id falcæ aut dolabra fieri aptè non poterat. Columella: Quatuor digitos ab radicibus truncum relinquito, &, si fieri potest, iuxta aliquem nodum serrula desecato.

Falx uineatica Varroni & Catoni dicta, ad differentiam syluaticæ, pratensis, & arborariæ ac rusticariæ,

quæ postrema etiam falcula dicitur uulgò. Nam totidem sunt falcium differentiæ. Cæterum falx uineatica, instrumentum erat, quo uinitores putabant uites, & arida ac uetera in sarmentis amputabant. Columella: Falcæs quibus uineã putaueris, peracta putatione, ursino sanguine linito. Vne serpe. Cuius descriptionem, nostro instrumento ferè correspondentem, uidebis apud Columellam cap. 25. lib. 4. Itali autem runcam appellant, non omnino inepté. Nam & runca & rũcina sunt quædam ueluti serræ uel serrulæ apud antiquos, quibus & segetes & materias arborum desecabant.

Dolabra autem acuta utebãtur antiqui ad abradendum, ubi falcæ uinitoria amputare nõ poterant sarmenta propter duritiem. Columella: Arida & uetera in sarmentis, quæ amputari falcæ non possint, acuta dolabra abradito. Dolabella quoque, hoc est parua dolabra, in ablaqueatione illis erat utilis. Columella: Semper circa crus, dolabella dimouenda terra est.

Scirpicula, falx dicta, qua rustici utebãtur ad uites alligandas. Scirpare enim antiquis, ligare est, à scirpis, hoc est iuncis, quibus utebantur ad uineas alligandas: uel, ut alij malunt, ad superflua ligamentorum amputanda, dum alligamus uites. Varro: Falcæs dicuntur uineaticæ opus esse sex, scirpiculæ quinque, &c.

Terebra quoque ueteres utebantur ad inserendas uineas, quam Gallicam terebram appellabant: antiquam quoque uocat Columella. Nam antiqua terebra (inquit) in insitione, quam solam ueteres agricolæ nouerant, scobem faciebant, perurebántque eam partem quam perforauerant. Vn tarault. De terebella Gallica Cato, & Columella lib. 14. cap. 29.

Sed quãdo iam de culturæ instrumentis sermo est, maiórque culturæ uinearum ratio in extirpãdis herbis, quæ sponte in ipsis uinetis sucrescunt, uersatur: æquum est nos ipsas herbas paucis explicare, & earum nomina (quæ tamen pauca sunt) breuiter discutere: ut nihil sit in uineto quod diligens lector postea desyderare possit.

HERBAE VINETI.

Priusquam uuarum differentias & culturæ uinearum quædam antiquorum præcepta describamus: succurrit, ut herbas in uinetis nascentes paucis explicemus. Nequis autem putet, nos omnes propemodum species describere posse, nedum etiam uelle: sciat id quidem ex nostra sententia, tantùm abesse, ut omnium herbarum quæ in uinetis nascuntur, descriptionem moliamur, ut nihil minus quàm hoc instituti suscipiamus. Qui enim illud opus aggrediatur, omnes ex æquo soli differentias percurrat necesse est: quæ, ut sunt quidem uariæ, ita sane uarias herbarum species pro uniuscuiusque soli natura ac temperie producunt. Nos autem hoc loco tantùm eas, quæ in saxosis & sabulosis locis facilè crescunt (quæ quidem loca uineis amicissima sunt) exponemus: neque tamẽ omnes (nequis putet) sed tantùm eas quæ uineis peculiares uidebuntur. nam in saxosis & sabuletis multæ præterea sucrescunt herbæ, quas tamen in uinetis minimè reperias. Reliquas autem species herbarum, quas prætermittemus, unusquisque apud se in suo libello, hoc quidem ordine describet: aut, si id quidem malit, ex agro nostro, prato, atque adeò sylua expectabit. Sunt enim quædam plantæ uineis tantùm, aliæ agris, aliæ syluis, aliæ etiam

pratis cõmunes. Quæ uerò in utrisque propter soli differentias nasci uidebuntur: eæ tamen (ne cõfusius quiddam uideatur) suis sibíque propriis locis, à diligenti lectore requiri debebunt.

Incipiemus ab ea herba quæ nostris uinetis Gallicis frequentissima est, Græcis linozostis, latinis Mercurialis appellata, quòd à Mercurio primùm inuenta sit. De la mercuriale, ou mercuyre. Caule est sesquipedali, geniculato, in cacumine ramoso, muralis herbæ, uel ocymi foliis (quarum utranque in hortulo descripsimus) sed in ambitu crenatis: semine in articulis pendulo, sine flore, tenui radiæ & superuacua. Duo autem sunt eius genera. Mas humilior, folio nigriore, fructu propter geniculà rariore, breui, cõtorto, in binos ueluti testiculos cõeunte. Fœmina, cõmam albicantem gerit, fructum cõpiosum, solutum & candidum, quandam racemulorum imaginem præbentem.

Est & alia linozostis syluestris, cynia siue cynocrambe aliquibus dicta, in uinetis etiam nascens, cauliculum habet duorum palmorum, folia Mercurialis herbæ, subcandida, ex interuallis, semine apud folia paruo, rotundo. Officinæ nostræ syluestrem atriplicem uocant, Des arroches sauluaiges. Ea pauperes rustici interdũ, ut olere uescuntur, cùm melioris cõpia non suppetit: quidam enim putant syluestris bliti genus esse. Inuenitur in uitibus & cultis.

Alia herba in solo uitium inculto, & per uinitoris negligentiam herboso crescit, cui Latini graminis nomen dedere: Græci agrostin uocant. Cuius multas differentias, quæ ab authoribus efferuntur, hoc loco relinquemus, & in agrum nostrũ differemus. Est enim gramen arũdi-

naeum,& gramen Parnasi,& gramen esculẽtum. Huius autem postremi cùm tres rursus sint species, de eo tantùm dicemus, quod aculeatum dictum, in inculto uineto passim nascitur. Igitur gramen, à gradiendo appellatum, quemadmodum à serpendo serpillum: quãquam & omnis herba sponte in agris & pratis crescens abusiue gramen appelletur: hoc uerò de quo agimus, à Galeno gramen esculentum dictum: quòd eius radix adhuc tenera, mandendo sit, & pascuis esu iucundissima. Aculeatum autẽ à Latinis dicitur, quòd in eius cacumine aculei sint, plurimùm quini: qui quia ueluti caninis quibusdam dẽtibus simules adnati uidẽtur, ideo à nostris agricolis uulgò gramini aculeato nomen inditum, Canarius dens, Chiendent. *Burgundi uocant,* Du vigoron: *aut à radicis uigore, aut quòd ager, in quo gramen sponte serpit, uix unquam nisi maximo cũ labore expurgari possit. Aliqui è uulgo capriolã uocãt* De la cheurette: *antiquum Græcorũ nomen imitati, qui ægicon etiã appellauere (ut inquit Dioscorides) quòd capris grato sit pabulo. Multi ab effectu sanguinariam uocant (inquit Ruellius) Bononienses uulgò sanguinellam, quòd aculei foliorum quini seníue, in echinatum fastigium unà cõuoluti, nares farciant, eliciẽdi sanguinis gratia, cùm extrahuntur. Id si uerum est, certè dubitandũ non erit, quin eadẽ sit cum ea, quam Dioscorides alio loco coronopoda, hoc est, pedem cornicis, & sanguinalem uocat. Quam eandem Theophrastus libro octauo tradit, humi caulescere, numerátque inter aculeatas & sponte nascentes herbas. Apuleius cum Latinis, uocat crus galli, quòd stylus è mediis foliis exurgens, in pedem galli conformatus, articuletur, reliquam exhibens cruris effigiem. qua eadem ratione co-*

ronopus dicta. Itaque gramen aculeatum, crus galli, sanguinaria, hæc una & eadem herba erit, quæ coronopus Dioscoridi dicitur, uariis appellationibus ob uarias notas donata. Cæterum admonendi sunt uulgares herbarij, ne coronopoda appellent, quam solet coruinum, siue muluinum, aut auis pedem nominare: est enim potius ranunculi genus (inquit Barbarus) quod polianthemon cognominatur, coruino quidem pedi simile folium gerens, plurimis diuisuris, pustulas in cute solo tactu excitans, florem habens aureum & copiosum, radicem gustu admodum calidam & bulbosam. Coronopus autem siue gramen aculeatum, flagellis est teretibus, articulatis, exilibus foliis, & in acumen fastigiatis, radice etiam geniculata, gustu non ingratæ dulædinis. Vnde Galeno, existimatur commanducata prodesse cœliacis. Vitibus etiam frequētissima est, & eas maximè deuastat, in agro Carnutensi potissimùm: ea est herba quæ in nostris officinis uulgò pes coruinus dicitur. Carnutenses agricolæ id nomen imitati, uocant du courpieu. Errant qui coronopon esse putant. Est enim potius ranunculus Dioscoridis & Plinij, cui & ulcerariæ uires astipulātur, & picturæ nulla nota reclamat. Descriptionem ex ipsis authoribus petito: tam enim frequens est, ut alia descriptione non egeat.

Alsine quoque apud nos uitibus tam frequens, quàm quæ frequentissima herba: etsi alsine dicta (inquit Dioscorides) quòd lucis opacáisque gaudeat. Erumpit autem media hyeme, arescit æstate media, uita semestri contenta. Ea est quam uernaculo sermone uocamus du moron, quasi muraurem, uel potius muris aurem dicere uelimus. Nam etiam Græcis myosotis, Latinis muris auricula

prior dicitur: quòd nomen inuenit à foliis, quibus aures musculorũ imitatur. Passerinam Itali uulgò uocant, quòd passeribus amicissima & gratissima sit: hac enim herba aucupes, auiculas caueis inclusas, cùm escam fastidiunt, solent plurimùm recreare. Cauliculis serpit teretibus, articulosis, è quorum geniculis exiles ramuli prosiliunt, foliis helxines, minoribus (quæ herba in hortulo descripta est) nec tantùm hirsutis, flore paruo, candido, foris herbaceo. Falluntur mirum in modum qui hanc pro anagallidis specie sumunt, ut mox uidebis.

Cæterum alia est muris auricula, quæ myosotis altera dicitur, scolopendrio similis, læuior duntaxat & minor: quæ quia in syluis & lucis potissimùm crescit, huius descriptionem in Sylua nostra relinquemus.

Anagallis Græcis, uulgò morsus gallinæ, quia eius semen (quod est coriandro simile) non prius decidat, quàm à gallinis & auibus demorsum sit, & earum rostro concussum. Nonnullis morgellina etiam dicitur. Duorum generum est, discrimine floris & sexus inter se distinctorum. Fœmina enim, flore cæruleo conspicitur, mas puniceo siue purpureo, unde phœnicion & corallion dictum. hinc etiam compositio diacorallij apud mediços antiquos. Quadrãguli autem sunt anagallidis caules, per terram sparsi: & pauca, non toto ambitu rotunda folia. Semen coriani circinnatum, radix minuta, subdulcis. Itaque plurimùm hallucinantur, qui moronem uulgò dictum, florem candidum ferentem, huic anagallidum connubio retulerunt, ut uides tum ex hac, tum etiam superiori alsines descriptione. Plinius tradit anagallim quibusdam corchoron uocari, quod & Dioscorides asserit. Vnde prouerbium natum Græcis, corchorus inter ole-

ra: infrugales & indignos dictum, qui sua fortuna maiores sibi quærunt honores: ut quemadmodum humilis, nec palmum excædens herbula, inter nobiles uites & grandissima quæque olera sibi locum destinat & internasci gaudet: ita etiam hi gloriam inter maiores (quanuis infimi) clariorem quàm se decæat, quærũt. In alium tamen sensum detorsit Theophrastus libro octauo de plantarum historia. nempe in eos qui gratam uoluptatem suauioremque nonnullorum cõsuetudinem, qua frui possent, tristi uel amarulento cõuentu obturbant. quemadmodum (inquit) cõrchoros, quæ amarulentum succum gerit, neque ocymo maior cõspicitur: inter dulces tamen plantas & nobiles (quanuis minuscula) earum dulcedinem & nobilitatem offundere cõnatur.

Est & alia herbula, uites quoque amans, caulem & folia anagallidis ferens, florem interdum purpureum, interdum uiolaceum, paruum semen uituli narium simile: quin & eius fructus, excusso flore, uitulinarum narium rudimenta quædam exprimit. unde à Græcis antirrhinon siue anarrhinon dicta. radicem habet minimam & ferè nullam. Vulgò uocatur moron bastard. Picardis cate boyelle: ut ferè oculum catti exprimere uideatur. Non erit autem hæc anagallis appellanda, minus etiam myosotis, sed antirhinon, hoc est nares uituli: cum Discoride, aut cum Galeno, bucranion, hoc est, bubulum aut uitulinum caput.

Quæ Romanis fumaria, Græcis capnos siue capnion, hoc est, fumus dicitur (quòd quemadmodum fumus lachrymas oculis excitet, quibus tamen medetur) utibus etiam nostris frequẽtissima est æstate, potissimũ iis quæ recens, hoc est ipso eodémque anno sercoratæ sunt: nam

ex parte terræ aduſta maximè ſuccreſcit. Vulgus noſtrum, terræ fumum appellat, De la fumeterre. Herba eſt mollis, fruticoſa, folio coriandri, cineracei coloris, flore copioſo, purpureo, albicante radice, ſucco acri & amaro, qui oculorum caliginem diſcutit, & lachrymas in fumi modum elicit. in hortis, ſegetibus & uinetis maximè ſuccreſcit.

Eſt & alia capnos Plinio, in parietinis & ſepibus naſcens, nomine & effectu prædictæ ſimilis: uulgò que pes gallinaceus appellatur, Pied de geline. foliis paſtinacæ, apio ſimilibus, fœniculi modo per extrema multifidis, hiſpidiſque, cauliculo dodrantali, aut eo maiore, tenuiſſimis ramulis, ſparſiſque, candida in cacumine umbella, ſuauiter olente, flore ex purpura candicante.

Helxine quoque, quam parietariam uulgus uocat, uitibus frequentiſſima eſt, unde à multis uineago nominata eſt: quemadmodum perdicium à perdicibus, & urceolaris ab urceolorum detерſione. Sed huius deſcriptionem latiſſimam in hortulo noſtro fecimus, quapropter hîc iam non opus eſt ut repetamus.

Tertia item ſideritidis ſpecies, quæ uulgò uocatur Crapauldine, quam etiam Crateyas heracleam uocabat, in parietinis uinetiſque naſcitur: foliis ab una radice ſimilibus, caliculos ueſtientibus palmares, teneros, læues, ſubcandidos atque ſubrubicantes: flore paruo, puniceo, gummoſo, amaro. Niſi potius ea ſit quam Plinius deſcribit, quæ candidioribus, pinguibus, tenuibuſque cauliculis, in uuneis naſcitur. Primam autem ſideritim, quæ uulgò herba Iudaica, & tetrahil dicitur, in agro deſcribemus. Secundam uerò à Plinio deſcriptam, quæ uulgò lunaria maior dicitur, in Sylua noſtra exponemus.

Peplos, quam aliqui ſyœn, alij meœna, alij aphroden uocant, uulgò officinis eſula rotunda dicitur, Du reueille matin, inter uites (inquit Plinius) ferè colligitur, meſſibus: frutex eſt lactei plenus ſucci, foliis rutæ, paulò latioribus, circinnata coma, palmari, humi procumbẽtæ, fructu ſub foliis rotundo, tribus loculis diſcreto, in quibus ſemen nigrum, papauerini ſeminis magnitudine continetur.

Eſt & alia herba, peplis ſiue peplion appellata: à priore ſoli natura, & folio tantùm differens. Nam hæc folio eſt portulacæ ſatiuæ, rotundo, inferne rubenti, illa folio rutæ: ſed utraque ſemen habet rotundum, nigrum ſub foliis. Hæc præterea naſcitur iuxta mare: illa in uinetis tantùm. Cætera à doctiſſimis requires, & antiquiſſimis authoribus, non enim ſunt inſtituti noſtri. præterea fortaſſis ſublimiora uidebuntur, quàm ut adoleſcentulis noſtris proponi debeant.

Iaſone, Theophraſto & Plinio, olus eſt ſylueſtre, humi ſerpens, copioſo lacte ſucculentum, flore candido, & in hoc nobili, quòd ſingulari folio conſtet, ſed ita implicato ut plura uideantur, floris margine in angulos exeunte. Haud multum differre ab ea uidetur quæ in noſtris uinetis creſcit: quam noſtri ruſtici per æſtatem & autumnum colligunt ad cuniculos educandos: iis enim mirum in modum placet, & gratiſſima eſt, quemadmodum & braſſica. Vaccis quoque & bubus eſui porrigitur. lacæronem ſiue lacærotam appellant, Du laceron, niſi quis potius ſonchum eſſe putauerit, qui uulgò lacteronis, à lacte quo diffluit potius, quàm laſſeronis nomen habere debuit. Sed alia eſt prorſus ab Iaſone, ut ex Ruellij noſtri deſcriptione uidebis.

Illecebra Plinio, Græcis andrachne agria, nonnullis

minus semperuiuum, recentioribus soldanella: sylvestris portulacæ genus est, maiori semperuiuo similis, nisi quòd folia habet pusilla, sed latiora, maculosáque, item breuius caacumen, fuluis cauliculis, gustu salsa est, lacteo succo, radice tenui, candida. Nascitur in petris & uinetis optimè stercoratis. Colligitur cibi gratia, estúrque cum ficubus. Similis est ei, quam uulgus uermicularem, & caudam muris appellat, in muris, parietinis, & tegulis nascentem, sed ea quidem calidi est succi, ac gustus mordacis, ut linguam uehementer pungat: hæc uerò frigida, ut in acetariis passim edatur, & in hortis excolatur: sed pusillis est (ut diximus) & latioribus foliis, & breuiori caacumine. nascitur in uinetis petrosis, qualia sunt & quæ Vamuiana uulgus nostrum appellat. Audiui certè nonnullos hortulanos nostros, huic illecebræ satis impudicum nomen imposuisse: uocabant enim illi testiculos sacerdotum.

Cæterum, quando de portulaca iam incidit sermo, sciendum est etiam ipsam portulacam, quæ Græcas andrachne dicitur, sponte sua in uitibus passim crescere, & ternis quaternísque caliculis in terram sessilibus serpere, altámque latius enagari: folio carnoso, uerùm turbinatiore, quàm quæ hortensis est: de qua in hortulo uidebis suo loco. Vulgus hãc, porcellanam, De la porceleine, item etiam porpierum, Du pourpier, uocat. Cuius condiendæ rationem uideto diligenter apud Ruellium. de portulaca autem aquatica, in Prato dicetur.

Telephium, herba portulacæ similis, caule & foliis: nascitur etiam maximè inter uites, & locis uerè exultis (inquit Dioscorides.) Alas binas in singulis foliorum geniculis annectit: ramuli ipsi plantæ ab radice seni, septeni-

ue fruticant, foliis referti cæruleis, crassis, lentis, carnosis, flore luteo, interdum etiam albo. Dicta (ut opinor) à Telepho Mysiæ rege, qui uel eam inuenit, uel ab Achille uulneratus, hac herba conseruatus fuit: dici enim non potest quantum conferat ulceribus consolidandis & sanandis. unde Gallis nostris uulgò uocatur De la reprinse: aut quòd muro etiam applicata, & sola argilla ad radicem illita, iterum pullulet, & florere non desinat. Inde etiam semperuiuum agreste nonnulli appellauerunt, aut uineaticam semperuiuam. Alij etiam uulgò cicotrinum uocarũt, Du cicotrin. Neque desunt qui crassulam minorem uocent, quòd crasso pinguique constet folio. Quidam etiam appellant uulgò, De lorpin, à floris colore fortassis. Herbarij quidam, fabam inuersam nominant, quòd eius radix in numerosa fabarum tubercula coalescat. Atqui quẽadmodum fabaginum cacumen pluribus fabis onustum conspicitur: contrà autem est in hac radice, nempe cuius imum innumeris ueluti fabarum tuberibus scateat, itaque inuersam fabam appellarunt.

Psora Aëtio, herba, uel à scabro habitu dicta, uel quòd ei scabiei medeatur quæ psora dicitur, uulgus morbum sancti Menani appellat, La maladie sainct Main. in montibus ac uinetis crescit (siquidem ea est quæ uulgò scabiosa dicitur, De la scabieuse, quod uerum esse putat Ruellius.) folio carnoso, multifido, sine spinis, flore speciosso, diuturno, coloris ex cæsio candicãtis: foliis longis, à pediculo laciniatis. Cæterum an scabiosa ea sit quæ Theophrasto phlœos dicitur, an ea quæ Dioscoridi stœbe, uide to apud Ruellium lib. 2. cap. 45.

Conuoluulus, improbo caulicalorum reptatu, uineam nouellam irretit, hederæ foliis, longè minoribus, & ferè

in mucronem turbinatis, ſcanſili ordine alternis ſubeuntibus: flore (cùm pubeſcit) candidi lilij effigie: cùm ſeneſcit, in puniceum uergente, rugatóque: ſemine anguloſo, nigro, nec per ſe innocenti. flos ab anguſtia paulatim in latitudinẽ ſe laxat, effigie calathi, uel cymbali cuiuſdam: unde uulgus campanulam, ſiue campanellam appellat, Des clochettes. Is flos (inquit Plinius) lilio non eſt diſſimilis, ſed odore caret, & croci intus candorem tantùm referẽs, ut ueluti rudimentum quoddam naturæ uideatur, lilia facere condiſcentis. Vnde officinis liliaſtrum dicitur, item etiam uolubilis maior. Columella uolucram appellat, alij muolucrum. Ruſticis quibuſdam appellatur, Du liſeron, aliis, Du liſet. Inuenitur in uineis, aruíſque. Eſtque clematis altera Dioſcoridis, nam primam, & item tertiam in agro deſcribemus.

Ariſtolochiæ quoque ſecundum genus, in uineis noſtratibus paſſim inuenitur, quanquam etiam nonnunquam inter ſegetes. Ea uocatur officinis Ariſtolochia longa, à radicis forma, quæ hoc à priore differt, quòd longa ſit, & promuſſior, craſſitudine digitali, longitudine quadrantali. piſces enecat. procerioribus quoque eſt foliis, exilibus ramulis, dodrantalibuſque: flore purpureo, graue uirus olente, qui cùm dehiſcens emicuit, in baculam pyro conformẽ turbinatur. Hæc uerò maſcula Ariſtolochia dicitur, uulgò de la Sarrazine. Prima uerò Ariſtolochia, rariſſimè apud nos reperitur. Certè in agris Patauinis inter ſegetes uidi multoties, eam primùm mihi oſtẽdẽtæ Franciſco Frizimelegæ, uiro inter Patauinos medicos facile principi, & de re herbaria quamoptime merito. Ea, fœmina dicitur, longioribus uticulis fruticoſa, foliis hederæ, rotundantibus: cum acrimonia odoratis, & mollibus,

flore pileoli similitudine, candido, rubrum ambiente capitellum: fructu rotundo, herbaceo, luteisque teniis uirgato, grauem spirante odorem. Latini malum terræ appellãt. ei uerò radix in orbem rapi modo conglobata, & multis tuberibus orbiculata conspicitur, unde Aristolochia rotunda appellata est. Tertium assignatur Aristolochiæ genus, quæ clematitis quasi sarmentaria (inquit Ruellius) cognominatur, tenuissimos fundens ramulos, frondosósque, foliis rotundis, semperuiuo minori similibus, flore rutaceo, radicibus longissimæ tenuitatis, crassi & odorati corticis, priuatim unguentis pro spissamento quæsiti. Quinetiam omnes Aristolochiæ species, radiæ tantùm commendantur, quibus medicatus spiratur odor. Cæterum, dicta Aristolochia, quòd partui sit optima. Cicero tamen primo de natura deorũ, dictam putat ab Aristolocho inuẽtore.

Tertium præterea lapathi, seu rumicis genus syluestre, aliud ab hortẽsi & aquatico, in uinetis nostris persæpe nascitur, paruum id quidem, plantaginis figura, molle, humiliter fruticãs: acidula uulgò, aut minuta oxalis dicitur, De l'aigrette, ou menue ozeille. sunt qui uinetam appellant, De la vinette, quòd fortassis in uitibus passim nascatur, & sabulosis ac petrosis locis. Cætera lapathi genera in horto uidebis.

Ampeloprasson, porrum uitium, uel in uitibus nascens & agreste, quasi uitigineum porrum dicitur: quòd in uinetis sponte proueniat. Tantùm à porro, Galeno dissidet, quantùm in congeneribus, syluestre à satiuo. caule prosilit biubitali, foliis porraceis, sed angustioribus, flore candido, radiæ bulbosa. nostrates officinæ, uineale porrum appellant. Sunt & quibus cæpe caninum, & aratillus uernacula uoce dicatur.

Denique uerò Strychnon, etiam passim in nostris uinetis per autumnum sponte sucreſcere conſpicitur. Vulgus maurellam uocat, De la maurelle. Officinæ, ſolatrũ. In hortis quoque & ſatis omnibus prouenit: ramoſum, foliis ocymo latioribus, acinis racematim cœuntibus, rotundis, primùm uiridibus, à maturitate nigellis aut rutilis: flore purpureo, ſpecioſo, ex cuius umbilico lacens emicat apex. A multis nationibus eſtur in olere: noſtris autem, ſtillatitius ſolani liquor omnes ferè incandeſcentis ardoris inflammationes extinguit. De ſolatro autem, ſiue ſolano ſoporifero, & mortali quod uocant, in Sylua dicemus: nam montium herbas eo in loco deſcribere ſtatuimus.

Sed in herbis uineaticis, uereor ne longiores ſimus. potuiſſemus enim unà polygonati, plantaginis, ſaxifragiæ, heliotropij, cærduorum, & multarum huiuſcemodi herbarum differentias perſequi. Sed quando hæ paſſim in itineribus uarũ, & agris publicis creſcunt, in agrum noſtrum differemus. Veniamus nunc ad uuarum differentias, deinde uerò præcepta quædam antiquorum de uitium cultura: ac poſtea uitium morbos & remedia paucis percurremus.

VVARVM GENERA.

Abſolutaiam uitium conſerendarum ratione, earúmque differẽtiis longo ſermone enumeratis, ſupereſt nunc, ut de earum fructu nonnulla etiam dicamus.

Vua igitur à Græcis ſtaphyle dicta, à Staphylo, Liberi patris filio, ut Ptolemæus uoluit: unde etiam elæoſtaphylos appellata uua, quæ oleæ inſerta, utriuſque fructus ſaporem ori reddebat: quaſi uuoleam dicas (uuam etiam

poetæ quidam Græci Lenida uocant: nam & Lenæus Bacchus dicitur.) uitis integer fructus est, quam uulgus nostrũ appellat, Vne grappe de raisin. Columella: Nec tamen eam uitem feracem dixerim, cuius singulæ uuæ, singulis sarmentis conspiciuntur. Qui autem ueluti baculus uuam in sarmẽto sustinet, scipio ab agriculturæ scriptoribus appellatur. Nostri caudam uuæ uulgò uocant, La queue de la grappe. Columella de arboribus: Cùm scipiones (inquit) amplitudinem acini habuerint, radicetenus uitem præcidito. Loquitur autem de emundatione uitium, quæ fructum, quem ostendunt, ad maturitatem non perducunt. Cæterum etiam Virgilius, uuam pro uite licentiosè posuit, hoc uersu:

Et turpes dumbus prædam fert uua racemos.

Nisi quis malit dicere racemos pro acinis positos, qui quid sint, mox explicabimus. Sumitur & uua pro apiũ examine congregato, quòd in ipso alueo ad uuæ similitudinem depẽdet, uel etiam super odoratis arboribus. Columella: Cùm examen glomeratum in proximo frondentis arbusculæ ramo consederit, animaduertito an totum examen in speciem unius uuæ depẽdeat. Appellatur quoque uua in hominis corpore, siue uuula (ut quidam malunt) quæ inter tonsillas ultimo palato depẽdet: sub qua est minor lingua, quæ dicitur epiglottis: ita dicta, quòd ad similitudinem uuæ interdum intumescat. Plinius: Quæ inter tõsillas uuæ nomine, ultimo depẽdet palato, homini tãtùm est. sub qua minor lingua, quæ Græcis epiglottis dicitur.

Racemus quoque Græcis botrys, siue botrus, uel botryon dictus, pro uua accipitur, Vn raisin: neque tantùm ipsius uitis est, sed etiam hederæ, & aliarũ herbarum aut fruticum, uuas quasdam producentium. Plinius de

hedera: Aliis denſus acinus, & grandior racemus, in orbe circumactus. Vide ut ſparſum racemum pro non coacto & denſo, raróſque acinos habentæ dixit. Hinc racemoſus & racematus, adiectiua. item racemarij malleoli, ſiue pampini à Columella libro tertio, cap. 18, appellati, infœcundi, & minus feraces. Inde etiam racematio, racemorum uindemia, quam uulgus noſtrũ uocat, Grappage: quemadmodum in meſſibus peractis ſpicilegium, Eſpiage. Quimetiam dictione Græca uſi ſunt Latini, botryonem pro racemo dicentes. Martialis,

Nec dignam toto te botryone putat.

Eſt & botryon, medicamentum Plinio lib. 28, quod ex racemis (ut ille inquit) uinearum componebatur.

Imò etiam botrys, eidem authori, frutiçoſa herba eſt, luteis ramulis, circa quam totam ſemina racemulis quibuſdam ſimilia naſcuntur, folio cichorij. Hanc (inquit) Cappadoces Ambroſiam uocauerunt. Eam uerò putat eſſe noſter Ruellius, quæ Auguſto & Septembri menſe uenalis per urbem apud nos defertur, Pariſienſibus matronis melius quàm officinis, aut herbariis nota: hanc enim odoris gratia, ueſtimentis, pannis, & linteis curioſè interponunt, ut odoris ſuauitatem cõtrahant. uocant autem uulgò, Du piment royal. Niſi quis malit, Pigmẽt, dici debere, quòd ex ſe pigmentarij inſtitoris uicem præbeat unguentum. Nam ſi prægnans ſuo liquore prematur, in gummi lentẽſcit. Cæterum herba ipſa facie frutiçoſa conſpicitur, luteis ramulis, ex interuallo brachiatis, foliis cichorij, odoratis, erumpentes paſſim ſemine, in racemulos collecto, quod per maturitatem gummoſo lentore pellucet, cœuntibus fulgore auri ſimul acinulis: unde nomen Græcis datum. Redeamus ad unam.

Acinus, siue acinum, id in uua dicitur quod uulgus nostrum granum appellat, Le grain du raisin. Neque solùm ipsius utis uuæ, sed & hederæ, sambuci, ebuli, mali punici grana, acinorum uocabulo cõtinentur. Varij generis (inquit Columella) coloríque reperiũtur acini. Idem: Vbi satis cõrugata erunt acina, demuto. Rugosa quoque acina libro duodecimo, capite quadragesimotertio uocat, Grains fennez. Hinc acinaceus adiectiuum, quod ex acinis fit, ut uinum acinaceum, de quo postea. & acinosus, quod multos habet acinos, ut acinosa uua. Columbinæ uuæ (inquit Plinius) omnium acinosissimæ. Quid autem inter se bacca & acinus differant, uideto apud Vallam diligenter.

Acini (ut Galenus testatur) quatuor partibus constant: carne, humore (qui uinosus est) nucleo, membranosa cute, qua cõteguntur. Nucleos autem, quos Plinius uocat libro 23. cap. 1, Græci γίγαρτα uocant: quidam Latini semina, alij uinacea, ut Cicero & Columella. Naturalis (inquit) maturitas uuæ est, si expresseris uinacea, quæ acinis celantur, Les pepins. Vuarum autem acini differunt inter se, callo, teneritate, crassitudine, interiore ligno, aliis paruo, aliis etiam gemino, qui minimè feraces sunt musti. Membranosam autem acini Varro libro secundo, folliculum uocat, La cote du grain. Scapum autem uuarum idem author appellat ramosum id quo ipsi acini in uua dependent: quibusdam tamen propriè racemus existimatur dici debere. Quæ calcatæ (inquit) uuæ erunt, earum scapi cum folliculis, subiiciendi sub prelum. Columella pedem uinacei, pro acini pediculo (ni fallor) sumpsit libro duodecimo, capite quadragesimotertio: Tum, inquit, uinaceorum pes bene prelo expressus prorumpitur.

Acini præterea uocabulo, ut omnia diligenter persequamur, herba quædam appellata est, quæ ocymastrũ etiã Latinis dici potest. est enim sylvestris ocymi genus, & planè ocymum imitatur, unde à quibusdam sylvestre basilicum appellatur, Du basilic sauuage. Plinius, acinum & coronarum causa & ciborum serere AEgyptios tradit, eandémque esse, quæ & ocymum dicitur, nisi hirsutior ramis & foliis esset, & admodum odorata, æquinoctio nascens. Theophrastus, unde Plinius hæc mutuatus est, epimetron uocat, nunquam etiam florere scribit. Acinos uocatur Dioscoridi. Sed iam ad uuarũ differẽtias.

Vua œnanthe dicitur, quam uites sylvestres ferunt, hoc est, labruscæ. colligitur cum flore, tum enim optimè olet. siccatur in umbra, substrato linteo, atque in cados conditur, inquit Dioscorides.

Vua apiana, Græcis sticta dicitur. Sunt qui muscatelam uulgò appellent, ab apibus, quas muscas uulgò dicimus, quod huiusmodi uuarum genere plurimùm delectentur apes, Des muscadeaulx.

Vua passa, Columellæ etiam arida, Græcis astaphis, à patiendo dicta: uel quòd in rugas siccata contrahatur, uel quòd inter siccandum, & dum intorquetur, multa patiatur: unde Plautus passam frontem, rugosam & flaccidam appellat.

Vua autem passa quo pacto fieri soleat apud antiquos, uideto Plinium, libro uigesimotertio. Cæterum una passa, uulgò passula dicitur: fitque apud Italos & Hispanos frequenter, intortis racemorum pediculis, dum in uite sunt. quod in Gallia fieri usqueadeò commodè non potest, propter ardores solis mitiores.

Vuas semimetas uocat Columella, semicaducas, & quæ

præ nimia maturitate periclitantur, aut citò corrumpi, aut euanescere, libro decimo, capite decimosexto. Alij (inquit) foliis uitigineis, nonnulli plataninis uuas seminuetas contegunt, & ita in amphoras recondunt.

Vua conditanea & conditana, quæ uel in ollis (unde ollares etiam uuæ appellatæ Columellæ) uel in sapa, uel in dolia uinaceorum plena, uel in palea, uel in piscinam picatis amphoris, uel in marinam aquam feruentem, uel muriam permisto uino mersa, & deinde super hordeaceis paleis expansa, seruatur: his enim modis apud antiquos seruari uuæ solebant. Quidam etiam cinere uitigineo, uel ficulneo lixiuio, uuas tingebant, mox in sole siccabant, tum inuolutas paleis stipabant, ut melius adseruarẽtur. Mille præterea alias rationes uuarũ cõseruãdarũ, à Ruellio nostro elegãter congestas, & ex antiquis authoribus trãslatas uidebis lib. primo de natura stirpiũ.

Vua pensilis, dicta quæ ad diuturnitatem de solario suspendebatur, uel etiam tabulatis, ad escam. Quidam in granariis protinus excerptas uuas suspendi iubebant, in quibus frumentum uannis agitaretur: quoniam optimo sit operimento pulus insidens pensilibus uuis.

Vuæ quoque à colore nomen acceperunt, ut aliæ nigræ, quas nostri uocant, Des nigriers: item etiam purpureæ, siue sanguinales Columellæ dictæ: aliæ albæ, Raisins blancs: aliæ fuluæ dicantur. Eas autem postremas nostri rustici à frumentaceo colore, frumentaceas appellarunt, Des frumenteux. Cæterum Diophanes scriptum reliquit, nigras uuas potẽtius unum fundere, albas medium, fuluas nigris suauius. Humida loca de uua alba (inquit Columella) sicca de nigra inserito.

Vua miscellanea, uel miscella, Catoni & Columellæ,

quæ mixtum saporem habet inter dulcem & austerum, Mesliers. Varro: Nam & præcox, & miscella, quam uocant, nigra multò antè coquitur. Miscellæ autem uites Catoni dictæ, cap. 6, quæ in quouis agro positæ, optimè proueniunt.

Vuæ præciæ Virgilio, 2. Georg. dictæ, quæ antè alias matureſcunt, Haſtiueaulx. Præcoquas uocat Columella libro 12. cap. 37, Vuas præcoquas quammaturiſſimas legito. dicta autem præcoqua, quòd ante alias coquatur. Coqui enim uuæ uel fructus peculiari uocabulo ab agricolturæ ſcriptoribus dicuntur, cùm matureſcunt.

Vua acerba, ſiue peracerba, dicitur priuſquam matureſcat, Veriuſt de grain. Cicero de Senectute: Primò uua eſt peracerba guſtata, deinde maturata dulceſcit. Columella: Ne acerbæ uuæ cum maturis demetantur.

Vua lageos Græcis dicta, quæ Latinis leporaria, quòd ea plurimùm delectentur lepores. hi enim tempore maturitatis uuarum, uites potiſſimùm inhabitant. Dulcis quidem hæc eſt, & crebrum ſapore feriens. Vnde Virgilius ſecundo Georgicorum:

-tenuiſque lageos,
Tentatura pedes olim, unctur dque lmguam.

Vua briſſa, antiquo uocabulo tunc dicitur Columellæ, cùm pedibus calcatur ad exprimendum uinum, Raiſin foullé & eſcaché ou briſé.

Vua ſerotina, ſiue etiam cœrda, antiquis rei ruſticæ ſcriptoribus dicta, quæ ſerò matureſcit: qua etiam ratione fœnum cœrdum, & frumenta cœrda Catoni dicuntur, Raiſins derniers meurs & tardifs.

Vua duracina, quæ acinos fert folliculi durioris, quàm aliæ. Nam ab acinorũ duritie nomen illi inditum,

Raisins a la cote dure. *cuiusmodi sunt quæ uuæ dicuntur uulgò*, Des samoyreaulx. *uide to* Columellam *&* Plinium.

Vua bumastos, *quæ crassa est, & oblonga in mammæ bubulæ similitudinem: id enim nomen solent* Græci *suis rebus imponere, cùm magnas eas, & amplas significare uolũt. Huiusmodi sunt, quæ uulgò uocantur*, Des gouez. *Nõ solùm enim uuas, sed etiam acinos ipsos præter modum amplos habent & crassos atque oblongos.*

Dactylos quoque uuas, *ab acinorum forma uocauerunt antiqui: quemadmodum etiam pruna dactylina (ut in seminario diximus) quòd prælongis acinis porrecta, digitalem quandã longitudinem referrent, unde etiã palmæ fructus nomẽ accepit. Itaque dactylinæ uuæ,* Columellæ *erunt, quæ hodie uulgò dicuntur*, Raisins au grain long. *Heluolæ uuæ, à colore appellatæ, quòd inter purpureas nigrásque insignes essent, medio sæpius uarianæ, & ob id* Varianæ *etiam dictæ* Columellæ *lib. 3. Heluolus autem color, inter rufum & album medius ab antiquis dictus est, unde heluolum uinum appellatum.* Vin demy roux.

Cæterum uariari uua *dicitur antiquis agricolis*, Tourner, *cùm colorem accipit, & iam incipit maturescere.* Columella: *Simulatque uua uariari cœperit, fodito tertiam fossurã.* Cato: *Vbi uinea uaria fieri cœperit, uites subligato, pampinatóque.*

Vua lanata, *à lanugine nomen accepit, qua ipsi quidem uuarum acini obducti apparent.*

Vua taminia (*inquit* Festus) *syluestris generis est, dicta* Verrio, *quæ tam mira sit, quàm est minium.*

Agigarton, *genus uuæ appellant* Græci, *quod sine in-*

terioribus seminibus, uel granis, aut uinaceis, qui in acinis cõtinentur, artè nascatur. Id uerò fieri ostendit Columella, cùm malleolum ita scindimus, ne gemmæ lædãtur, medulláque omnis eraditur, &c.

Venucula item, siue uenucula, aut uenicula uua, antiquis etiam ollaris dicebatur: unde Horatius,

Venucula cõuenit ollis.

Sed de his uuarum generibus in uitium differentiis, tam abunde disseruimus, ut nihil hîc præterea iam exprimere posse uideatur. Illic enim quid inerticula, aminæa, eugenia, fæcinia, argitis uuæ significent, planè reperies.

A patria quoque multæ uuarum species nomen acceperunt, quemadmodum & uites quoque, de quibus suis locis abunde diximus: hinc Rhodiæ, Libycæ, Nomentanæ uuæ appellatæ. Hinc etiam hodie uulgò Burdegala uua dicta, Bourdelaz, item etiam Rupellana, Rochelle: quòd ex iis patriis uiuiradiæs in nostrum usum translatæ, optimas uuas, & à nostris diuersas tamen, uinúmque generosum ferant. Sed iam ad præcepta quædam ex antiquis authoribus collecta de uinearum natura, & apta positione ueniendum: ut inde nostri cõdiscant, quãtum ab eorum more, atque adeò uera cõferendarum uitium ratione recedamus.

VINEARVM POSITIO, AC CVLTVRA.

Hoc igitur de uineto & seminario uitibus cõsito obiter & succinctè recensebimus. Primùm non esse quidem id mirum, si Rupellanæ aut Burdegalæ uiuiradiæs, item etiam Belnenses, aut aliunde translatæ, apud nos usqueadeò prosperè non succrescãt: neque uerò unum adferãt

æquè generosum, atque id quod in ipso natali solo cõligitur. Quandoquidem quæ è longinquo petuntur semina aut stirpes (inquit antiquus agricola) parum familiariter nostro solo proueniunt. Inde fit ut difficilius conualescant, quæ ab exteris regionibus adferuntur. Optimum est igitur, eodem agro, quo uitem dispositurus es, uel certè propinquo (inquit Columella) seminarium facere: ita enim scies cuius generis uites positurus sis.

Ad uinetum præterea cõserẽdum, multùm refert naturæ loci cõsideratio: ut si plantas ex loco sicco in humidum trãsferas, & ediuerso, plurimùm certè interest: neque uerò ita positæ uineæ, prosperè unquam sẽ habebũt, nisi prius ipsas assuefacas (ut inquit Columella de arboribus) ei solo, ad quod eas ordinare postea uoles.

Cæterum locis pinguibus, planis, & humidis, præcoquas uites serito. Locis autem aridis, macris & siccis, uitem serito natura feracem, & ualidam.

In agro requieto uineam ponito: & qui optimè repastinatus sit. In eo autem loco, in quo uineam ordinaturus es, si facere seminarium uoles, tribus pedibus altè repastinabis iugerum operis triginta.

Agrum antequam uineis obseras, explorato qualis saporis sit: talem enim gustum etiam uino præbebit, qualem saporem ori referet. Huius autem saporis explorandi rationem elegantissima methodo tradidit Columella libro de arboribus: quem locum ut diligenter uideas, moneo. Hinc mirum non est, si stercorationem in uitibus plurimùm damnemus, quando neque antiquis agricolis unquam in usu fuit, & à negligenti uitium aratione, aut potius agricolarum impostura reperta sit. Quî enim fieri possit, ut uitis multùm ac diu stercorata, stercus

etiam & fimum redolens, uinum non proferat? Atqui profectò uix hodie Parisiis optimum uinum (uernaculum quidem intelligo) bibas, quod non fimum resipiat, quod etiam facillimè & citissimè non corrumpatur. Quin neque etiam hodie diuturnas uitæs amplius uidemus, aut magnæ uetustatis uina: citissimè enim consenescunt, ipso fimo senectutem, quemadmodum & maturitatem, & fructus ubertatem, plurimùm accelerante.

Hoc unum tantùm subiungemus, ut simus breuiores de soli natura. Sabulum cui subest dulcis argilla, uitibus admodum prodesse.

Omnis præterea qui per æstatem finditur ager, uitibus arboribúsque mutilis.

Montibus cliuísque difficulter quidem uineæ conualescunt: sed ubi semel conualuerunt, firmum probúmque uini saporem præbent: ut hodie excellentissima uina, ex collinis locis ad nos ueniant, & maximè probentur: qualia sunt, Aynia, item Hardreana, quæ uulgò dicuntur: pleraque etiam huius notæ, de quibus suis locis abunde.

Humidis & planis locis, robustissimæ uineæ nascuntur, sed infirmi saporis uinum præbent, nec perenne faciunt. Quapropter ubi humidus est locus (inquit Varro) altius attollēda uitis: in partu enim & alimonio, uinum potius solem quàm aquam quærit.

Locis aridis & cliuosis curādum, ut altius uites deponantur, quàm humidis & planis.

Vitis præterea quam positurus es (inquit Columella) fac ut orientem spectet, adminiculo religata: néue tibi ad solem (inquit Virgilius) uergant uineta cadentem.

Hæc breuibus attigisse sit satis, quod ad uitium antiquarum præcepta & naturas attinet: plura qui uolet,

ex antiquis ipsis agriculturæ scriptoribus (quorum libri his placitis omnino scatent) desumat: non enim hoc loco tam ipsarum uitium naturam & culturæ rationem ac disciplinam, quàm uocabulorum significationes & interpretationes molimur. Veniamus iam ad uitium morbos & remedia, ut nihil intactum relictum à nobis quisquam iudicet.

VITIVM MORBI.

Peculiaris (inquit Barbarus) uitis morbus, à Græcis tragos, à Latinis hiraulus appellatur: nempe cùm importuno uento germina à uitibus abscinduntur, uel cultorum imperitia oblæduntur. Rustici nostri uulgò, Rõpre ou greuer la vigne *dicunt: neque id quidem impropriè. Articulationem eleganti uocabulo uocauit Gaza, quòd uitis in ipso articulo potissimum lædatur. Inde uerò hiræssere siue hircire dicuntur uites ab antiquis scriptoribus, cùm infœcundæ propter articulationes oblæsas redduntur, quoniam (ut inquit Aristoteles) hircus animal pinguedine sterilescit.*

Rubigine quoque laborant uites, cùm propter nimia frigora uerni temporis, post cõtinuos imbres exarescunt, & nescio quid rubiginis post imbres, à frigore sarmentum alterantæ contrahunt, quẽadmodum & segetes: nostri rustici uocant, Geler en bourre. *Vnde Rubigus deus, & Rubigo dea, quam antiqui huiuscemodi morbis ingruentibus inuocabant. Id uerò uitij, ne uitibus contingat, & uineam uexet, palearum aceruos uerno tempore (inquit Columella) inter ordines, cùm frigus contra temporis consuetudinem intellexeris, incendito: ita fumus*

nebulam & rubiginem remouebit.

Crambo uuæ ipſæ & pãpini laborant (inquit Hermolaus) qui ſimilis rubigini eſt, nempe ſole poſt humores longos, inſequuto uehementi.

Niuatio ſiue roratio appellatur, quoties racemus à niue uel rore infeſtatur, dum defloreſcit, & adhuc tenerrimus eſt. Vulgus noſtrum uocat, Couleure: nempe quoties uua deflorentæ, uel nixerit, uel ros frigidior aut pluuia acinos infeſtarit: peſſimum enim (inquit quidam) uitibus fuerit malum, ſi defloreſcenti ſuccæſſerit imber: nam tunc quidem labilem imbecillitate fructum facilè præcipitat.

Exacinationẽ Latini uocant (inquit Barbarus) Theodorus autem exuperantiam, Græci citroſin, cùm ab uuis uel racemis defluunt acini: uel per nimios imbres, aut uentorum concuſſiones, aut magis grandines: uulgus noſtrum uocat, Eſgreneure ou grefleure.

Ipes appellamus uermes in uitibus naſcentes auſtrinis flatibus.

Volucra, inſecti genus, tenellis pampinorum foliis inuolutum, ipſa quidem prærodit: nonnullis uoluulus, aut uoluox, Plauto etiam conuoluulus dicitur. Quod ne accidat (inquit antiquus agricola) falcæs, quibus uites putantur, ſanguine hircino oblini debent: uel quoties falx acuitur, pelle fibri aut caſtoris acies in putatione detergi debet.

Vites quæ ſecundum ædificia ſunt, à ſoricibus & muribus infeſtantur, interdum etiam eæ quæ in mediis agris. Eos autem ſoricæs uidimus, roſtrum acutum, exporrectum quidem, admodum habentes, & pilis oblongis in morem felium onuſtum: uenenatos quidem eos, tum ipſo

morsu, tum etiam tactu: Vulgus nostrum uocat Mesiraignes: quod uocabulum quiddam commune cum mure araneo uidetur habere. Id uerò ne in uitibus accidat (inquit uetus agricola) cùm Luna, Leonis uel Sagittarij, aut Scorpionis, uel Tauri tenet hospitium, noctu putentur uites.

Formicarum præterea uitiis & multitudine deuastantur uites, quæ lignum ipsum & materiam ab ipso cortice ad medullam, atque adeò ipsas radices exedunt. Itaque ne uitem formica conscendat (inquit antiquus agriculturæ scriptor) tritus lupinus cum fracibus imponitur, eóque ima linea circunlinitur. Sed & si bitumine ex oleo cocto ima uitis tangatur, eam formicæ nunquam exedent.

Est & aliis uermis uiridis, nostras uites per ardores interdum depascens, & summis pampinis insidens, cuius suctus ipsa etiam sarmenta interimit, & planè enecat, nedum uuas & folia. Is uulgò liseta dicitur, Vne lisete: haud dissimilis cantharidi, quæ apud Italos & Hispanos in summitatibus ramorum fraxini & oliuæ nascens, ipsas arbores exedit: cuius usus in potu, ipsam uesicam plurimùm exulcerat, & necem hominibus adfert. Hæc uerò animalia, ne uitibus aut etiam rosetis noceãt, in cote, qua falx uinitoria acuitur, ipsa conteri iubent agricolæ, priusquam putetur uitis.

Quinetiam ne uel limaces, aut alij uermiculi, uel aranei uitem deuastent, ipsas cantharides, oleo mergi iubẽt Græci (inquit Ruellius) dum in tabem resoluantur, atque eo quidem oleo falces putatorias perungi & illini.

Tabescit interdũ uitis, nimia humoris profusione: & lachrymosa apparet, ut uere nouo nonnulli mihi uisi sint

pergulanarum uitium ſtolones, cyathum unum & item alterum aquæ puriſſimæ collachrymaſſe, & per oellos guttatim deſtillaſſe: quam aiunt aquam matronis prodeſſe cum aqua fabacei floris, ad faciei decorem. Itaque hac collachrymatione, uitis, uim roboris ſui plurimùm auertit à fructu. Tum igitur uolunt Græci agriculturæ ſcriptores, radicis robur reſcindi, ut uulnus impreſſum medicinam adferat. Poſthæc autem inſulſa amurca ad dimidias cocta, uulneris hiatus perlinatur, & acetum deinde ſuffundatur, quod ſit potentiſſimum.

Vitis etiam ægrotat, cùm uel alſerit, uel præter modum incaluerit: ſiquidem gemmæ, calore nimio uel ardore hebetes aliquando ſyderantur.

Sarmentis interdum ita luxuriat uitis, ut quanuis ſæpius amputata, tamen totam uim ſuam in productione ligni effundit. Id uerò uitij coercæri aiunt Græci agriculturæ ſcriptores, ſi radices uitium ſummæ euellantur. Quemadmodum etiam ſterilem uitem ad fœcundam reduci affirmãt, ſi imo caudici foſſo lapillus adigatur. Præterea etiam non attingi ueſpis uuas author eſt Democritus, quarum matres imbre ſorpti olei roraueris.

Sed ne omnia morborum ac uitiorum genera perſequar: & ut paucis ac ſemel abſoluam, maximam morborum uitium partem ex iniurioſo contactu putarunt contrahi antiqui agricolæ. Ictus enim fodientium, & uulnera reformidant, pedúmque concalcationes ineptas.

Viti præterea morbus eſt braſſica, & laurus quoque: nam eam plurimùm offendunt, ſuccóque ſuo & odore deteriorem faciunt: inde illud ab antiquis agricolis audias, uitem, ſi iuxta ſe braſſicam ſenſerit, recedere, & auerti, ſaporémque fugere inimicum: ut etiam Androcides

anti-

antiquus Philosophus dixerit uitem, etiam uluam, brassicæ fugari odore: quo argumento brassicam uino aduersari, & ebrietatem arcere contendebat: sumpsitque medicinam brassicæ commãducatæ aduersus ebrietates: quod de raphano dixit Plinius. Vnde plurimùm, mea sententia, hallucinantur qui domesticæ cuiusdam & rusticæ utilitatis gratia, uites suas brassicarum satione deuastant: & nimio commodo prospiciẽtes in deterrimum incommodum incidunt. Odit & corylum uitis, nisi procul absit.

VINDEMIA.

Venio tandem ad uindemiam: quæ à uino demendo, hoc est colligendo dicta, cuiquam uel mediocriter erudito, facilè intelligi potest. Virgilius,

Non eadem arboribus pendet uindemia nostris.

Vnde facere uindemiam Cato & Varro, colligere uindemiam Columella, celebrare uindemiam Palladius, dixere: Faire vẽdẽges. Vindemiare dixit Plin. lib. 14. ca. 2. Vendenger: ne quis putet esse barbarum: hinc Vindemiator apud Horatium in Sermonibus: & uindemitor per contractionem apud Ouidium in Fastis, pro eo qui uinum uel uuas legit: Vn vendengeur. Cato legulũ etiam appellat, quanquam magis sit fructuum & oliuarum lector. Vindemiatoris quoque nomen sydus illud Assyrium, quod uocat Plinius, apud antiquos sortiebatur per metaphorã, quod tertio Nonas Martij apparet, quod idem septimo Calendas Septembres exoriri contendit Columella. Id uerò ita dictum, quia sæpe uindemias faciat, hoc est, uuas immaturas colligat, & exurat, uel nimiis pluuiis infestet, ut iam amplius aliam uindemiatorum ope-

ram non expostulent uitæs. Eadem quoque ratione nos uulgò diem diuo Marco sacram, item diuo Vincentio dicatam, Vindemiatriem appellamus: quòd ea (ut quidam aiunt) si pluuiæ uitæs infestent, ipsæ quidem rorentur & exacinentur: si uerò solis calorẽ sentiant, longè uberiorem fructum polliceantur: unde tritum illud & uulgare, Vincenti festo si sol lucæat, memor esto.

Vindemiam & uindemiolam pro collectione & compilatione multarũ rerum, & fructu quem ex nostris studiis, æu ex uinea quadam fœcunda decerpimus, sumpsit Cicero ad Atticum, non inuenusta translatione.

Maturitatem igitur uindemiæ (ut post ipsa uocabula ad rem deueniamus) hac ratione cognoscunt uinitores industrij: nempe si expressa uua, uinacea quæ in acinis cælantur, hoc est grana, fusca sint (inquit Palladius) & nonnulla propemodum nigra: quam rem naturalis maturitas facit.

In uinetis uua cùm erit matura (inquit Varro) uindemiam ita fieri oportet, ut uideas à quo genere uuarum & à quo loco uineti incipias legere. Nam & præcox, & miscella, quam uocant nigram, multò antè coquitur: unde prior legenda. Consyderandum item quæ pars arbusti aut uineæ magis aprica: ea enim (ait ille) prius debet descendere de uite. In uindemia præterea uuæ leguntur, partim ad bibendum, quæ in torcular mittuntur ut eliquescant: partim ad edendum, & ad cibum, quæ electæ uel suspendũtur, uel in ollis recondũtur, uel in amphoram picatam in piscinam demittuntur, uel in dolia plena uinacorum protruduntur. His enim modis uuas ad escam antiqui præparabant, ut iam antea docuimus.

INSTRVMENTA ET VASA AD VINDEMIAM.

Fac ad uineã quæ opus sint (inquit Cato) ut antea parentur: uasa lauentur, cœrbulæ sarciantur, picentur dolia, & alia quæ opus sunt, & cùm pluet, aqua imbuantur: quala parentur, & sarciantur, bennæ emantur. Hæc Cato. Columella autem, *Si ager amplus aut uineta & arbusta grandia sunt, perennè fabricandæ decemmodiæ & trimodiæ, & fiscellæ texendæ & picandæ: nec minus falculæ & ungues ferrei quamplurimi parandi, & exacuendi sunt, ne uindemiator manu distringat uuas, &c.* Hæc Columella. Opus est autem nos ea omnia uasa & instrumenta breuiter exponere: & cum nostris (qua fieri poterit diligentia) cõferre.

Primùm igitur uasa uinaria, & uindemiatoria dicentur ea, quæ ad uinum recondendum aut uindemiam faciendã commoda sunt, quemadmodũ in libello de uasculis diximus: qualia sunt cœrbulæ, dolia, quala, bennæ, fiscellæ, & cætera id genus, quæ mox explicemus licet.

Corbulæ itaque, diminutiua sunt à cœrbis: erántque cistæ uimineæ siue instrumẽta & uasa in quibus uuæ, atque etiam oliuæ, dum legebantur, à uindemiatoribus reponi solebant, Panniers a vendenger. Varro 1. De re rustica: Cogit aliquot cœrbulas uuarum, & frondem iucundissimam ministrat ouibus.

Canistris quoque uindemiæ interdũ fiebant, sed oliuarum potissimũ. Vnde Palladius, salignis canistros fieri debere uirgultis præcipit: quia genus hoc oleũ dicitur adiuuare: canistris item frumenta legebantur. Vnde Virgil.

Cererémque canistris Expediunt.

Scirpiculum pro canistro & cœrbula sumpsit Colu.

in horto suo, lib. 10. Nēpe pro uase iuncis & sarpis contexto, in quo flores hortenses demetuntur per æstatem:

Et uos agrestes duro qui polliæ molles
Demetitis flores, cano iam uimine textum
Sarpiculum ferrugineis cumulate hyacinthis.

Id uerò maximè explicat iuncō contextum fuisse, ex etymo, cùm ait statim posteà:

Iam rosa desœndat contorti stamina iunci.

Fiscinæ præterea & fiscellæ per diminutionem sumi possunt pro uasis prædictis tum ad uindemiam colligendam, tum etiam ad fructus arborum reponendos, dum excerpuntur. Vnde Ciæro, fiscinam ficorum dixit pro Flacco: Homini (inquit) Phrygi, qui arborem fici nunquam uidisset, fiscinam ficorum obiecisti. Fiebántque etiam iuncis interdum. Tibullus,

Tunc fiscella leui detexta est uimine iunci.

Texebantur & uirgis aut ibiscis aut salicis. Virgilius,

Et facilis rubra texatur fiscina uirga.

Qualus siue qualum (utrunque enim rectè & Latinè dicitur) uimineum uas erat, sed spissis admodum uirgis & multùm duris, neque iuncis contextum, quod prælo supponebatur, uel in ipsis cuppis, dum calcabantur uuæ, ne crassior acinorum materia & fæx ipsa cum puriore uini liquore defflueret: Le pennier coulouer. Virg.

-tum spisso uimine qualos
Coláque prælorum fumosis diripe tectis.

Cola autem, instrumenta erant ad defæcandum uinum & colandū apta, uel dum diffundebatur, uel posteà quàm expressum erat: is enim mos antiquis obseruabatur, ut unū semel atque iterū expurgarēt & defæcarēt, priusquam in dolia conijcerent. Saccis etiam uinariis ad

id utebantur : de quibus in libello de uasculis plura.

Bennæ uerò, de quibus superius Cato agebat, uehicula sunt ad conuehendas uuas è uineis in prœla, siue etiam oleas & fructus quosuis. Vnde antiquitus combennones appellati, in eadem benna sedentes, inquit Festus.

Dolia, culei, cadi, amphoræ, seriæ quid sint, item etiam metretæ, decimodiæ, trimodiæ, (nam omnia hæc uasa unaria sunt & torcularia ac pressoria) petito ex libello de uasculis. Illud tamen obiter adiungemus, uincire & alligare dolia, eleganter dici pro eo quod uulgus nostrum aut, Relier les tonneaux. Dolia (inquit Cato) plumbo uincito, uel materie quernea, & nisi sicca alligato. Abluebant quoque & eluebant dolia & commundabant (inquit Columella) priusquam uinum intromitterent. Vnde Terentius, Dolia omnia releui. Picandorum autem doliorum rationem, & quo pacto resina indebatur, ad uinum in terra diu conseruandum, legito cap. 8. lib. 12. Columellæ. nam is mos apud nos iampridem inoleuit. In ipsa uerò picatione, utebantur instrumento quod radula appellatur, à picæ ueteri abradenda, ut deinde noua superimponeretur. Columella lib. 12. cap. 18. Vnde Radulana pix lib. 14. dicta, quæ radula eximebatur.

Proinde etiam cuppæ inter torcularia uasa connumerandæ, Des cuues a vin. quarum antiquarum formam & fabricandi rationem ac mensuram uidelo apud Catonem cap. 21. Nam eæ quidem inter maiora torcularia siue pressoria uasa sunt accipiendæ : nempe in quibus uuæ per aliquot dies relinquuntur, ut efferuescant, & ebulliendo crassiorem substantiam exhalent.

Lacus autem inter paulò minora uasa numerantur, quemadmodum sunt quæ nostri uulgò uocant, Des bai-

gnoires. Nempe in quibus uinum ex uineis ſuper bennis adfertur, atque hi quidem lacus uinarij à Columella dicuntur. Appellantur & labra lignea, quibus uindemiæ apud nos importantur, quibus etiam in balneis utimur. Sunt & lacus torcularij, in quibus uinũ ex torculari defluit, & è quibus exhauritur, ut aliunde tranſferatur.

Vaſa autẽ ea in quibus tranſferebatur uinum, & è labris in culeos demittebatur, aut aliò cõportabatur, Columellæ quidem fora appellata, à ferendo, quòd à duobus deferrẽtur: qualia ſunt ea, quæ hodie uidemus in torcularibus: in ſummo quidem utrinque à latæribus perforata, ut inde baculus geſtatorius procurrat, qui duorũ baiulorum opera, ſuper quorum humeris inſidet, ſurſum effertur. Tum lacus uinarij (inquit ille) & torcularij & fora, omniáque uaſa, ſi uicinum eſt mare, aqua marina: ſi minus, dulci eluenda ſunt, & cõmundanda, & diligenter aſſicanda, ne humorẽ habeant. Tinnas Feſtus appellat, quæ noſtro uocabulo reſpondent, Des tinnes.

Cortinus inſuper, hoc eſt uaſis rotundis ex ære, tres pedes altis, utebantur ueteres, ad defrutum cõquendum, in cortibus uillaticis (unde nomen habent) ut deinde uinum diffunderent & inueterarent. Colu. lib. 1. cap. 6. Eidem quoque authori, uaſa defrutaria appellata lib. 12. cap. 21. Quinetiam cortinale ipſe etiam appellat, locum in quo cortinæ ſunt ad cõquendum defrutum.

Cæterum falculæ, inſtrumenta erãt quibus uuæ eximebantur è uitibus, uulgus noſtrum ſarpas uocat, Itali runcas appellant.

Vnguibus præterea ferreis, quæ arbuſtiuæ erant, uuæ demebantur. Columella: Nec minus falculæ, & ungues ferrei quamplurimi parãdi & exacuendi ſunt: ne uin-

demiator manu distringat uuas, & non minima fructus portio in terram decidat. Sed nunc ad torcular & prælum uinarium.

TORCVLAR.

Torcular, machinam illam appellamus quæ premendis ac torquendis uuis apta & commoda est, ut demde uinum eliciamus: post primam tamen calcationem, quæ pedibus in cuppa fieri solet, unde mustum elicitur. Támque oliuarum, quàm fructuum aliorum, ex quibus uinum fit, appellatur, Vn pressoer.

Præla autem, propriè dicuntur trabes in torcularí, quibus uua calcata premitur: unde etiam à premendo dicta, atque hinc quidam sine diphthongo scribunt, Les presses ou paulx a presser la vendenge. Præla item dicuntur (inquit Budæus) instrumenta pressoria, quibus pannarij, chartarij, & librorum impressores utuntur. Plinius libro 12. de chartis loquens: Premuntur deinde prælis, & siccantur in sole, atque inter se plagulæ iunguntur.

Cochlea in torcularí, lignum est erectum clauiculatim, id est spiculatim (inquit noster Budæus) & capreolatim strictum, quod per medium prælum, striatum & ipsum trãsactũ, uertigine sua tollẽdo demittendóq; prælo, inuẽtum est: uulgò uocatur, La viz du pressoer. Vnde & cochleæ in ædificiis dictæ, quæ scalæ cochlides etiam dicuntur. Itaque nostri etiam hodie, cochleis in torcularibus utuntur, per quarum capreolatos anfractus attollitur, demittitúrque prælũ, aut rotæ aut suculæ uersatione.

Est autem sucula in torcularí, tractorij generis machina. Cõstat ex tereti ligno, duobus aut pluribꝰ uectibus

traiecto, utrinque æqua extãtibus longitudine. Hæc dum uersatur, funis qui ductarius appellatur, Le chable a tirer, circum eam obuoluitur, præla sursum ac deorsum adducens, Le tournouer.

Vectes uerò, baculi sunt ualidi, per mediam machinam traiecti, quibus manu ductis, machina dum uersatur, funem ductarium aduoluit. Les bastons du tournouer. Ab his uectibus, uectarij dicti, qui uectes in torculari, uersanda sucula, manu ducunt.

Trochlea, totam illam machinationem significat, quæ continet axiculum per rotulam traiectum in torcularibus antiquis, circa quem rotula uersatur: & præterea ductarium funem continet, qui circa orbiculum æneum currit, qualem in puteis uidemus. Huiusmodi trochleæ meminit Cato in instrumento torcularij, in quo suculas quinque, funes ductarios quinque, trochleas decem oportere esse tradit, La polie.

Lingula item Catoni capite 18, lignum uel lapis concauus dicitur, è quo uinum in lacum defluit. Colatorium nonnulli appellarunt, Le coulouer.

Trapetum uerò, est area ipsa lignis compacta, circa quam uertitur ac circumagitur mola in torculari oleario, uel ipsa rota in uinario. Vulgus nostrum uocat, La mer.

Cætera ex authoribus antiquis diligenter habeto. Nam omnia singulatim persequi, laboris esset supraquam humani. De uinorum autem generibus, tempus est ut agamus.

VINI GENERA.

Postrema hæc erit nostri uineti particula, in qua post

absolutam uinearum culturam, uindemia quoque facta, & expresso in torculari uino, eius itidem genera (quæ permulta sunt) pauca recensebimus. Ab iis igitur uinorum differentiis incipiendum, quæ aut à pressura, aut sapore, aut uitiis sumũtur, ut ab antiquis & nostratibus tandem sermonem nostrum ac libellum claudamus.

Vinum à ui deducitur, ut quidam uolunt, quòd uim mẽti inferat. Vnde Ouidius:

Et Venus in uinis, ignis in igne fuit.

Antiquis autem tœmetum appellatur. Plinius lib. decimoquarto, capite decimotertio: Cato (inquit) ideo propinquos fœminis oſculum dare iuſſit, ut ſcirent an tœmetum olerent. Hoc tum uino nomen erat. Vnde tœmulentia appellata. OEnos Græcè dicitur: unde œnophori, pueri miniſtratorij appellati: poetæ etiam πῶλον uocant uinum, quaſi uibrare mẽtem faciat. Vnde prouerbium: Non habet uinum tœmones: &, In uino ueritas.

Vinum igitur (ut quidam inquit) ſuccus è uite eſt, qui feruẽdo uires è muſto ſibi fecerit. Vinum enim omne, aut muſtum eſt, aut uetus, ut in prouerbio eſt. Vinum itaque alit uires, ſanguinem, cõlorem: mẽtem optimam facit, moderatè ſi ſumatur. Prima autem uini potio, in antiquis conuiuiis, meraca erat, cum præfatione ἀγαθοῦ δαίμονος, in honorem Liberi patris: neque tamen tota, ſed præguſtanda tantùm præbebatur: poſtrema uerò potio uini, quoniam diluta eſſet, & ſalutaris, cum præfatione Iouis Liberatoris hauriebatur.

Vinum aqua miſceri Staphylus, Sileni filius, primùm inſtituit. Vnde Græcum uulgus, non aliter uinum hodie nominat, quàm Craſin, hoc eſt mixtum: id enim uino nomen tribuunt. Memini certè, cùm Venetiis eſſem, me eos

audisse tale prouerbium in ebrios, suo corrupto sermone iactantes, Calo crasi, Caco œphali, hoc est, optimum uinum, pessimum caput facit, uel pessimam mentem excitat.

Omphacium quid sit, omnes norunt: succus enim est acerbæ uuæ, qui potissimùm ex pergulanis uuis apud nostrates exprimitur, uel ab iis quæ post factas uindemias, immaturæ inueniuntur, Vertius. Plinius, omphacium qua fieret ratione, in unguentorum loco docuit. Vinum omphacites, siue omphacium (inquit Barbarus) uidetur idem esse quod & biæum Græci appellauere, præterquam quòd marinam aquam biæo iniiciebant: cætera autem conueniunt, medicinæ item congruunt, ut errare uideantur, qui non biæon, sed bion, quasi à uita derivatum nomen, scripsere: cùm Plinius à festinatione, quasi uolenter fiat, uocari prodiderit.

Vini sapores quatuor præcipui: dulcis, qui & mustæus: tener, qui & lenis Catoni: asper, qui & durus & austerus dicitur. à quibus saporibus, etiam uua ipsa, nomina quædam sortita sunt, quemadmodum mox uidebimus. Atqui infirmi saporis unum, Columellæ dicitur, quod saporem diu non retinet, neque perenne est.

Dulce quidem unum, in infantia, omne dicitur, Vin doulx, tum uidelicet, cùm mustũ appellatur, Du mouſt, gleucos & gleucinen uocant Græci. Id autem tum appellari tradit Plinius lib. 14. cap. 9, cùm sponte defluit, antequam calcentur uuæ: uulgus nostrum id uocat, La mere goutte. Protropon id quidem à Iulio Polluce dicitur. Quanquam & protropon (ut inquit Barbarus) inter transmarina habeatur, quod Athenæus in Lesbo nasci dulce scribit, etiam prodromon uocatum à quibusdam. Cæterum nihil, opinor, uetat quominus elegantèr sub-

muſtum dicere poſſimus, qua forma Plautus in Sticho ſubmerum dixit. Erit autem ſubmuſtum (ſi quidem dicere audebimus) id quod uulgus noſtrũ uocat, Surmouſt.

Vinum tenerum, quod & lene dicitur, cùm pubeſcit, & ſuauius iam efficitur: dulcedo enim muſtea, feruendo, adimitur ipſi uino, Vin plaiſant, delicat, gracieulx. *cui contrarium eſt aſperum, hoc eſt (inquit Barbarus) Seleron, ſiue durum. Terentius Heautontimorumeno:*

-pitiſſando modò mihi
Quid uini abſumpſit hic, hoc dicens, aſperum
Pater hoc eſt, aliud lenius.

Celſus auſterum appellat, Vin rude, mal plaiſant. *Pliniius toruum dixit, pro aſpero, & cultura indomito, lib. 17. cap. 23. Nouarienſes (inquit) agricolæ, traducum turba non contẽti, nec copia ramorum, impoſitis etiamnum patibulis, palmites circumuoluunt. Itaque præter ſoli uitia, cultura quoque torua fiunt uina.*

Vinum itidem molle, pro delicato ſumitur & leni. Virgilius:

Tunc agni pingues, tunc & molliſſima uina.

Hoc eſt, aſperitate carentia & defæcata.

Notæ præterea uinorum à bonitate ſumuntur. Vnde primæ notæ uinum dicitur, quod eſt generoſiſſimum: & ſecundæ ac tertiæ notæ, id eſt ſecundæ & tertiæ bonitatis ac loci, inter excellentia: atque ita gradatim, prout bonitate præſtant. Dicitur præterea quæcunque uini nota, pro uino quocunque, tam nobili, quàm ignobili. Horatius: Chio nota ſi commixta falerni eſt.

Vinum bonum & odoratum. Varro 3. de re ruſt. cap. 9: Quidam ex tritico pane intrito, in aquam mixto, uino bono & odorato faciunt. Bon vin, & odorant.

Ab essentia quoque & consistentia, uina nomen habent: unde uinum tenue Ciceroni dicitur, quod tenuis est substantiæ, & celerrimè inueteratur: quò tamen tenuius uinum est, eò odoratius, sed citius etiam perit. Leue appellant Plinius, Vin legier. Fugiens uinum Ciceroni dicitur, nempe quòd cito fugit, & in uitium inclinat. id enim fugere in uino est, quod uulgus nostrum, non seruari, dicat, Vin de petite garde. Villum Terentius appellat in Adelphis, Petit vinet. Qui uinum (inquit Cicero tertio Officiorum) fugiens uendat, sciens, debeat ne dicere. hoc est (ut interpretatur Budæus) quod æstatē ferre nequit. quod uinum, propriè annis cedere dicitur. Contrà autem consistens uinum dictum, quod firmitatem & austeritatem diu retinet, Vin de garde.

Vinum firmum, consistens uocat Virgilius, & potens, quódque diu seruari potest, & in uigore persistere, Vin ferme:

Sunt & aminææ uites firmissima uina.

Vinum quoque forte sumpsit Columella, pro generoso & potenti, Vin fort: cui molle contrarium est, Vin foible, vin plat.

Vinum crassum, Vin gros, ou espez, est id quod & colore & cōsistentia, tale esse apparet, quale nomen gerit.

Vinum uehemens aut generosum, siue etiam ualentissimi generis Celsus uocat, quod nos uulgò uocamus, Vin puissant & vertueux.

Vinum item magnæ uetustatis, & perenne, dicitur, quod in multos annos seruari potest, Vin de grand garde. Vetustatem autem pati uinum dicitur, cùm optimè seruatur, apud Ciceronem de Amicitia, & Columellam, libro tertio, capite secundo. Euanescit autem uetustate, cùm

uires iam amiſit, apud eundem Ciceronem de Diuinatione. Vnde per tranſlationem, elegantiſſimè dixit Plautus, Vinum uetuſtate edentulum, Vin vſé de vieilleſſe, ou vin paſſé. Inueteratum uocat Plinius libro decimoquarto, capite ſecundo: Vetulum uerò Columella. Contrà autem, uinum paucorum annorum dixit idem author, quod in paucos annos adſeruari poteſt:

Brachia iactantes uetulo marcentia uino.

A colore uina dicuntur, alia alba, (quæ & candida uocat Columella) alia nigra, alia purpurea, alia item rubella. Plautus: Album an atrum uinum potas? Quis mos loquendi uulgatus eſt, & elegans. Ita enim loquitur uulgus, & perſæpe quidem, Beuuez vous du blanc, ou du vermeil? Rubellum autem id dicitur, quod medium eſt inter atrum & album. Vulgus noſtrum claretum uocat, Vin clairet. Martialis:

Et Veientani bibitur fæx craſſa rubelli.

Fuſcum quoque uinum à colore dictum ſubnigro. unde Martialis libro ſecundo, fuſcum falernum uocat, in Tongilium ſcribens:

Condantur parco fuſca falerna uitro.

Vulgus noſtrum paleaceum uocat, Vin paillet, alij, fauuet: quæ dictio fuluo potius reſpondet.

Medium autem uinum, caueat quis putet à colore appellatum. Nam quod Varro dixit, medium uinum, prandium caninum eſſe, id quidem ab eo dictum eſt, quòd nullum tale uinum inueniatur. quemadmodum uellus aſininum Ariſtophani, pro eo quod nuſquam ſit. Cæterum media quidem ætas uini (inquit Barbarus) à medicis introducta eſt. garbum Itali aut bruſcum appellant, quod cùm dulce non ſit, neque etiam omnino

austerum, mediam tamen consistentiam inter utrunque habet, & rubellum plerunque apparet.

Vinum pendens dicitur, quod in uinea pendet, & in ipsis uuis adhuc continetur: neque id quidem appellatur, nisi quia ita aliquando uænit, quasi uerò ex uua pendente coniiciat mercator, quantùm uini sibi comparare possit ex tot uel tot iugis. Qui mos Aureliis hodie obseruatur, ut uinum adhuc pẽdens ab indigenis ematur præsentæ pecunia, Vin en vert. Cato capitæ 147: Lege hac uinum pendens uænire oportet, &c.

Vinum in doliis, contrà, dicitur, quod iam factum est & expressum, Vin en muyz. Cato eodem loco: Vinum in doliis hoc modo uænire oportet. Vlpianus in lege de commodo & periculo, uinum doliare uocat.

Factum uinum dicitur, posteaquam in dolia conditum est, cùm iam apparet non amplius turbulentum, Vin paré uulgò appellamus. Vnde ex doliis promi uinũ, posteaquam conditum est, dicitur, Tirer le vin. Varro: Quod mustum conditur in dolium, ut habeamus uinum, non promendum dum feruet, neque etiam cùm proœssit, nisi sit prius uinum factũ. Itaque feruere dicitur in doliis, posteaquam iam cõditũ est, quod uulgus uocat, Boullir es muyz. Quod uerò uinum iam proœssit, uulgò dicitur, Vin rassis. Cæterum id ubi factũ erat, hoc est, ubi primò & secundò conditum apud antiquos, & iam prôœsserat, ac efferbuerat, elutriabant, hoc est transfundebant: quod Græci μεταγγίζειν dicunt, hoc est de uase in uas transfundere. sed minus tamen frequenter. Plinius libro 14: Sufferuefactis decies, mox elutriatis, atque ita inueteratis. Promere alioqui uinum ad usum nostrum, Cato capite 65, accipit pro eo quod uulgus nostrum di-

cit, Percer du vin pour la boisson. Vnde promus à promendo dictus, qui uinum familiæ promit, Le despensier, ut ostendit Columella libro 12. cap. 3. Atque huius quidem promi officium est, uinum nutrire, quod uulgò dicitur, Remplir, & per æstus uētilare interdum, quod uulgò dicitur, Donner vent. Quando (inquit Columella loco superius citato) maior æstus erit, eo sæpius uinum nutriri, refrigerarique & uentilari debet.

Præliganeum uinum, à prælegendo dictum Catoni, éstque id, quod uel præmaturum est, uel præ omnibus legitur, & uindemiatur: quod etiam præcium Virgilio dicitur secundo Georgicorum, Vin premier vendengé, Barbarus autem, præliganeum uocari ait id, quod ad operarios (ut Cato inquit) ex miscellis uuis premitur, operarium Plinius appellat, Vin de manouuriers, ou de famille.

Vinum nouellum, siue nouitium Plinio id dicitur, cui contrarium est uetus. Nouitium (inquit) uinum resinatum conducit, Vin nouueau.

Resinatum quidem dicitur, idem quod & picatum. Nam utrunque eandem significationem habet, nempe, quod uel picem uel resinam sponte sua resipit. qui sapor inter res stomacho idoneas connumeratur à Celso libro secundo, cap. 14. Martialis lib. 3:

Resinata bibis uina, falerna fugis. Idem 13:

Hæc de utifera uenisse picata Vienna
Ne dubites, misit Romulus ipse mihi.

Nam apud Viennam potissimùm picata uina sponte nascebantur, unde Plin. lib. 14. cap. 4: Viēnenses (inquit) soli picata sua (quorum genera plura diximus) pluris permutauere, sed inter sese more patrio creduntur.

Vinum proticum, Latini ex Græcis dixerunt, quod primùm exprimitur, & in lacum ex torculario defluit: uulgus noſtrum uocat, La mere goutte. Muſtum lixiuum Columella appellauit, lib. duodecimo, cap. 27: Muſtum (inquit) lixiuum, hoc eſt, antequam prælo preſſum ſit, quod in lacum defluxerit, tollito.

Vinum tortiuum, Le preſſoirage, quia prælo concuſſo torquentur uuæ. Cato cap. 23: Tortiuum muſtum circumcidaneum, ſub quoque dolio diuidito, additóque pariter. Id uerò quid ſit explicat Columella, cùm ait lib. 12. cap. 36: Tortiuum (inquit) muſtum id dicitur, quod poſt primam preſſuram, uinaceorum circumciſo pede, exprimitur. Varro circumciſitia uina ideo uocat, nempe cum calcatis à prælo uuis, ſcapiũ folliculis prælo iterum ſubiiciuntur, hoc eſt (inquit Barbarus) ubi deſiit fluere, circumciſis extremis. Tortiuum autem, Græci boſtrichitin uocant.

Fæcatum uinum, Cato appellat, quod ex fæcibus acinorum expreſſum eſt: fæces autem uini uocat, quas Columella floces appellat, unde floccipendere uerbum deductum. in oliuis autem fraces dicuntur. Macma uulgus noſtrum uocat ipſas uini fæces, quæ poſt unam atque alteram torturam remanent, Le marc, trigona Græci dicunt. Vnde non inelegãter Plinius lib. 13. cap. 2, Fæces unguentorum, macmata appellat. Ita quoque florem uini dixit Plautus, in Curgulione, La fleur du vin. Flos (inquit) ueteris uini, naribus meis obiectus eſt. Cæterum fæcem uini uſtam, noſtri cinerem clauellatum uulgò uocant, De la cendre clauellee: quo medicamenta amburentia conficiuntur: Græci ſphæclen uocant.

Secundaria omnia uina, Græci deuterias appellarũt, unde

unde passum secundarium, Plinio libro 16. Idem etiam libro decimoquarto, cap. decimo, quæ deuterias Græci appellant, iure non posse dici uina asserit. Latini loream siue loram deuteriam uocant: Vulgus nostrum, De la buuette, de la despense, appellat. Expressi acinorum folliculi (inquit Varro) in dolia coniiciuntur, eóque aqua additur: ea uocatur lora, quòd sint lota acina: ac pro uino operariis datur hyeme. Vnde Vlpianus digestis de uino legato, acinaceum uinum appellare uidetur. Plinius loco suprà scripto inter operaria uina connumerat. Videto Columellam lib. 12. cap. 40. Loram Nonius alterius generis facit. Vinum enim dulce esse ait, potionis cõfectæ, mulieribus grandæuis aptum. Vnde Gellius mulieres Romanas ait, lauream, passum, murrhinam potasse: ita enim scripsit.

Cæterum uinum, quod iam acuerit, & acèti nomen habet, aqua macératum & commixtum, latinis posca appellatur: Græci oxycraton uocarunt. Plinius libro 30: Tormina sanat palumbus ferus ex posca decoctus.

Vinum hornotinum, siue annotinum, Columella libro 4. capite 17. uocat, quod unius anni est, Vin d'une annee, ou d'une fueille. Vnde hornotinas plãtas, idem de arboribus cap. 30. & hornotinas nuces Cato, pro uiridibus, dixit: & hornas fruges Horatius. Ita quoque bimum & trimum uinum dicimus, quod duorũ & trium annorum est, De deux & de trois fueilles. Is enim mos est loquendi nostro uulgo, quasi uerò intelligat ter folia noua fecisse uitem, à quo tẽpore uinum id produxerat.

Vinum acratophorum uidetur appellare Varro, non mixtum & purũ, quasi acraton: Ea (inquit) minus sumptuosa uinea est, quæ ministrat acratophoron uinum.

Turbulentum & fæcatum uinum dicitur, cui uel per translationem ex loco in locum, uel cõmotionem aut tonitrua & calores immodicos fæx est permixta, ut iam amplius non sit lympidum: id enim uino, quod diu resedit, nomen antiqui dedere, Vin trouble, vin clair.

Dilutum uinum dicitur, aqua temperatum, nempe cùm generosum & uehemens est, ne caput feriat. Martialis:

-raram Diluti bibis unciam falerni.

Madefacti quoque absynthij dilutum uinum uocat Plinius, pro eo in quo absynthium infusum est. Cæterum caueãt plurimùm tyrones nostri, ne cum inerudito uulgo, lymphatum uinum pro diluto proferant. lymphati enim cùm dicantur ij, qui ex imagine sua uisa in aqua insaniam contraxerunt, nescio planè quid aliud uinum lymphatum significet, quàm insanum.

Vinum præfaminum Catoni dictum, quod præfationibus expiatur: quẽadmodum dum supplicationes fiunt apud nos, ut uineæ bene habeant.

Vinum passum inter dulcia connumerabatur: id autẽ nominabant antiqui (inquit Varro) cùm in umdemia uuas diutius coctas legebant, eásque passi essent in sole aduri. Dictum alioqui passum (inquit Nonius) quòd ex uua passa cogatur. Seruius à patiendo deducit. Nam decoquitur (inquit) mustum, & inde fit passum, Græcis glycy dicebatur. Multorum autẽ erat genus: nam & psythiũ erat laudatũ apud antiquos, & à colore nigro dictum melãpsythium, quasi nigrũ psythium. Erat & secundariũ passum, de quo suprà: hoc est, quod secũdo fit, nempe post tusas uuas & expressas, dũ tantũdem (inquit Columella) aquæ puteanæ adiicimus, quãtũ extrahimus.

Defrutum (inquit Plinius) est uinum ad dimidiam

mensuræ partem cœctum, quod (inquit Palladius) à deferuendo dictum est: quia ubi ad spissitudinem fortiter despumauit, conficitur. Hinc defrutare, defrutum conficere: & defrutarium, locus in quo defrutum coquitur: & defrutaria uasa, coquendo defruto idonea: & cella defrutaria, in qua defrutum reponitur. Dictum autem defrutum, Seruius ait, quod defraudatur, & fraudem patitur: factitium enim, non naturale uinum est: quod enim naturale & originale, sine fuco & sine dulci, aparachyton Græci uocant & antiten: defrutum autem, parachyma, quia fucum habet. Columella libro secundo, cap. 23, Defrutũ quoque facere, & defrutare uinum licet. Martialis:

Et nigri Syria defruti lagena.

Siræum, quod alij hepsema, Latini sapam appellant, ingenij, non naturæ opus est, nempe cùm mustum ad tertiam usque partem mensuræ decoquitur: nam ad dimidiam tantùm partem cœctum, defrutum dicitur: atque hæc quidem uina, cum passo, in adulterium mellis excogitata sunt. Vnde sapam suo tempore Mellacum dictam scribit Nonius.

Calenum uinum, cùm ad partes è tribus duas mustum redigitur, hoc est, cùm ex tribus partibus, perdita tertia, duæ remanserunt.

Murrhina apud priscos, uinum erat dulce, laudatum, & aromatibus conditum atque odoratum, quo Romanæ mulieres (ut inquit Gellius) plurimùm delectabãtur. Nonius Murinulum siue Murinulam uocat. Idem autem est (inquit Barbarus) quod & myratum uocant aliqui, non utique à myrrha, sed à myro, quod est odoramentum, cuius Dioscorides mentionem facit.

Inter dulcia uina aliud erat genus, quod Græci ai-

gleucæ uocant, hoc est, semper mustum. Id autem cura fit, quoniam feruere prohibeatur. nostri uocant, Surmouſt. Est & aliud dulcis genus, cuius gratia asseruatur uua diutius in uitæ pediculo intorto. Porrò uina dulcia, Latini, Liberi patris bellaria appellabant.

Vinum parachyton, siue, ut Plinius uocat, diachyton (si modò idem est) fit uuis in sole siccatis, loco clauso per dies septem, in cratibus, totidem pedibus à terra altè, noctibus à rore defensis, octauo die calcatis: optimi odoris, saporísque inter dulcia.

Dulci è genere est melititæs, siue melitides uinum, quod Græci uocant, sed austerum seculis. Iam autem fieri desiisse Plinius existimat lib. 14. cap. 9. Sit igitur melititæs uinum (inquit Barbarus) id quod Plautus Pseudulo Mellinam uocauit hoc uersu:

Murrhinam, passum, defrutum, mellinam
In medio relinquimus.

Distat autem hoc à mulso (inquit Dioscorides) quòd mulsum fit è musto, quinque congiis austeri uini mixti congio mellis, & salis cyatho sufferuefactis: melititæs autem fit à uino uetere, addito mellis exiguo.

Mulsum uinum, Græcis œnomeli dicitur, hoc est mellitum. quanquam etiam sine uini mentione elegantèr profertur. mulsam autem aquam uocant latini cum adiecto, quæ Græcis melicraton dicitur. Cæterum ex musto quod fit mulsum, Græci nectar uocant.

Est & factitium dulcæ uinum, quod Græci adynamon dicunt. fiebat autem id multis modis, ut apud Ruellium nostrum uidebis.

Fit & in Galliis uinum factitij generis, gratissimum, facili (inquit Ruellius) ratione: cynnamomũ enim, sacha

rum & carpesium teruntur in fiscum : ex eo uinum liquatur, ut transeundo qualitates eas combibat. hoc, uulgus, Hippocraticum uinum cognominat, De l'hippocras. Nos aromatitem dicere poterimus . datur epulis præcipuis cum escharitæ pane, bellariorum uice. Qui mos (sed in alio uino) Athenienſibus fuisse legitur.

Optimum & generosum uinum Opianicum antiquis dictum, ab Opio, qui primus uineas bene colere, & earũ uinum quamoptimè facere docuit. Cic. pro Cluentio: Vinæ deinde bonum uinum fuisse Opianicum.

Magnæ uetustatis uinum iisdem Opimianũ dictum, ab Opimio, qui primus uinum diutissimè seruare docuit: quemadmodum unum Anitianum, ab Anitio, apud Cicæronem de claris oratoribus.

Vinum diffusum, nos transuasatum dicere possumus. Mos enim ueteribus erat, ut primùm in cuppis uinum factum per aliquod tempus relinqueretur, donec efferbuisset, deinde uerò in cados & dolia diffundebãt. Cic. 2. de Finibus: Quibus uinum diffusum è pleno sit œnophoro. Id autem est diffundere, quod Itali uulgò dicunt Trauasar. Plinius: Aquæ marinæ sextarios quinque pariter coquebant, decies deferuescente cortinna, atque ita diffundebant, inueterabántque: nempe ut esset delicatius. Vinum enim diffusum appellabatur (inquit Columella lib. 12. cap. 28.) quod uere, florente rosa, defæcatum, quàm lympidissimum, in uasa bene picata & pura, trãsferebatur, ut esset delicatius. Iuuenalis:

Ipse capillato diffusum consule potat. Horatius:
Vina bibes iterum Tauro diffusa.

Vinum uernaculum, nostræ patriæ, & domesticum appellabatur, non externum: quemadmodum Virgilius,

Verna apum examina, à syluestribus separat, Vins de nostre pays ou terroy.

Vinum Autoœras Græcis dicitur, quod ita est exile, ut dilui non debeat (inquit Pollux) quale est, quod hodie Romæ audio cognominari Sanseuerinum.

Fit & è labrusca, hoc est, uitæ syluestri, uinum quod œnanthium dicitur, duabus libris florum in musti cado macératis, quæ post triginta dies mutantur. Sed de uini confectionibus non decreuimus hoc loco dicere. Nam Amaracinum, absynthites, & abrotonites, & thymites, item marathrites uinum tibi relinquam ex Catone & Columella cum aliis permultis disquirendum. Infiniti enim laboris esset omnia hæc persequi.

VINI VITIA.

Iam uerò ut uini uitia, & unà quæ à uitiis cõtractis nomen habẽt, paucis exprimamus, primùm id sciendũ est, Acetum uini uitium esse: quod tamen ad luxuriem hominibus cessit, tot ad usus expetitum, sine quibus uita mitior exigi non possit: est autem culpatum uinum.

Acetum aqua mixtum (ut iam diximus) Græci oxycraton, Latini posca uocarunt uel pusca. Ipsi quoque Græci, ut Paulus & Aëtius tradũt, Phusca appellant.

Acetum mulsum, Græcis oxymeli dicitur, cuius conficiendi rationem ex Galeno petito.

Acetum item scyllinum, siue scyllitium (ut uulgò uocant) dictum, quòd in eo temperata scylla, fieri solet ad medicinam. Multa alia sunt acetorum genera, quæ ut superuacuum esset connumerare, ita etiam institutum nostrum excedunt.

Vappa, uinum id dicitur quod odorem ſaporémque amiſit, ἀνοσμία Græci uocant. Plinius lib. 14: Vitium muſto quibuſdam in locis iterum ſponte feruere, qua calamitate cùm deferbuit, deperit ſapor, uappæ nomen accipit, Vin qui a perdu ſa force. Probroſum etiam hoc uocabulũ eſt, in eos quibus à uirili degenerauit animus. Horat. primo Sermonum:

-non ego auarum
Cùm ueto te fieri, uappam iubeo ac nebulonem.

Mucidum uinum, eſt quod euacuit, & mucorem reſipit, Vin poulſé ou lardé. Plinius libro ſupradicto: Proprium autem eſt inter reliquos liquores, uino mucæſcere, aut in acetum uerti. Martialis,

Argenti furioſa ſui cùm ſtemmata narrat
Garrulus, & uerbis mucida uina facit.

Itaque mucor peculiare uini uitium eſt, quemadmodum & in acetum conuerti. Cato: Vini in culleos ſingulos quadragenæ & ſingulæ uernæ dabuntur, quod neque acet nec mucet. Veniamus iam ad ea uinorũ uocabula, quæ à ſolo & patriis nomen habent.

VINA, QVAE TVM A' REGIONIBUS, tum ab vrbibus, & ſolo in quo optima proueniunt, nomina traxerunt.

A ſolo igitur, tum priuato, tum externo: item etiam à regionibus & patriis, uinorum uaria uocabula uariáque nomenclaturæ deducuntur. Quidam appellationum, non ſolùm ab antiquis, ſed & à nobis uulgò uſurpatur, pro ipſorũ bonitate & excellẽtia. Itaque ne omnia perſequi uelle pollicéamur, tantũ ea paucis deſcribemus, quibus

antiquitas oblectata est, & quorũ ij præcipuè authores, quos quotidie uersamus, memunerunt: inde uerò alia cõfingemus nonnulla, à nostris tum regionibus, tum etiã plagis petita: atque ea quidẽ ratione uinetũ nostrũ claudemus.

Incipiemus à phalerno, quod & phalerinon Græci uocant, Latini Falernum scribunt, cui uino secunda nobilitas olim fuit inter generosa Italiæ uina. dicta autem à Falerno Campaniæ agro, in quo uitiferi colles assurgunt, optima uina producẽtes. Hæc autem omnia, Campana generali uocabulo dicuntur. Quæ uerò summis collibus proueniunt, Gaurana: quæ mediis, Faustiana: quæ imis, Falerna. Duorum autem sunt generum falerna. Est enim falernum austerum, cui ruffus color. Est & dulce, quod tum demum accidit, cùm ipsam uindemiam austri flauerint, unde nigrius efficitur. Huius quidẽ hodie copia maxima Romæ inuenitur: uocant autem uulgò Magnaguerra. Martialis nectariũ, hoc est dulce, uocat hoc uersu:

Attica nectareum turbatis uina falernum.

Falerno autem statinum simile est, item Venaphranum, ab oppido nobili in Campania dictum.

Pramnon Hippocrates, & prior Homerus celebrauit. In Smyrnia regione fiebat. Sed primum in Icaro insula natum in petra, à quo nomen pramno.

AEgostheni uino, nomen dedit oppidum AEgosthene, quod est in Attica regione.

Carystium, è Laconia uenit lautum, Carysto uilla id ferente, quod & Alcman poeta celebrauit. Laconicum id etiam generali uocabulo dicitur: fuisséque initio cõtendit Barbarus, quod hodie quidam maluaticum corruptè, alij Monembaticum, alij Monobasites rectius uocant, De la maluasie, etiam si Creticum hoc nomine intelligamus,

uulgo corrumpentæ id uocabulum. Mouetur autem hac ratione, quòd locus ubi Tænarum in Laconia monstratur, Monobasia dicitur hoc tempore: éstque oppidũ ditionis Venetæ. Vnde etiam in Cretam directo ferè cursu nauigatur.

Achaicum, quod uulgò apud Italos hodie dicitur, quẽadmodum & apud antiquos dicebatur, fortasse id est, quod ex Phliuntæ appido Achaiæ (inquit Barbarus) Phliasium ab Antiphane prædicatum est, etiam si aliubi nunc quoque seratur.

Albanum uinum, ab Albano monte Latij nomen habuit: sintque eius discrimina duo, subacerbum & dulce. Inter Albanum autem & Phalernum Labicano gloria, quod & dulce & pingue gustu sentitur. Buxẽtinum albano simile est utique acerbo.

Cæcubum uinum, frequens olim in Tarracina, Fundísque: nomen habet à Cæcubis Campaniæ populis, apud quos optimum nascitur. Id uerò colabatur interdum deliciarum gratia per colum, quod uinarium ideo dicebatur, uel etiam per saccum. Vnde Martialis,

Turbida sollicito transmittere Cæcuba sacco.

Signinum uinum asperrimum, dictum quoque à Signinis populis, in sexennium quidem uetustate melius erat. Col. lib. 1. cap. 6.

Surrentinum itidem uinum, laudatum, à Surrentinis collibus, oppido Surrentino Campaniæ uicinis nascens: id nisi uetustate castigatum utẽtibus proderat: quod & de Triphotino & AEquano dicitur.

ITALIAE *cætera uina ut breuius percurramus, sunt ferè hæc:*

Rhegina	*pinguia, ælerius ad bibendum utilia.*
Priuerna	*tenuia.*
Formiana	*paulò crassiora.*
Tiburtina	*tenuia: à decimo anno bibebantur.*
Prænestina	*pinguia.*
Gaurana	*præstantia, ualida, & præcrassa.*
Marsica	*austera.*
Vluana	*leuia, decimoquinto anno poculenta.*
Caliena	*phalernis præferebantur, ad stomachum.*
Fundana	*plus iusto alebant, parciora conuiuiis.*
Sabina	*omnibus lenitate præponebantur.*
Nomentana	*nec leuia, nec admodum suauia.*
Spoletina	*suauia, coloris aurei.*
Caulina	*omnibus prælata, circa Capuam crescunt.*
Trebellica	*circa Neapolim crescunt, optima.*
Herbula	*nigra, non multò pòst candida, delicata, leuia.*
Tarentina	*tenera & dulcia, amica stomacho.*
Lagaria	*non procul Grumento nascentia, salubritate etiam insignia.*
Beneuentana	*à Beneuento, oppido Italiæ dicta, quo in loco infumatũ fiebat uinum, quod capnias Græcis dicitur.*

Non omittenda sunt Chia, *quæ & Thasia uina dicebantur, inter transmarina ueteribus maximè laudata: à* Chio *insula, in qua* Enopion, Liberi patris filius, *primùm*

uitem excoluit, qui & urbem in ea condidit.

Defiæret me non solùm charta, sed etiam ipsa dies, si quidem omnia uinorum antiqua uocabula à patriis & regionibus petita recænsere in animo esset. Itaque ne molesta sit tot uocabulorũ congeries, lectorem admonebo, Plinium ut cõsulat, item alios agriculturæ scriptores, apud quos frequẽtissima sunt huiusmodi omnia. Veniamus iam ad nostratium uinorum explicationem, quam ut cum antiquis dictionibus conferamus, puerorum gratia, paulisper studeamus. Ita enim fiet, ut posthac ad præscriptam sibi formulam talia nomina facilè confingant.

A' REGIONIBVS AC PROVINCIIS.

Allobrogica	vins de Daulphiné
Rhetica	vĩs des haultes Almaignes
Lusitana	de Portugal
Gallica	vins Francois
Campana	vins de Champaigne
Vasconica	vins de Gascongne
Vindonica	de Vendosmois
Andiana	d'Aniou
Burgundiana	de Bourgongne
Suessionensia	de Soissons
Campana	de Champaigne
Bellouaca	de Beauluoisin
Gastinia	de Gastinois.

AB VRBIBVS.

Aureliana	vins d'Orleans
Belnensia	vins de Beaulne

Iſantiana	vins de Yſanſi
Biturica	vins de Bourges
Burdegala	vins de Bordeaulx
Rupellana	vins de Rochelle
Tornonia	de Tournon
Tornutia	de Tornut
Maſconiana	de Maſcon
Neracia	de Nerac
Grauia	de Graue
Gallacia	de Gaillac
Arminacia	d'Armigna
Remenſia	de Reims.

A PAGIS.

Sangermanicum	de ſainct Germain
Flixiana	de la Fleſche
Pringeiana	de Pringey
Marchiana	de la Marche
Coſania	de Coſon
Milleriana	de Millery
Samporciana	de ſainct Porcein
Derboſiana	Derboys
Faymongiana	de la Faye montiau
Curtonia	de Courton
Gentilina	de Gentilly
Vamuiana	de Vamues
Campinia	de Champigny
Yuriana	de Yury
Viliuliana	de Viliulie : *ita enim antiquis dictus eſt pagus Lutetiæ uicinus, quem hodie Viliuuium uocamus.*

Suſiniana	de Suſeſne
Medoniana	de Meudon
Fontiniana	de Fontenay
Arœliana	d'Arcueil
Itiana	d'Icy
Viſſouiana	de Viſſou
Caſtiniana	de Chaſtenay
Atyſiana	d'Atyz.

A COLLIBVS.

Aynia	vins d'Ay
Riſiana	de Riz
Hardriana	de Hardree
Argenteliana	d'Argentoeil
Mommartyriana	de Mommartre
Dammartiniana	de Dammartin.

Et id genus cætera propemodũ infinita, quæ ad hanc formam & antiquorum morem quiſque apud ſe facilè efformare & cõfingere poterit, ut nihil iam ſit opus nos omnia longiori tædio perſcrutari.

Ager.

AGRVM *ab antiquis, non Latinis modò, uerumetiam Græcis authoribus pro solo ad frugum, quibus uescimur, culturam destinato, peculiari uocabulo usurpatum fuisse comperio: atque ob id etiam appellatum, quòd in eo fructus causa perpetuò aliquid agere liceat. Is dũ nullo alio adiecto proferebatur, consitum solum, & frugibus onustum significabat: alioqui tantùm exaratum, illi aruum appellabant. Vtrumque autem latè diffusum, ut & consitum, & minus elaboratum, aut iam ad sementem præparatum complecteretur, campus dicebatur. Latiori significatione agrũ pro prouincia, regione, atque eo quod territorium, aut patriam uocamus, assumpserunt: ut nũc quoque Frãcicum, Neustricum, Britonicum, Aruernum, Campanum, ac Cenomanum agrum, pro patria, ad antiquorum formam dicamus: agros etiam pro campis frequentissimè usurpatos esse uideas. Verùm quod solum non modò frumentarium erat, sed & domum rusticam, hortos, prata, salicta, uinetum, ac syluulam complectebatur, id fundi, uillæ, prædij, ac nonnunquam ruris appellatione dicebatur: uulgus possessionem, firmam, hæreditatem, & meteriam appellat: nõnulli à lucro, quod inde percipere solent, nominãt,* Vn gaignage. *Romanũ uulgus uineam ac uillam dicit.*

Ager *cum addito, uariam soli formam, naturam, ac culturam significat: quas omnes differentias à situ, bonitate ac uitiis deductas esse comperio.*

A *situ, Columella tres agrorum species constituit: Cam-*

pestrem, quæ in plano esset, qualis est nostra Belsia ac Cãpania. Collinam, quæ erectior, ac paulò magis surrecta, quales sunt quas cõstas Belnenses, Aysias, & huiusmodi uocamus. Montanam, magis arduam ac summam, quæ plerunque non solet ita fœcunda esse: tamen etiam in excelsis montibus uiuendum est.

A bonitate dicebatur ager opimus & riguus, in quo adorea farra inspergebantur: pinguis, crassus ac lætus: aquosum & rubricosum probat Cato. Ager prætera apertus omnium magis salubris existimatus est, undecunque soli præcipuè orienti expositus: nam quod de uitibus ad occidẽtem positis, sic etiam de frumentariis agris dicere par est. Orienti enim expositum solum iucundius, magísque frugiferum ac fructuosum esse solet.

Agri uitia sunt: si est semimadidus, limosus, lutosus, uliginosus, carios us ac putris, frigidus ac gelidus: macer, exilis, nebulosus ac ieiunus: carbunculosus, cretosus, calculosus, effœtus atque imbecillus, aut etiam nimiùm fatigatus. Quibus addemus à deprauata cultura, neglectum, desertum, imbecillum, incultum, informem, graminosum, hispidum ac confragosum. Atque hæc quidem sunt ad agri denominationes magis accommodata uocabula.

Proinde quod ad culturam attinet, ueruactus ager, uel etiam peculiari uoce ueruactum, dicitur solum id frumẽtarium, quod uere nouo proscissum atque exaratum est, nouam terram uulgus uocat: antiqui etiam nouale, & noualem agrum. Etenim qui quotannis seritur, restibilis appellatur, quemadmodum rudetum dicitur Catoni, terra quæ prius rudis fuerat & inculta, tum autem exarata. Compascuus autem ager appellatus, qui uacuus,

& ad pecorum pascua communis esset, uulgus uocat Iachere. Requietum Ouidius appellauit.

AGRI PARTES EX DIMENSIONE.

Agri dimetiendi uarius ut fuit apud antiquos modus, sic nostris agricolis hodie quoque diuersus est. Nam siue is esset quadratus, siue longus, cuneatus aut rotundus, siue semicirculi uel arcus, nonnunquam etiam plurium angulorum formam exhiberet: in operam uniusdiei, uel certos pedes, uel certũ tritici aut leguminis prouentum diuiserunt. Vnde iuga, uersus, iugera, actus, minæ, ac modia agrorum dicta sunt.

Iugum uocabant, quod iuncti boues uno die exarare possent: idipsum etiam hodie in Belsia nostra, ac plerisque aliis Galliæ tractibus Iornatam appellant, Vn iournal, ou iournee de terre. Nonnullæ etiam regiones, ut apud Aruernos & Lemouicos, uocãt Vn ioug de terre.

Versum dicebant agrum ita dimensum, ut centum pedes quoquouersum quadratus esset, hoc est, quadratam soli dimensionem, quæ ab omni latere centum esset pedum: atque id fortasse est, quod uulgus nostrum Arpentum uocat: quanquam regium arpentũ communi ac uulgari mensura centum perticas contineat.

Actus autem centum uiginti pedum latitudinis ac totidem longitudinis erat: cui fortasse respondet Neustrica mensura, quam Acrum terræ uocant. Iugerũ duos actus comprehendebat, erátque ducentorum quadraginta pedum latitudinis ac totidem longitudinis. Huius minima pars dicebatur scrupulus: is erat decem pedum lõgitudinis

gitudinis & latitudinis totidem.

Modius tantum soli comprehendebat, quantum id uel tritici uel alterius grani reddere posset, quódque modij mensuram messe facta impleret, minam quoque eadem ratione uocabant: quæ uocabula apud Cartusios remanserunt. Hi enim agrum in modium, minam ac sextarios dimetiuntur.

AGRICVLTVRÆ VOCABVLA.

Quod uulgus nostrum in agro excolendo uocat Facon, id antiqui agricolæ operam appellabãt. Si frumentum est serendum (inquit Columella) tres operas ager expostulat: si hordeum ac legumina, duas tantum. Si nouus est ac syluestris ager, & nunquam antea sementi assuetus: primùm quidem extricandus est aut extirpandus, hoc est, frutetis & arboribus repurgãdus: quod uulgus dicit, Essarter. Si uerò noualis est aut requietus ac pascuus, dilapidandus est primùm: uulgus uocat Espierrer: deinde uerò stercorandus, Fumer: postea proscindendus, quod prima opera laborare uulgus ait, Labourer de premiere facon. Exercere agrum dixit Columella: quidam ueteres exarare dixerunt. id uerò fit frequentioribus, dẽsisque sulcis (uulgus uocat Seillons) sic, ueluti bidentæ aratro in terram impressis, ut ux dignoscatur in quam partem uomer adactus fuerit. Deinde uerò occandus. quo labore glebæ prima positione extuberantes confringuntur, Esmotter. Postremò autem uertendus, quæ tertia est proscissionis opera, Couurir.

Fiebat proscissio antiquis, iam imaturescente anni tem-

pore, cùm ueruactum herbas edidisset, quarum semina nondum maturuissent: in uliginoso agro, post Idus Augusti: in exili, ad finem eiusdem mensis.

Aliquot posteà diebus (nõ enim est imbriũ certa ratio) iteratur ager, quod uulgus ait, Labourer de seconde facon, quo labore lyrandus etiam est: uulgus ait Rayonner. Lyras autem antiqui rustici uocabant à porrigendo frumẽto porcas: quum sic exaratum est solum, ut inter duos distantes sulcos medius cumulus siccam sedem frumentis præbet: quæ opera sulcationem durioribus ac contumacioribus terris comprehendit: Proscinditur enim terra, tribus operis (ait Columella) iteratur: si facilis est, unica tantúm. Verùm quod ad iterationis limitem spectat: in hoc equidem soli ipsius natura ac cæli temperies obseruanda est. Fiebat enim antiquis iteratio circa solstitiũ æstiuum, hoc est, ad nonum uel octauum Cal. Iulias, uliginoso solo: exili ac macro, circa Septembrem. Nam graciles cliui æstate aridi sunt: cauendúmque in his ne effœta, & sine succo humus æstiuo sole peruratur.

Tertiatur ager paulò post iterationem: qui labor unicam operã exposcit: uulgus uocat Tiercer: deinde per sulcos dispergitur semen. Non enim est tardius expectandum. id opus uulgò dicitur Ensemenser. Sulcorum autem frequentiora scamna intermedia, porcas admittunt rariores. Quæ tertiandi opera fieri solet apud Italos circa Cal. Septembres: nos Octobrem, maritimis quoque locis ac frigidioribus Ianuarium expectamus.

Exiles agri primis pluuiis æquinoctialibus conseruntur sub sulco, non autem in lyra: postremò denique labore sarriuntur: uulgus uocat Hercer: sarculo findere dixit Horatius. Atque ita per hyemem relinquũtur, quan-

diu uere nouo exherbandi sunt, hoc est, uicia, lolio, nigella, napio, cyano diligentissimè repurgãdi, ut tum demùm metantur ac defrugentur. Moissónner & despouiller uulgus uocat.

Sarritionem quæ post sementem, aut aliquot deinceps diebus fieri solet, improbant quidam agricolæ, quòd ea radices frumenti teneriusculæ saxulo detegantur, atque interdum succidantur: ut si gelu deinde successerit, frumenta emaciẽtur. Satius autem esse aiunt tempestiuè runcari ac purgari. Verùm sua est singulis regionibus ac prouinciis arandi cõsuetudo, partim à cæli uario aspectu, partim à soli diuersa positione quæsita. Quidam enim decliuibus ac montuosis locis transuersos sulcos faciunt: atque in iteratione, modò in elatiora, modò in depressiora cliui, obliquos sulcos agunt, & in utramque partem rescindunt, nec eodem uestigio terram moliuntur: planis autem tractibus pastino bipalio ac bidente proscindunt. Calculosis agris nonnulli etiam aratro utuntur, ut & uliginosis ac præpinguibus: quibus instrumentis quidam ocyus, alij serius utũtur, minoréque apud Italos, quàm Germanos molestia. Quamobrem omnes hoc loco culturæ modos singulatim recensere, ut certè operosum, sic etiam superfluum esse uideretur.

INSTRVMENTA AGRO exarando accommoda.

Præcipuum agri frumentarij ad sementem præparandi (Terre labourable uulgus uocat) instrumentum est, aratrum, carrucam uulgus à curriculi similitudine appellauit, Vne charrue. Id autem uel bubus, aut etiam

bubalis uel equis, aut asinis ac mulis ad hoc peragendum instructis agitur: quos dum stimulo uel flagello incitat arator, funesque dirigit, ac uomerem comprimit, tum quidem terram proscindit.

ARATRVM.

Aratri forma non nostris tantùm, uerùm etiam antiquis euariat. Nam qui Græcus author in Hesiodi operam & diem, aratrum depingit ac describit, unico id manubrio antiquos duxisse ostendit: nostri duabus ansis dirigunt. Dentali præterea ferreo cum uomere, utebantur ueteres: nos sulco ac cultro terram uehementissimè proscindente utimur, neque his imaruũ fuisse uomerem, ut nec Latinis uideo. Quod sanè artis exercitationi attribuendum est, quæ quotidie inuentis addere solet. Nostra præterea aratra pro soli contumacia ac facilitate, regionúmque uariis ritibus, atque ipso etiam antiquorum agricolarum more, inter se nonnunquam euariare conspeximus: quibus differentiis plurimùm immorari, non est præsentis instituti.

Aratri partes sunt orbes, ligna, funes ac ferrum. Orbes uariè quidem pro singulis regionibus fiunt: nonnullis maiores, aliis minores. Maiores laudat Columella, quemadmodum & uomerẽ magnum ac dentale, ampliorá que armenta, iis præsertim locis quibus coniunctæ ac uicinæ frumentis arbores aut uites esse solent, ut in Longobardo & Campano solo uidemus. Vbi autẽ arboribus uduum est solum, pinguibúsque arenis putre, minoribus aratris, minorísque formæ bubus administrari potest.

Ligna quoque in aratro diuersa sunt, suis quæque nominibus appellata. Quod enim rotas continet, axis est:

quod uomerem excipit, elyma dicitur. Id in quo elyma infigitur, gonatium uel gyes: cui adaptabatur, dentale: nos huius loco, sulco uel cultro utimur. Quod post dentale est, histoboos uocabatur. Stiua siue echetle, manubrium erat quo aratrum ducebãt, cuius incurua pars Chirolabes appellabatur, & halia lignum id cui ipsa quidem stiua infigitur, nos autem stiuæ loco alis utimur. Stiuarium quidam uocant lignum quod à stiua recta producitur usque ad utrumque bouem: temo, thymos & histoboe dicitur, cuius apex corone uocabatur. Iugum, zygos, Vn ioug, quo alligantur boues, unde adiugare & abiugare aut disiugare, Atteler & desatteler. Clauus autem ligneus, quod iugi foramini infigitur, radius & œrchys dicebatur: ipsum uerò foramen, embryon uel endryon. Boues autem cornibus illigari nõ probat Columella, sed æruicibus coniugatos mauult: plus enim collo ac pectore queunt, quàm cornibus.

Funium aratri, quidam iuga constringunt, ac subiugia appellantur. Lora autem ad boues, equos uel mulos continendos pertinent: uerùm qui funis inter utrunque bouem protenditur, ἐχέδοον et μεσόδοον dicitur. Id autem quo corone alligatur iugo, ἄμαξον appellatur. Ziglæ funes sunt, à iugo utrinque propendentes, quibus hinc inde boum colla perstringuntur. Omnium autem leuissimus ac longissimus funiculus ad aratorem pertinet, quo nimirum boues hinc & inde distrahit.

Ferrum in aratro duplex antiquis fuit. Dẽtale, quod furcam ferream ligno infixam referebat, & uomer. Nos autem dentalis uice cultro utimur, quem à secando nostri soccum uocant. Est autem ferrum latius in cultri maioris cuspidem efformatum, quod terrã primùm prosan-

dit, cuius opera glebæ attolluntur, & in uomeris cœcauitatem efferuntur, cui ipse superiacet. Verùm quemadmodum iugum, lignum id quo boues inter se coniunguntur, & ipsos quoque boues significat: sic etiam sulci appellatione aultrum, & id quod remanet uestigij à proscissione appellari deprehendes.

Vomerem nostrum uulgus contra rationem fortassis aultrum appellat, Le coultre. Is proscissam à sulco terram, & in cœcauum exhaustam undique euomit, lyrásque dum facit, etiam scamnum utrinque erigit: atque ob id mauruum, & intus excauatum à nostris aratoribus excogitatum fuit, cùm alioqui antiquis latum esset. Quãobrem unico tantùm illis manubrio fuit opus. Summum autem atque extremum uomeris, nympham antiqui uocauerunt.

Agricolæ aratrum ducenti inseruiebat stimulus aut uirga, cuius extremo infixus esset aculeus, ad pungendos boues: acænam antiqui uocauerunt: quo eodem uocabulo perticam decem pedes longam significabant, qua in dimetiendis agris utebantur.

Quod autem attinet ad reliqua instrumenta, quibus agricolæ utuntur in agro frumentario, præter aratrum, ea sic habent:

Plostrum uel plaustrum ad fimum aut lætamen exoleto ac sterquilinio in agrum conuehendum aut dispergẽdum accommodum erat. Id uulgus nostrũ à concadendo, dum stercora deponit, tumberellum uocat. Iugum autem plostrarium erat, tam lignum quo boues ad plostrum iungebantur, quàm etiam ipsi boues.

Crates uel cratis stercoraria, ad conuehendum hominum brachiis fimum accommoda, ubi prædio uicinus

est ager, Vne ciuiere a fiens, faicte en forme de claye. *Vimineas enim crates appellat Virgilius primo Georg. in quem usum etiam scarpea stercoraria apud antiquos uæniebat.*

Corbis dossuaria, *ad euehendum fimum ac longius transferendum idonea fuit: eáque uimunibus contexta*, Vne hotte. *Præter quam messoriam corbem Cicero producat: corbem quoque pabulatoriam apud Columellam uideas.*

Furca ferrea eximebatur fimus ex oleto, Fourche-fiere. *Alibqui ligneis furcis ad glebas frumentarias & stramenta exagitanda uel reponenda utebantur: bicornes furcas Virgilius nominat: quemadmodum pala lignea ad paleas & grana accumulãda, unde nomen traxisse puto.*

Bipalium, Vne houe, *quo ad fodiendum primo labore solum utebantur antiqui*: Plinio *ac* Liuio *authoribus.*

Pala (*à pangendo, mutata g in l*) *uertebatur solum.* Plinius *libro* 18. *cap.* 6. *Iuncosus ager uerti pala debet: at in saxoso bidentibus.* Plautus *in* Pœnulo,

-palas uendundas sibi & mergas datas,
Vt hortum fodiat, atque ut frumẽtum metat.

Vne houe.

Bidens, *quòd duos dentes haberet, bipalij loco locis uliginosis, munúsque sabulosis utilis erat.* Columella *lib.* 4. *cap.* 14, *Insequitur deinde fossor, qui crebris bidentibus æqualiter & minutim soli terga conuertat.* Houe fourchue.

Occa *pertracta, reptantéque super terram, ferreis aut ligneis dentibus, quibus instructa erat, glebæ conterebantur, agríque superficies cæquari solebat, &* se-

mina cooperiri. Columella, Tum glebas sarculis resoluemus, & inducta ocea coæquabimus.

Rastrum ad glebas confringendas idoneum fuit: dictum, quòd terram radat, & fodiendo concalcet, Vn rasteau. Columella libro 2. cap. 10, Subactum solum pluribus iterationibus aratri uel rastri, largóque stercore satiatum postulant. Virg. 1. Georg.

-assiduis terram insectabere rastris.

Rutrũ quo quid eruitur, à ruendo: nam sicut aratum aratrum, sic rutum rutrum facit. Festus, Rutrum tenentis iuuenis effigies in Capitolio ephebi fuit, more Græcorum arenam eruentis, exercitationis gratia.

Sarculo segetes purgantur. Plinius lib. 18. ca. 19, Certè sine hoc animali, montanæ gentes sarculis arant. Horat. 1. car. Ode 1, Agros findere sarculo patrio. Sarclet.

Marra, instrumentum ferreum ad excidendas herbas. Col. lib. 7, Tu penitus marris eradere uisæra matris Ne dubita. Vne marre.

Capisterium, expurgandis seminibus aptum fuit. Columella libro 2. cap. 9, Quicquid exteretur, capisterio expurgandum erit: & semper quod propter magnitudinem ac pondus in imo subsederit, ad semen reseruandum.

Dentale, multorũ erat dentium instrumentum, in ærtos uersus atque ordines maioribus lignis distinctos, triangulari forma dispositũ: quo uel uno boue, uel equo pertractum semen iniectum operiret, ne ab auibus absumeretur, utque facilius putresceret, solúmque aliquo pacto complanaret, ne aquarum effluuiis abigeretur. Id instrumentum nostri à cœrcendo semine herciam uocant, Vne herce.

Runca segetalis, quam rusticariam uocat Cato, longo

manubrio continebatur instrumentum ferreum, ab altero latere bidens, ab altero latius in paruæ cuiusdam palæ figuram, ad herbas in agro succrescentes ac luxuriantes conterendas atque effringendas, & ad radicem prosscindendas: nostri à diligenti & iterata fossione uocauerunt Vn serfouet: atque inde runcare, Serfouer. Præter hanc autem runcam, aliæ erant uineaticæ (de quibus suo loco ex Columella) aliæ nemorariæ aut arborariæ, breuioribus manubriis & alio ferro compositæ, quas nostri ab arripiendo ac discerpendo sarpas quasi harpas dixerunt. Plinius falces appellauit, quarum aliud genus esse ait Italicum breuius, ac uel inter uepres tractabile: aliud Gallicum ad latifundia maioris compendij. Hinc falces fœnariæ, stramētariæ, siluaticæ, & rusticariæ dictæ.

Flagellum triticeum aut frugarium, uirga erat lignea, qua cædebantur fasciculi (quos uulgus gerbas appellat) ex agro in areā alati atque expansi ad excutiēdas fruges: id nos uulgò uocamus Vn fleau: unde cædere fabam, & terere atq; excutere triticū, antiqui agricolæ dixerūt.

Quod autem attinet ad ea instrumenta, quibus demessæ fruges reponi ac repurgari solebant: quædam ex his reperio antiquis æquè ac nostris ad eam rem idonea atque accommoda fuisse.

Ventilabrum ad expurgandum triticum accommodatum fuit. Varro, In arena triticum subiectatur uallis aut uentilabris, cùm uentus spirat leuis. Ita fit, ut quod leuissimum est in eo, atque appellatur acus, euannetur foras extra aream: quo loco nannum pro uallo appellatum fuisse puto. Quemadmodum autem uentilabro acus (purgamentū tritici, à Græcis σκύβαλον appellatum) nanno secernebatur: sic quoque puluere ac paleis uacuū

cribro à reliquis seminibus, ut lolio, nigella, lapillis, arena, ac cæteris uitiis reddebatur: uulgus nostrum uocat Vn crible. *Plinius inærniculum appellasse uidetur: unde etiam Columella inærnere terram cribro ex tritico dixit. Sed ad plantas ueniendum est.*

PLANTÆ IN AGRIS EXcoli, aut sua sponte nasci solitæ.

Plantas in agro bene exculto ad uitam hominum succrescere solitas primùm describemus, inde uerò ad legumina, quibus utuntur qui triticorum penuria laborant, trãsibimus: à quibus ad olera cãpestria, atq; adeò radices edules deueniemus: ut tum demùm herbas inutiles luxuriantibus agris præter agricolarum uoluntatem enascentes, atque adeò eas quæ restibilibus ueruactis ac semitis sponte naturæ succrescunt, describamus, à cæteris generibus sermonem absoluentes.

TRITICEA.

Triticum, à terendo dictum, uulgò Du bled, *radicibus multis ac prætenuibus exit folio uno, germinibus omnino multis, sed quæ in ramos brachiari non possint. aristas emittit: in herba est per hyemem: à qua remollito cælo, caulículus de medio assurgit, cuius tertio aut quarto genu spica geritur, non prius eúdens quàm folliculo inclusa, qui gluma dicitur. Consummato eo flos erũpit quarto aut quinto post die, ac totidem ferè diebus, pluriműmque septem durat. Folium triticeo arundineum, angustius tamen, quàm hordeo: caulis quoque lenior & lentior, nec perinde fragilis. Multis integitur tunicis, hor-*

deũ nullis. Culmus tritico altior est, quàm hordeo: Spica quoque remotior à folio, paleæ suauior, mollior, succosior.

Hordeum, Græcis κρίθη, Gallis De l'orge, culmo est est tritici, fragiliore minoréque, octonus geniculato articulis, simplici in stipula folio, & eo quidem scabro, latóque. Eius grana ferè nuda, longiore capillamento, mordaci arista striatim spicantur, radiæ frequenti, coma fibrata. Hoc ueteres frugum omnium nobilissimum appellarunt. Nostris uix nisi quadrupedum pabulo accommodatum est. Seritur soluta siccáque terra, eiúsque segetibus arua imarescũt. Quapropter pinguissimo agro committendum. Altero sulco seminatur post æquinoctium, si læto solo: si gracili, maturius: idque paulùm ubi maturuerit, festinantius, quàm aliud ullum frumentum. Nam & fragili culmo, & multa uestitum palea granum eius æleriter decidit, quare & facilius teritur. Post messem ager stercore saturandus erit, & uirus omne, quod mest terræ, propulsandum. Hordei præcipuum genus antiqui hepasticum appellarunt. alij Cătherinum, ob id, ut puto, quòd folliculo castratum enascatur: Galli mundatum uocant hordeum, quòd eius granum sua sponte concidat: quod in alio non nisi egrè deglubitur, Orge mondé. Alterum genus hordei distichum appellatum est (Galaticum nonnulli uocant) ponderis & candoris eximij, quod etiam tritico commistum, cibaria familiæ commendat. Seritur pinguissimis, sed frigidis locis circa Martium, meliúsque respondet, si per clementiam hyemis seminetur circa Idus Ianuarias. Ad hoc genus referendum esse uidetur trimestre illud hordeum, quod Gallicè Secourgeon dicitur, quod rebus ad egestatem adductis, cùm an-

nonæ premit inopia, plebē alat, & à famis noxa uindicet. Errant qui secundum hoc genus esse oryzam dicunt. Erumpit à primo satu die septimo, huiusque caput alterum grani in radicem exit, alterum in herbam quæ prior floret: radicem crassior pars grani fundit, tenuior, florem.

Far, quod ueteres adoreum appellauere, pluribus terris commune est: qui tamen agricolæ zea utuntur, non habent far. Triticei generis longè durissimum, & contra hyemes firmissimum: patitur frigidissimos locos & minus subactos, uel æstuosos sitientésque. Primus antiquis Latio cibus. Geniculæ farri senæ, ut tritico quaternæ: post quem numerum contextus est spicæ: qui ut spem sui fecerit, quatuor aut quinque tardissimè diebus florere incipit, & totidem aut paulò pluribus defloresçat: purgari nisi tostum non potest. Itaque cum suis folliculis crudum seritur: idque in uaginulis suis seruant ad satus, neque id quidem torrent. Læuissimum hordeum, ponderosius far, magisque etiamnum triticum. Galliæ quoque suū genus farris dant, quod branæ uocant, Itali sacidatum, nitidissimi grani, quod pl⁹ reddit panis, quàm aliud quicquā.

Zeam Græci, Latini semen, à præstantia frugis appellarunt, frumenti genus uulgò notum, triticóque simillimum, radice multiplici, alta culmóque numeroso. Tritico fuscius est & minus. Duo eius fastigia: unum, cuius grana in singulis tunicas gemina: alterum cui simplicia. Zea si seratur, pinsita, hoc est tusa, transit in triticum ut Tipha, idque non protinus, sed anno demum tertio, nunquam contrà. Ea in bromum dictum commeat. Nihil hac robustius, terrámque magis exinaniens.

Olyra Græcis, Latinis siligo, Gallis olim Arinca, Fru-

menti genus est, spica semper erecta, siue arista, (exceptis ea quæ Laconia dicitur) neque rubigini obnoxia: grano candido, læui, ac multiplici modo tunicato. nascitur humidis tractibus, excelsis, ac soli apertis: nec tamen nobis magna difficultate requirēda: nā omne triticū solo uligi noso post tertiā sationē cōuertitur in siliginē. Sustinet facilè ueris tepores: pani cōficiēdo minus idonea, q̄ triticū.

Secale, secalis, antiquis Farrago, Gallis extrita una tantùm litera ad hoc usque tempus, Seigle nominatur: unde Belsia Secalonica, uulgò appellata La Beaulse Solongnoise, quòd hoc frumenti genere plurimùm abundet: rarúmque dictu, esse aliquid cui prosit negligentia. Nascitur qualicunque solo, cum centesimo grano: ipsúmque pro lætamine est: Frumenti genus uulgò notissimum, stipula & culmo triticeo graciliore ac procēriore: spica innocentioribus aristis horrente, non erecta, sed semper procumbēte: quamobrem rubigini (quòd imbres retineat) opportuna: grano glumis explicato, & ob id caduco, trisli, nigricante, strigoso. Culmi prodeunt lenti, flexiles, quibus aqua madefactis uitilium uice, festucandis uitibus nostri Galli utuntur. Duplici ratione apud nos secale seritur: aut simplex, uel triticeo, aut farri cōmixtum æquis ferè partibus. Miscellaneam hanc segetem Galli, Meteil, quasi miscellam nominant, conditiuámque excussis etiam granis farraginem rustici nostrates appellant, ut & fasces & manipulos inde cōpositos, farreum, Du farre.

Tipha cerealis, specie siliginī non dissimilis, magis tamen ad triticum accedit: simplici culmo assurgit, grano multiplici tunica uelato, atque læuissimo, radiæ numerosa. Mutari solet in triticum, præsertim si pista seratur:

nec protinus, sed anno tertio: mutatione etiam loci degenerat. nec ullum offendes frumẽti genus, quod in aliud transire tam facilè queat: cúmque degener fuerit, redire ad frumentum facilè solet. Quapropter non absurdè Tipha *ex* Galeni *sententia exile triticum appellatur, quum & cõlore & densitate & calfactoria ui illi perquam similis uideatur. Sunt qui* Tipham, *uescum esse triticum dicant, quod* Hector *apud* Homerum *suis equis obtulit.* Galenus *ait, rusticos in* Thracia *brizam appellasse, eiúsque semen in atros panes ac grauiter olentes cogi solere. Non longè dissidere uidetur ab ea quæ nostris* seʒale *nominatur* Seigle, *ex qua panis fit ater quidem, sed recens, non insuauis: à qua nomen bizi panis accepit,* Du pain bis, *extrita una litera.*

Duo *sunt auenæ fastigia: unum bromos dicitur, quòd* Plinio *semen est spicam ferentis herbæ, nascitúrque inter uitia segetis, auenæ* Græcæ *genere: ídque & folio & stipula triticum imitatur: in cacuminibus depẽdentes parnulas uelut locustas habet: ea uulgaris nostra est auena,* De l'aueine. *Aliud auenæ genus,* Græcis *uocatur ægilops, uulgò* Auenerõ *&* Auron, *quasi auenago & auenula: hæc necat hordeum, in quo maximè nasci solet. Proinde auena solùm emaciat, radiæ culmóque exit multiplici, meliúsque in cultis erumpit.* Remedium *est ut arua biennium quiescant, ac tum planè luxuriantem eam immissum pecus obterat & cõsumat.* Iumentorum *pabulo potius, quàm hominũ cibo nascitur: nec nisi cùm extrema premit fames, in panes cogitur: uerùm extra annonæ penuriam zitho cõficiendo idonea. Nonnulli apud nos auenam tundunt, leuitérque pistam, grualdum appellant* Du gruau.

Oriza, frumenti genus est, lolij aspectu non spica, sed iuba, ueluti milium, grana continens zeæ, uel semini dicto similia. Vulgus Gallicum, detracta priore litera, Duriz appellat, quidam hordeum Galaticum, quia graue sit atque candidum. Eius folia carnosa, porro similia, sed latiora: altitudo cubitalis, flos purpureus, radix gemmeæ rotunditatis. Duo eius reperiuntur genera: unum grano candido, quo plurimùm Gallia uescitur: Alterum grano rubente, quod Plinius cubitali demonstrat altitudine, foliis porro similibus, sed latioribus, carnosis, flore purpureo, radiæ gemmeæ rotunditatis: utrunque nascitur in humidis.

Tragos cerealis, ut ab herba distinguatur, frumenti genus est, aspectu persimilis, alicæ seu chondro longè inferiorem zea præbens alimoniam, quoniam furfurosi recrementi multum in se concipiat, ideóque in cibo deiectu difficilis, aluũ quæ substituerit molliens. Galenus ex splendida & nobili siligine seu olyra tragum confici refert: cuius plerisque est usus: quidam idem esse cum olyra contendunt.

Strygis apud Hippocratem tritici genus, leuius tamen & uentrem magis soluens: quod quid sit apud nos, planè ignoro, nisi quis strygitem pro trago capiat.

Alica siue Chondrus Galeno, tritici est generis, ualentis materiæ, glutinoso prædita succo: frumẽtacea nostra est, De la frumentee. Res (inquit Plinius) Romana est, neque Pompeij Magni ætate in usu fuisse traditur, nec pridem excogitata: alioqui non ptisanæ potius laudes scripsissent Græci, cui sine dubio antefertur. Alicæ tria genera, minimum ac secundarium, grandissimum uerò aphærema appellant: nondum habent candorem suum

quo præællunt. E' zea autem pista quemadmodũ chondros fiat, rei rusticæ scriptores prodũt: unde ex argumento dicocum nominauit Dioscorides, hoc est, duplicis grani. Est autem id quod Latini far appellarunt. Far (inquit Archigenes) chondro potius simile: Romæ, ut chondros Græcis, conficitur sanitatis usu. Paulus aliam differre putat à chondro.

LEGVMINA.

Milium Latini, uel ab antiquo nomine Græco melines (ait Varro,) uel à miliaria summa (inquit Festus) Græci œnchron: nos Du millet, frumenti genus stipula cubitali, geniculata, folio arundinaceo, prægrandibus culmis (lobas uocant) omnium frugum fertilissimum: semine in longis tereti & pendulo, radiæ numerosa altáque, ac multiplici fruticante culmo. Aestate seritur Theophrasto, & intra quadragesimum diem metitur. caulis ei arundineus, lanugineus flos, quem circa spicam gerit. semen in iuba profert folliculo concluſum: effusam enim illam arundinaceam comam iubam appellant. largior aquatio detrahit folia. Panis ex milio conficitur prædulcis, qui in coquendo multùm crescit, & antequam refrigescat, sine fastidio potest absumi. Pinsitum etiam & euolutum furfure pultem quauis inopia maximè cum lacte non fastidiendam præbet. Farinam miliaceam seu fractum milium sunt qui scrutum uocari putent apud Horatium. Hoc legumine nostra Campania gaudet, eiúsque pultæ candida præcipuè uescitur, ut & Sarmatarum gentes. Quod autem milium in hortis nostratibus ostentationis grati aseritur, grano pisum æquante, atro, stipula arundinea,

dinea, quinum apud nos senimue pedum procritate: id uerò peregrinum est, & alterius generis, unde miliũ Saracænicum nominant.

Panicum à panicalis dictum tradit Plinius, nostris du Paniz, Theophrasto nunc helimos, nunc melinos dicitur: Italis melega, milij similitudine prosilit, denis ut minimum foliis luxurians, culmo pene in surculum extenuato, nutante, rubido panniculorum fastigio, prædensis acruato granis, aliàs purpureis, aliàs rusis, nigris aliàs, item & candidis. Seritur æstate, & quadragesimo die absolus inter omnes conuenit: non tamen defuerunt qui pauciores assignarint dies, intra quos demetæretur: minus cùm in folia exiit, rigari desiderat: nam crebra aquatione folia dimittit ut nilium: sed ualidius milium, dulcius panicum & infirmius. Calidis & siccis regionibus seritur: leuem enim & solutam terram desiderat: nec in sabulone solùm, sed & arena quoque prouenit, dummodò cælo humente & solo committatur: siccum enim & argillosum agrum reformidat: herbis assiduè liberetur. Panicum Diocles mel frugum appellauit: quo frumenti genere Vascones potissimùm utuntur, messibus serentes, & multò ante hyemem colligentes. Panis qui ex eo fingitur persiccus, & cineris aut arenæ modo friabilis est, lentoris fœdere aut humoris uinculo carens, quapropter esu insuauis.

Sesamum & sesama, Italis iugiolina, officinis sisamũ, quibusdam frumenti, aliis legumunum generi adnumeratur. Est autem culmine ferulaceo, foliis sanguineis, semine candido, infra magnitudinem lini, uasculis ut papauer concluso, radice simplici & alba. æstiua feracior, quadragesimo perficitur die. candido dulcedo maior est, quod &

in cæteris leguminibus accidit. Huic post sationem imber officit, qui alioqui cæteris omnibus superueniens frugibus prodesse solet.

Irio cærealis nostris Gallis uelarum, aliis uetus nomen retinentibus, Ireō, culmo assurgit ferulaceo, foliis sesamæ, sanguineis, flore etiamnum foliaceo, sed pinguiore. Huic quoque recens sato pluuius imber nocet, præter reliquarum frugum naturam: quo itidem uirente sicuti sesamum nullum animal uescitur: amarus enim est.

Orminum inter fruges à Theophrasto reponitur, cuminaceum præsertim ac nigrum. Seritur cum sesama æstate appetente. Plinio tamen inter medicamina annumeratur potius, quàm inter fruges.

Lolium Græcis ἄιρα, nonnullis ζιζάνιον, Gallis iuraia & gussa. Hordei uitium, folio angustiore, quàm hordeū, pingui & hispido: semine exili, in cortice aculeato, flore subpurpureo. Penitus syluestre Theophrasto reputatur, idque è tritico & hordeo corruptis uligine seminibus, aut imbre nimio dilutis nasci affirmat. Non desunt qui è lino quoque fieri prodāt: negántque uernam esse frugem, quod alij conantur asserere: aiúntque hyeme statim ineunte prosilire è terra, folio angusto, pingui, hirsuto, tunicis non adeò ut auena multis, nec pertunditur. Quidam non ex tritico aut hordeo, sed inter ea prouenire (ut Melampyron) putant. Ponticum & AEgyptium, ut etiam Agrigentinum triticum lolio uacat. Siculum satis eo uindicatur, huícque magis est peculiare Melampyron, satis quidem innocens, nec sicut loliū graue & caput tentans.

Melampyron, etsi tritici uitium esse Galenus fateatur, eius tamen exortu nihil incommodi persentit. Hoc Siculo tritico peculiare facit Theophrastus, granum tamen inno-

cens:nec sicut lolium graue,ac caput tentans.Herba prosilit tripedanea, suculosa, foliis rubiæ pallidis: semen est illi coli figura,oleosum . Parisiensi agro rarius exit: adeò frequens Suessionibus, ut solum eo subinde uireat: frutice denso,tripedali procæritate,foliis prælongis, pallescentibus.rura nostra camelinam uocant.

Cuminum ubique nomen retinet:éstque unicaule,frequẽtibus ramulis brachiatum,folio pene fœniculi, semine copioso & canaliculato, radice subrotunda, quasi bulbosa.semine nudo, angusto, canaliculato, facilè (frumenti modo)in aresc̃tæ:ubi planè acreuit, defluo atque lubrico.nascitur in summa tellure , atque in sublime tendit, putribus & calidis maximè locis.Medio serendum uere. Omnium seminum fœcundissimum. Cum maledictis & probris serendum præcepit superstitiosa antiquorum uanitas,quò lætius & copiosius proueniat.Satum pascitur terra adacta,& qui serunt,precantur ne exeat, néue imber sucœndẽs,eius sationi plurimùm officiat.Aracus(ut Theophrasto placet)in lentæ exit scabra & dura, nostris rusticis Vesseron,id est,uitiola,appellatur.

Linum Græcis ac Latinis , tenui est dodrantalíque auena, simile tamarisci foliis , flore cæruleo , speciosо.herba canabis modo tunditur in lanæ mollitiem ad limteorũ texturas.Seritur sabulosis locis maximè,unóque sulco,nec magis festinat aliud.Vere satum æstatæ uellitur.

Canabis Gallis Chãure, primùm in syluis nata nigriore folio & asperiore,dein cultu domita feritatæ mansueuit in agris.Satiua à Dioscoride pingitur folio fraxini,granis odoris,caulibus paruis, imanibus,semine rotũdo.crebris geniculatur nodis,è quibus surculi prodeunt, foliis angustis,mucronatis,fimbriatis.Mas exflos,uersico-

lorium parit semen & oleosum: fœmina albo est flore, marisque sterilitatem compensat. Seritur à Fauonio. utilissima funibus: quóque dẽsior, eò est tenerior. Semen eius cùm est maturum, ab æquinoctio autumni defringitur, aut sole, aut uento, aut fumo siccatur. ipsa canabis uellitur post undemiam, ac lucubrationibus decorticata purgatur. Optima est Alabandica, plagarum præcipuè usibus. Tria eius ibi discrimina. Improbatur cortici proximum aut medullæ. Laudatissimum è medio quæ mesa uocatur: secunda mylasea. Solum pingue, stercoratum, riguum uel planum atque humidum & altè subactum deposcit. in quadratũ pedem serũtur grana sex, Arcturo exoriẽte, hoc est, ultimo mense Februario circa sextum aut quintum Calẽdas Martias, nec tamen usque in æquinoctium uernum. Si sit pluuius cæli status, improbè seritur.

Pisum pariter Græci ac Latini uocant legumen notissimum, caulibus fistulosis in terram sparsis, ramosisque: prætenui surculo, folio frequenti: præter cæterorum morem longiuscula siliqua, cylindracea, granis rotundis, cãdidis, flore papilionis forma, circa umbilicum purpureo, radicæ imbecilla. In aluulis grana continet, quæ se inuicem quasi tangunt, ut in eruo, sed siliquæ longæ, aliquantum latæ ad figuram grani cylindratæ. Apricis seri debet, frigorum impatientissimum: quamobrem austeriore cælo non nisi uerno tempore, terra facili ac soluta ponitur. Nam tepidum locum & cælum frequentis humoris desiderat. Alij aiunt Septembri mense, & ad Idus usque Octobres serendum soluta ac facili terra. Tepido enim cælo delectatur & humecto.

Vicia, Gallis Vesse, iumentorum pabulum, Varroni à

uinciendo dicta, quòd suis capreolis ut uitis, sursum serpat, ad scapum lupini, aliúmue calamum. Cubitali est altitudine, foliis ferè petroselini amplioribus, flore pisi, minutis ac nigricantibus in siliqua granis. seritur quacúque terra facillimo cultu: solúmq; lætius ac pinguius reddit: nec ipsa agricolis operosa est. uno enim sulco sata non sarritur, neque stercoratur. Sationis eius tria tempora, circa occasum Arcturi, ut Decembri mense, mense item Ianuario: nouissima uerò Martio: túmq; est ad frondem utilissima. Siccitate omnium quæ seruntur maximè gaudet, neque tamen aspernatur umbrosa, quòd nullum respuat solum: uitibus tamen eripit succum, langueſcúntque arbusta, si in his seratur.

Cicer, ἐρέβινθος Græcis, Gallis Chiche, Italis Cesaro, radicæ surculosa exit, eadémque altissima, caule lignoso, obliquo, foliis circinatis, siliqua rotunda, semine uario, tum colore, tum sapore, tum forma. Floret diutissimè ut eruũ: quadragesimo die uellitur, fructum celerrimè perficit. Caulis ei admodum lignosus, firmúsque, sed in latus tendens, multa illi folia & siliquæ rotundæ. uni leguminum florenti pluuiæ officiunt, erucis nascentibus eluta salsugine. Nigrum & rufum candido ualidius, herbas omnes enecans, sed tribulũ celerrimé. Ciceram uerò non tam leguminibus Columella, quàm pabuli generibus annumerat, eámque proximam fœnogræco & medicæ tradit: sapore à cicercula nihilo differentem, à qua colore tantùm discernitur. obsoletior enim est, & nigro propior. Seritur primo uel altero sulco, mense Martio, ita ut postulat cæli lætitia, quòd eadẽ quatuor modiis, nónunquam & tribus, interdum etiam duobus ac semodio iugerum

occupat: mense Ianuario aut Februario alij serere malũt, læto loco & humido: quibusdam tamen Italiæ locis ante Calendas Nouembris seritur. Est sanè cicercula minuti ciceris inæqualis, angulos habens ueluti pisum. Hanc rura nostra modò cerras, modò pisa cerra ut ciceram cicerolam nominant.

Dolichi, ut arbitratur Galenus, satiui cuiusdam leguminis semina sunt, quæ bifariam Græcis nominantur: quidam enim lobos quasi siliquas, quidam quatuor syllabis proferentes. Sunt tamen qui dicant phaselum lathyrum esse, alij quandam eius speciem. Porrò dolichos esse semina quæ in hortis alantur, Theophrastus euidentissimè fatetur, dum ait, Quædam (inquit) caule recto prosiliunt ut triticum, hordeum & frumentacea: aliis scapus in latus tendit, ut ciceri, eruo, lenti: aliis caducus humi prorepit, ut ochro, pisis, lathyro. Verùm dolichus scandit, pedamento cui accubet prælõgo adfixo: ita enim reddi putant frugi, contrahítque ærugimem, nisi adminiculo fulciatur. Semen eius æuum non patitur, breuíque marcescit, ut aphaca. Lathyrum cicerculam esse docti putant, folio non rotũdo, ut plurima legumina, sed oblongo. Caule humi repãdo ut pisum: quaterni & inæquales grano sunt anguli.

Faba, Græcis κύαμος, Gallis Feue, sola inter legumina sine adminiculo nititur, mira interdum proceritate, folio carnoso, portulacæ simili: ita enim ab extremo in fastigium rotundatur, flore cristato, uersicolore, hirto, siliqua plerunque semipedali, fructu intus lato, humani unguis effigie, colore non simplici, quando præter uulgarem (qui aut fuluus est, aut niger) iam & herbaceum & coccineum conspeximus. Eadem parte scapus & radix fun-

ditur, non diuersa ut in frumento, sed singularis, lignosa, & capillata fibris, ut in cæteris leguminum genere: foliis exit multis ut pisum atque ciær, non singulis ut triticum. Sola ferè leguminum scapo recto consurgit, geniculato & imani, lignosissimóque post ciær. Diebus quadraginta floret, non uniuersim ut frumentum, sed particulatim. Caulis pars inferior primum florem promit, quo excusso proxima, atque ita ad supernam itur continuo succæssu: aquam in flore concupiscit: cùm uerò defloruit, exiguam desiderat: solum in quo sata est, lætificat, stercoris uice: atque ob id tardius eam seri præcipiunt.

Fabam AEgyptiam (quoniam in AEgypto nobilissima sit) alij colocasiam, alij ponticam, Apuli caso nominant: calamis quaternûm cubitorum, digitali crassitudine aculeatis, enodibus, intus lilij modo striatis. Folium latitudine concauitatéque spectabile est: Thessalico galero ita simile, ut aquam continere possit. Scapus illi est pedalis, caput papaueris, rosei coloris, in quo singulæ fabæ singulis cellulis concluduntur, non supra tricenas, uulgaribus maiores, atræ amaro odore nedum sapore, arundinea radice & rimosa, cibóque AEgyptiis acceptissima, uel cruda, uel tosta, uel elixa.

Lentem, uulgus Gallicum lentillam, Italicum lenticulam appellat. Folio est Viciæ, tribus aut quatuor in siliqua granis admodum paruis. leguminum fertilissima est, siliquis paruis, molliter in latitudinem fusis, alba dulcedine præstantior, melior tamen, quæ coctu facilis est, & citissimè aquam absorbet. Hanc enecat securidaca. Solo tenui gaudet magis, quàm pingui, cælo utiq; sicco. Seritur Nouembri. Duo eius genera: alterum rotundius, nigriúsque: alterum sua figura, unde uario usu translatum est

in lenticulas nomen. Februario etiam seritur mense, solo tenui & resoluto, uel etiam pingui, sed sicco maximè: luxuria enim & humore corrumpitur. Vsque ad duodecimam lunã bene seminatur, quæ ut citò exeat atque grandescat, fimi ariditate muscenda est: atque ubi ita requieuerit quatuor aut quinque diebus, tunc spargitur. Iunio mense tegitur, cinerique mista recte seruatur uel salsamentarijs uel olearijs uasis.

Phaseolus, antiquis fasillus, legumen exile ac teres, coloris tum candidi, tum etiam rufi, cauliculis tenuibus, sequaci capreolorum reptatu, leni umbra humiles cameras opacans, foliis hederæ mollioribus atque uenosis, siliquis fœnogræco longioribus, intus uersicoloribus. Seritur qua uelis terra ab Idibus Octobris ad Calẽdas Nouẽbris.

Eruum Græcis, officinis orobus, uulgò Des ers, siliqua est cylindracea, fructu lignoso, nec lenticulæ dissimuli: flore cæterorum leguminum more particulatim erumpente, diúque floret: aliud candidum, aliud rufum inuenitur. candidum dulcedine præstat: utrumque in siliquis grana sine septo habet, quæ semuicem ut pisa contingunt. Siliquæ forma teres, & ad rationem grani cylindracea. siliquatur diuersis diebus, ab ima parte flore subeuntæ: patientissimum uetustatis est, in eo tamen phalangium innascitur. Pestis eius est orobanche, quæ & scapum & comam aggreditur, ut imbecillitatem suam fulciat, & tanquam brachiorum complexu uinciens totam plantam angit ac strangulat. Lætatur loco macro, humido non item, quia luxuria plerunque corrumpitur. potest & Autumno seri, nec minus post brumam, Ianuarij parte nouissima, uel toto Februario, dum ante Calendas Martias, quem mensem negant agricolæ uniuersim

huic legumini conuenire, quòd eo tempore satum pecori sit noxium, & præcipuè bubus, quos pabulo suo cerebrosos reddit.

Erulia, leguminis aliud genus, folio quàm faba longiore, flore apibus gratissimo. quamobrem circa alueuria seri præcipiunt, eisdem quibus lens pinsitur modis. nonnulli falsò duream uulgo dictam interpretantur. agricolis Vmbriæ eruliæ nomen retinet. Galli & Veneti dorã dorellámque nominant. folio est crasso & oblongo, ceu leontopodij, sed maiore, capitulu semen includẽtibus minutum, simile Nasturtio, tantùm exilius, flore candido: scopas ex ea ruri faciunt. Est & erulia, sylueſtris herba, amaritudinis eximiæ, colore & folio cicerculæ, quanquam minore.

Lupinus, nomen Gallis atque Italis retinet: unicaulis est: folium habet quinquefariam dissectum, siliquis per ambitum crenatis, quinis senísue intus granis, duris, rufis. cadunt ei folia tantùm. Lupino cura officit, quanuis altè conditum in terra, diducit radicem, & in summa nititur, atque ita ceu per uim germinat: grana eius in siliquis discreta septis. uiride nullum mandit animal. diuturnius id tradunt eruo ac cicere: sabulum & arenas & omnino uitia terræ sequitur: horrétque cultum ex omnibus quæ eduntur, & maximè ex iis quæ seruntur.

RADICES EDVLES, AGRIS EXCOLI SOLITAE.

Rapum ut in iusculis uel acetariis edatur serũt agricolæ. Huic radix est cartilaginosa, cortex carni adhærens: quæ si terra adobruatur, magis crescit, & ad æstatẽ

usque perdurat. nec tamen germina aut folium facit, nisi accumulatam humum sustuleris. Caulis fructum è latere parit, qui calidis locis celerius exit, ocyúsque siliquatur. utrunque sexum in hoc quoque genere intelligunt, ex eodem semine prouenientem, ut scribit Theophrastus. Laudatur semen eius tenue: crassum enim ultio non caret, seritur semine, pòst transfertur. dulcescit algoribus, per quos in radicem non in folia incrementum capessit. Rapo semen in siliqua est, quod Maio seri melius est. Sunt qui huius plantæ discrimina statuant maris & fœminæ. Hanc in latitudinem effundi, præcipua suauitate: illum in rotunditatem conglobari. Tertiam speciem syluestrem appellauere, in longitudinem radicæ procurrentem, raphani similitudine, folio anguloso, scabróque, succo acri, qui circa messes exceptus oculos purgat, medetúrque caligini admisto lacte mulierum. Rapa frigore dulciora fieri existimantur & grandiora: tepore in folia exeunt.

Napus, Bunias Græcis dictus, omnibus olim nostris, tamen hodie minus cognitus, semen gerit, antidotis ueterum dedicatum, ob id quod uenena expugnet. nunc suffecto quodam syluestris rapi semunio, huius uicæ abutuntur. A' ruribus tamen quædam herba colitur, rapo radicíque similis, quam Nauetam appellant, foliis rapi leuioribus, post adolescentiam erucæ modo laciniatis, cubitali scapo, aut interdum altiore, radicæ munuscula, floribus eidem proximis, caule cubitali uel altiore, cuius foliis non secus atque rapaciis uescuntur agri, præsertim cùm rusticos olerum inopia premit.

Raphanus die tertio à satu prosilit, & ex hybernis celerrimè exit: calidis locis, austrinis atque serenis temporibus celerius in caulem attollitur, semenque promit. Ra-

diæ terreno adoperta sequēti anno germinat, tellure abiecta. nam & crescere & durare ad æstatem usque ualet. gaudet, dulcescátque frigoribus, quibus incrementum in radices, non in folia uertit, quas liquescere Theophrastus est author. Porrò semen huic est in siliquis. Raphani genera sunt: Bœotium rotundum & dulce: Liothasium quod alij Thracium uocant, patientissimum frigoris: Cleonæum in longitudinem porrigitur: Corinthium amplissimum detecta stirpe nascitur: cuius foliū quo leuius est, eò & suauior & mitior esse existimatur. Traditur & genus unum erucæ folio. Fœminam appellant quæ minus acris est, habétque folia latiora, leuiora, & iucundè uirentia. Raphanum uitibus inimicum esse constat. hoc enim circum sito facile diffugiunt. Bis anno rectè seritur: Februario, si uernū fructum expectamus: & Augusto, cùm maturius. Terra stercorata & subacta obruitur. Pòst, ubi cæperit aliquod incrementum, subinde aggeratur: nam si super terram emerserit, dura eius & fungosa radix fiet. Satiuam raphanum appellant, cuius radix notior est, quàm ut explicari debeat, cùm ipsa quotidie uescendo sit.

OLERA IN AGRIS SPONTE NASCENTIA.

Lapsana, olus syluestre est, pedalis altitudinis, trium foliorum napi simillimorum, nisi candidior esset flore. coquitur in cibo. hæc est quam rura sanuas albas aut syluestres napos uocant. Nam & Dioscorides testatur à Romanis napum appellari.

Maluarum genera fuisse duo herbariæ rei prudentes

tradiderunt: alterum hortense, alterum syluestre, locis inultis nascens. Hortensis malua interdum arboreſcit, & baculi usum præbet, foliis amplis, circinatæ rotunditatis, rarioribus in ambitu segmentis. Huic caudex est simplex, luxurioſæ procæritatis, à medio ferè ad uerticem pulcherrimis floribus decoratus, breui admodum pediculo dependentibus, qui uenustate roſis non cedunt: & si ſuppeteret odor, de principatu certarent, cùm nec colore ſuperãtur purpureo uermiculatóue, nec etiam interdum candido, odore tantùm uinci constat. Capitula quædam breuibus innixa petiolis, & leuiter in mucronem fastigiata, primùm è caule proſiliunt, iiſque paulatim intumeſcentibus, prægnantia florum inuolucra fathiſcunt, in quibus debiſcentes roſæ ſeſe pandunt, & in folia explicantur, ſtructili quadam serie numeroſa, calycibus apices paucos complexis, qui lutei pulchrè emicant, quibus decidentibus, erumpunt purpurea ſtamina: his fœtus ſuccreſcit multipliciter tunicatus, atque in umbilici formam numeroſo semine cõagmentatus, in quibus cùm decuſſa sunt folia, reliquarum maluarum modo semina recluduntur. hæc æſtiuas coronas nectit. flos is minus quàm roſa fugax eſt. Pulchritudinem demirãtium uulgus transmarinam roſam cœpit appellare.

Alterum maluæ genus locis inultis naſcitur, folio rotundo, pingui, paucis in ambitu segminibus interæpto, caule magno, purpureis floribus prædito, radice candida. antiquis fuit edulis, & inter olera ueniebat: atque Octobri ſerebatur, ut quæ occurſu hyemis ab incrementi longitudine reprimeretur. Loco pingui & humido & lætato gaudet. Transferuntur plantæ eius cùm cœperint folia quatuor habere uel quinque.

Arnogloſſo aut plantagini Themiſon proprium uolumen dicauit, agreſtis huius oleris laudes abundè cõplexus. Duo huius ſunt genera: minus, anguſtioribus uiret floribus, mollioribus, leuioribus ac tenuioribus, caule anguloſo, in terram inclinato, flore pallido, ſemine acuminibus caulium emicante. Maius, craſſiore, uegetioréque eſt folio, latiore, betaceo: caulis ei anguloſus, ſubruber, altitudinis cubiti: à medio ad faſtigium tenui ſemine ueſtitus, floſculo in ſpica lanugineo ut frumento, particulatim erumpente, radicibus teneris, piloſis, candidis, digitali craſſitudine. Verumque plantaginis genus non niſi radicæ foliatum eſt. Arnogloſſum Græci uocauerũt, quòd folia agninæ linguæ ſimillima oſtendat. ſed maius in anguloſa ſpica luteum ac nonnunquam herbaceum florem oſtentat. Tertium genus eſt, oblongioribus foliis acuminatis, ac ueluti in lanceæ mucronem exeuntibus. quamobrem uulgus lanceolatam & lanceolam uocauit: de qua etiam in horto diximus.

HERBÆ REQVIETIS AGRIS ENASCENTES.

OEnothera Theophraſto, quibuſdam onuris, ſuculoſa eſt herba folio amygdalæ maiori, flore roſaceo, radice unoſa.

Ammi, Romanis cuminum Alexandrinum, quibuſdam AEthiopicum, aliis regium, notum officinis omnibus, præſertim ſemine, quod exilius multò quàm cuminum eſt, guſtúſque origani. ſemen ameos uulgò uocant.

Lagopus, aliis leporis cuminum, naſcitur in ſegetibus, pedi leporis ſimilis aſpectu. Genus eſt humilis triſo-

lij, quod uulgus trinitatem uocat.

Caryophyllata, uulgò sana munda, & herba benedicta, caule adolescit sesquicubitali, geniculato, angusto, ternis è pediculo longo foliis, articulatim exeuntibus, per ambitum fimbriatis, binis singula geniculà cingentibus. E' medio alarum sinu ramuli funduntur tenues, quibus in summis flos œu fragariæ luteus emicat: quo succusso caput extuberat, circinatis acinulis cumulatè stipatum, quasi rudimentum naturæ, fragi morum inchoantis, radiæ multis luteis capillamentis fibrata, caryophyllon olentè.

Elaphoboscum caulem emittit fœniculo, uel rosmarino similem, angulosum, foliis latitudine digitorum duorum, ut Therebinthi prælongis, infractis, & aliquatenus asperis, propagines multæ umbellas anethi subluteas sustinent. ipsum quoque semen anetho est simile, radiæ tres digitos longæ, unius crassitudine, candida, prædulci, esculenta.

Aparinam, alij omphalocarpon, alij philanthropon uocant. Ea spectatur pluribus ramis, exilibus, quadrangulis, asperis circa eos foliis, in orbem collatis per interualla rubiæ modo. flos albus: semen ei durum, candidum, subdulce, rotundum, à medio leuiter concauum, umbilici effigie. ipsa herba prætereuntium uestibus adhæresit. Officinæ & herbarij nominant aspergulam, rectius forsitan asperulam, quòd asperitate attingentium uestimentis pertinaciter hæreat: aliqui ruellam, rura non inconcinniter gratæronem.

Alysson, herba fruticosa, unicaulis, foliis per initia satis rotundis, ubi adoleuit oblongis, & per ambitum leuiter serratis, fructu duplicium scutorum effigie, in quo

est semen quadantenus latum, in asperis emicat.

Anchusæ (Galli orchanetam uocant) folia lactucæ similia, fastigiata in exilitatem, hirsuta, scabra, nigricantia, numerosa, circum radicem per terram strata, aculeatáque. Radix crassitudine digitali, colore sanguineo. æstate manus inficiens, nascitur pinguibus locis. Caulis ei non ut aculeatarum modo humi serpens, sed stans.

Agrostis, Latinis gramen, uulgò canis dens & herba canaria, passim cognoscitur geniculatis ramulis atque internodiis serpens, radicésque ab iis geniculatas dulcésque spargẽs: folia ei sunt in tenuitatem cacuminata & dura, ut arundinis paruæ lata, bubus iumentísque pabulariũ. Gramen in Parnaso spectatur, hederacea specie, densius quàm usquam fruticãte, flore odorato candidóque: à cuius ramorum internodiis & cacuminibus nouæ pullulant radices.

Sideritis prima, alij heracleam nuncupant, folio est quàm marrubium longiore, ad similitudinem saluiæ aut quercus, sed fœdi odoris, minore tamen & aspero, caulibus quadratis, altitudine palmi, quandoque maioribus, modicè linguam astringentibus, sapore non iniucundo, uerticillis per interualla marrubij, & in iis semen nigrũ continetur. Nostris herbariis & officinis, barbaro nomine tetrahil dicitur, aliis herba Iudaica: huic enim uulgari plantæ omnes sideritidis notæ sunt conformes. Folia habet marrubij, sed longiora, satis ad frondem quercus aut saluiæ accedentia, minora tantùm & scabra: caules fundit quadratos, palmum sæpius excedentes, non iniucundi gustus, sed tamen aliquantum substringentis, quos per interualla uerticillati orbes coronant, ut in marrubio, in quibus semen est nigrum. Inuenitur in petrosis.

Oxyn crediderim esse eam, quæ uulgò panis cuculi aut alleluia dicitur. Folia habet terna, dissolutum stoma chū mirè recreātia. de hac etiam in trifolio dictum est.

Chrysanthemon, aliis chalcas, chalchanthemon & buphthalmos, hoc est, bouis oculus, herba est teneritudinis fruticosæ, leuibus cauliculis, folio cōsecto, floribus luteis, multùm splendentibus, bouis oculi modo in orbem circumactis, unde nomen habet. nascitur circa oppida. Certè Chrysanthemon nec forma, nec uiribus à buphthalmo differt: uerba tantùm esse credimus mutata, manente eodem sensu. Incisura foliorum & florum instar oculi in orbem circinati discrimen adfert: sunt enim buphthalmo fœniculi folia, minimè cōcisa, sed in speciem capillamenti extenuata. Vtrique flos oculari specie luteus, buphthalmo maior anthemude, chrysanthemo multō splēdor nitet. Herbæ totius procēritas sesquipedem non excedit. ubi nascitur, aquam subesse signum habent aquileges.

Ageraton in palmeam altitudinem adolescit: humilis alioqui herba, & omnino simplex, non dissimilis origano, umbellas gerens, in quibus flos colore aureo, ampullaceus, minórque helichryso: tulítque id nominis ex eo, quòd flores suos diu conseruet incolumes.

Hyoscyamos, Romanis apollinaris, frutex caulibus crassis, foliis latis, oblongis, cōcisis, nigris, cui secundum caulem ordine prodeunt flores, specie cytinorum mali punici, clypeolis semine plenis. Tria huius genera: unum floribus penè purpureis, folio simulacis, nigro semine, cytinis duriusculis & spinosis. Alterum floribus effigie mali, foliis & folliculis simplicioribus, semine irionis subflauo, utrumque insaniam pariens, capitisque uertigines ac so-

porem: proinde abdicantur usu. Recepere tertium medici placidissimum, pinguius cæteris, molle, lanuginosum, floris & seminis candidi, nascens in maritimis & ruderibus. quòd si occasio huius non sit, utendum erit flauo: nigrum cauetur ut deterrimum. Officinæ iusquamum hodie nominant in Gallia, permulti hanebannam. Est autem frutex herbaceus tristi aspectu, folio longo, lato, pingui, hirsuto, uenoso, laciniato, caulibus crassis, è quorum latere flores ordine prodeunt, tanquam punicorum cytini: muricatis calycibus ramos continua serie uestientibus, semine intus papaueris refertis. Genus aliud est lanuginosum, molle, pinguius, subluteo colore, succulentum, flore lacteo, concolori semine, album nominant, atque id in maritimis inuenitur. Tertium flore luteo, subrufo semine, similitudine Irionis flauum dicunt.

Aconitum pardalianches folia habet tria uel quatuor, cyclamini aut cucumeris specie, minora tamen, leniterque hirsuta: caulem palmi altitudine, radicem incuruam, scorpionum caudæ similem, alabastri modo resplendescentem: prouenit in Creta.

Cicuta, Græcis κωνίον, caule est geniculato, ut fœniculum, foliis ferulæ angustioribus, graueolentibus, cacumine ramoso & umbellas sustinente, flore subcandido, semine albidiore, quàm anisi, radice concaua, nec profunda. Gallis hodie cigua nominatur, passímque nascitur ferulacei generis, tricubitalem sæpius excedens procritatẽ. dum pubescit, apium ferè dixeris, & pro eo nonnunquam fallit, lethali edentium periculo.

Phlomos Græcis, Romanis uerbascum, Gallis Boullon blanc, officinis tapsus barbatus, genera habet summa duo, alterum folio candido, alterum nigro: cãdidum

rursus in marem & fœminam digeritur. fœminæ folia sunt brassicæ, hirsutiora, latiora & candida: caulis cubitalis, candidus ac leniter pilosus, flos albus & subpallidus: semen nigrum, radix longa, acerba, crassitudine digitali. nascitur in campestribus. mari folia candicant, sed longiuscula: sunt & angustiora quàm fœminæ, caulis quoque tenuior. Verbascum nigrum paria omnia supradicto habet, foliis latioribus, minúsque candidis. Est & syluestre uerbascum, altum, uirgis arboreis, folio saluiæ, orbibus uirgas cingentibus ut marrubium, floris lutei, fulgore auri. Est item simulis uerbasco herba, quæ sæpe fallit pro ea capta. hæc abiecta blattas contrahit, ideóque Romæ blattariam uocant, foliis minus candidis, cauliculis pluribus, flore luteo.

AEthiopis folia habet uerbasco similia, perquàm hirsuta, densáque, in orbem circa radicem imam sparsa, caulem quadrangulum, scabrum, adultum, arctio aut apiastro simulem, alarum cauis multis: semen erui magnitudine, in singulis uasculis geminum, radices ab eodem cæspite numerosas, longas, crassas, glutinosásque gustu: siccæ nigrescunt, durantúrque ut cornua possint uideri. nascitur in Messenia & Ida mõte Troadis plurima.

Arction, qui dã Arcturum uocant, similis est uerbasco foliis, nisi quòd hirsutiora rotundioráque sunt, radice tenera, dulci, albáque, caule molli, longo, semine cumini, paruo: ab urso nomen habet. Lappam minorem herbarij uocant. hallucinãtur qui ungulam caballinam uulgò dictam esse censent. Est enim bechion aut tussilago quæ uocatur ungula caballina.

Petasites, pediculus cubito maior, crassitudine pollicis, è quo prægrande folium galeri modo amplum ut

fungus dependet. à pileo nomen traxit, ex quo apud Græcos petasati Castor & Pollux diœbantur: nec aliud Mercurij petasus est quàm galerus. rura nostra maiorem bardanam uocant, cuius tantæ amplitudinis est foliũ, ut & caput ab insolatu & pluuiis uindicare possit.

Chamepeuœ, coloris est per totum herbacei, folio pusillo, inflexo, inflexis etiam ramulis, flore roseo.

Catanancæ differentias habet duas: altera folio est oblongo ut coronopus, radiœ tenui, iuncea, capitulis senis, septenísque, in quibus, & semen eruo persimile. flectitur exarescẽs in terram, & ad speciem unguium milui exanimati se contrahit. Altera mali exigui magnitudine conspicitur, radiœ parua œu oliuæ, foliis quoque oleæ figura & colore, mollibus, inclinatis in terram, diuisis: semen in uirgulis foraminibus peruium, minutum, ciœris effigie: cuius altera species inuenitur ab herbariis nostris bistorta nomine.

Sicys agrios, officinis staphis agria, alij elaterium, Romani cucumerem anguinum, alij cucumim syluestrẽ, quidam pituitariam uocant, fructu tantùm à satiuo distat, quem multò minorem habet, & glandibus longiusculis simulem: cæterum ramis est & foliis paribus, alba radiœ, grandi ruderibus sabulosísque nascitur, toto frutiœ amara est.

Staphis agria, Romanis herba pedicularis, folium habet labruscæ, diuisuris scissum, cauliculos rectos, nigros, florem isatidis, folliculos uerius quàm acinos, uirides, ciœri similes, & in iis semen triangulum, scabrum, ex nigro subrubrum, intus album, gustu acri. Inuenitur in opacis.

Thapſiam, alij hypopion, Romani ferulaginem, aliqui ferulam ſylueſtrem uocant: planta in Thapſo ſui nominis inſula primùm inuenta, ferulacei generis, caule tamen graciliore, fœniculi foliis. In cacumine ſingulorum ramulorum umbellas anetho ſimiles gerit, & ſuper eas lutæos flores, ſemen latiuſculum quale in ferula, dũtaxat exilius. Cæterum radix eſt magna, interius candida, nigro cortice.

Chamelæam Romani cilibracam, alij oleaginem uel oleaſtellum uocant, cuius rami palmi altitudinem non excedunt. Proinde frutex eſt ſurculoſus, folia oleæ ſimilitudinem habent, tenuiora, guſtanti amara & mordacia, ut linguam uelliçant. Naſcatur in petroſis, nec palmi altitudinem excedit. Recentiores oliuellam, officinæ mezereõ appellant: baccas fert uirides per maturitatẽ ex parte rubeſcentes.

Cynia ſiue cynocrambe, ſylueſtris linozoſtis aut atriplex officinis: cauliculum habet duûm palmorum, folia herbæ Mercurialis aut hederæ, ſubcandida ex interuallis, ſemen apud folia paruum, rotundum.

Caucalis Dioſcoridi cauliculo eſt dodrantali, interdũ altiore, ſubhirſuto, foliis apij in cacumine fœniculi modo tenuiter ſciſſis, piloſiſque, umbella in ſummo candida, odoratáque.

Thlaſpi aliis Thlaſpidion, herbariis naſturtium ſylueſtre uel tectorum, quòd ſubinde naſcatur in parietinis: uulgus noſtrum ſinapi ruſticum appellat, quoniam digitis friatum ſinapi ſubolet. In ſcrobibus, ſemutis & ſepibus inuenitur, foliis in terram ſe conuertentibus, digitum longis, anguſtis & quadantenus pinguibus, per extrema leniter imaſis, caule ſeſquipedem alto, adnatis in

eo paucis calycibus, capitulatis, breui pediculo nitentibus quadam ligularũ uel cochlearium effigie, in quibus semen continetur, nasturtio simile, sed latius, & uelut infarctum, lunata peltarum specie. Alterum Thlaspi Crateuas tradit, quod aliqui persiconapy uocant, latis foliis, radicibus magnis. Quidam pastoris bursam uulgo dictam existimant esse, sed foliorum habitu seminis gustu, & eiusdem figura conuincuntur.

Anthalium AEgypto peculiare, nec nisi mensis cognitum. nascitur locis arenosis haud procul à Nilo, mespili magnitudine & rotunditate, sine nucleo, sine cortice, foliis cyperi.

Anthriscus, Plinio, eadem erat quæ & scandix, si tenuiora folia & odoratiora haberet. Est enim folio scandicis crassiore & minus odorato.

Canariam inuenerunt canes, qua fastidium deducant, eámque in nostro conspectu mandunt, sed ita (sicuti est Plinius author) ut nunquam intelligatur quæ sit. Etenim depasta cernitur. Quinetiam notata est animalis huius malignitas in alia herba qua percussum, à serpẽte sibiipsi mederi dicitur, sed illam homine inspectante non decerpere. Verùm canaria humilis est herbula, foliis tritici multò minoribus, calamulo tenui, geniculis pyxidatim adhærẽtibus articulato, internodiis modo tibiarum in se infarctis, quæ tracta è suis uaginulis exeruntur, euanida spicæ loco panicula, atque hoc quidem pacto folio & culmo triticum, cacumine arũdinem æmulatur: nostrates herbam canis appellant. hac enim gustata præsentaneam eliciunt uomitionem, sic ut excusso rursus uentris onere, uorandi moliantur auiditatem.

Cantabrica, à Cantabris populis in Hispania inuenta

est per diui Augusti tempora : nascitur ubique caule iunceo, pedali, in quo sunt flosculi oblongi uelut calathi : in iis semen perquàm minutum. Cantabricæ nomen dedit ea pars Hispaniæ, quam hodie Biscaiam uocant. Exilit passim propter uias: semine exili, radice nigra, longa, digitali crassitudine, foliis humi sessilibus, longis, quæ non extolluntur à terra, rura colubrinam herbam uocant.

Consiligo, Plinio, herba in Marsis reperta: à ueterinariis pulmonaria dicta, quòd pulmonum uitio, hoc remedio succurratur. At quæ demonstratur apud nos pulmonaria, frutex est aspectu tristi, caulem erigens squamosum, cubitalem, polliculari crassitudine, qui teretibus stylis ac ferè trientalibus brachiatur : mucrone septena uel octona folia spargente, breuibus nixa petiolis, saligna specie uel cannabina, per ambitum rariusculè serrata, ueluti è lacerto in formam expansæ manus radiatim exposita, mediis multò longioribus, ut quædam digitorum rudimenta uideãtur. Consiliginis flos insidet herbaceus capparum non absimilis, candidis intus staminibus, apice minuto notatis, terna seminum loculamenta sepiẽtibus, sed hæc ut oborta confestim emerserunt, ita breui tempore caduca contabescunt. Vulgus Gallicum pomeleam uocat, quasi pulmoneam. herbarij Patam leonis.

Cornu cæruu, uulgaris herba, priscis aut ignota aut intacta, nascitur in limitibus, tanquam pede calcari gaudeat, nunquã se ab humo attollens, quasi cylindro æquatam dixeris, ita solo adhæret in orbem sparsa. Sunt qui sine flore, sine semine nasci putent, flosculũ tamen in ea cõspeximus albũ, ac semẽ echinatis uirgis occlusum: nec multùm dissidere puto ab ea quã Columella miluinũ pe-

dem appellat, quòd eius folij extremum in miluini pedis effigiem articuletur.

Pastoriam bursam uulgus appellat à folliculis, in exiguæ urgæ similitudinem compressis, turbinata cordis effigie. herba non temerè pede altior, ramosa, parus erucæ folius, semine in uirgis minuto, radiæ numerosa: nascitur propter uias, & in parietinis.

Bugrandis uulgò, aliis aresta bouis, quòd arantibus iumentis infesta sit, ramos spargit fruticosos dodrante pedis longiores, frequentibus cinctos articulis, à quibus alæ funduntur. Capitula exerit circinata, folia lentis exilia, ad rutæ uel pratensis loti figuram, quadantenus hirsuta, iucundum odorem expirantia, inter quæ nocentiores & mucronatæ cuspidis aculei quasi spicula subrigūtur. flos ferè pisi dilutiore micat purpura, è quo decussa falcata prodit siliquula. radix ultrò citróque uagatur.

Enneaphyllon suo se nomine repræsentat: nam foliis nouem longis constituitur usque ad exulcerationem, æstuosa ui ac feruente.

Erysithale foliis est acanthi, luteo flore. datur in uino contusis & euersis.

Gerontopogon, Nicandro gĕraos pogon, senilis uel senis barba, inter saxa gignitur: Hetruriæ saxifica, Romanis petræ barba, Galliæ Cispadanæ barbula hircana, quòd tragopogoni ferè tota similis sit: folio est hirci barbulæ tenuiore, longioríque: caule paruo, super quem calyx longus & barbula quæ summo uertiæ senum more incana funditur: inde presbyteri barba uulgò dicitur: flore luteo nitet, qui in uolucres barbulas euanescit, quas pueri barbam dei nominant. Inter senis barbam & hirci hoc interest, quòd hirci barbula radiæ est dulci, atque

oblõga, & in scapo calyx ingens, flos purpureus, & prolixa barba. In gerõtopogo radix amara, flos luteus, in caulis uertiæ calyx lõgus, qui in caneſcẽtes barbulas fathiſcat.

Heptaphyllon, hoc eſt ſeptifolium, Galli tormentillã, rura boſciſouchetum, officinæ biſtortam appellãt. Quinquefolio herbæ ſimilis eſſet, ni ſeptem haberet folia, utrinque lanuginoſa, flore luteo, radiæ puniceæ & intorta: nam quæ tormentilla uulgò dicitur, quinquefolio ſimilima uiſitur, niſi quòd ſeptem, non quinque, caulem ferè cæſtis interſtitiis ambirent, quare poteſt à nobis heptaphyllon uocari, hoc eſt ſeptemfolia. Biſtorta quoque eſt altera, rumicis folio, à terra æſio, ſupra herbaceo, flore rubro, cæruleóque radiæ. utrique ad eadem effectus, ſed huic imbecallior.

Holcus in ſaxis naſcitur, ariſtas habet in cacumine tenues, culmum qualẽ hordeum reſtibilẽ. multi zeam eſſe contendunt inter ſaxa prouenientem: alij ſilueſtrem eſſe uolunt auenam.

Hioſeris intubo ſimilis traditur, ſed humilior eſt & tactu aſperior: uulneribus contuſa præclarè medetur.

Illecebra, Græcis andrachne agria, nonnullis ſemperuiuum minus, aliis ſoldanella: ſilueſtris eſt portulacæ genus, maiori ſemperuiuo ſimile, niſi quòd folia habet puſilla, ſed latiora maculoſáque, item breuius cacumen, fuluis eſt caulibus, guſtu ſalſum, lacteo ſucco, radiæ tenui, candida: naſcitur in petroſis agris.

Impia, Plinio, incana, roriſmarini eſt aſpectu, Thyrſi modo ueſtita, inde alij ramuli adſurgunt, ſua capitella gerentes. ob id impiam appellauere, quoniam liberi ſupra parentem excellant: alij potius ita appellatam uolũt, quòd nullum animal eam attingat: floret uere: officinis

Christoculus, nõnullis à radicis odore caryophyllõ dicitur.

Lappa canaria à reliquis eiusdem nominis sola humilitate differt, sic dicta, quòd canibus adhæreat.

Lappago, Plinio, est similis anagallidi, nisi esset ramosior, ac pluribus foliis, aspera, rugosa, ingrati succi, grauis odoris. quæ talis est, mollugo uocatur, similis, & asperioribus foliis, asperugo.

Teucrion & Teucria uirgas habet multas, trissagini similis, folio tenui, ciceris amplitudine. prouentus eius in Cilicia, plurimùm iuxta Gentiada Cissadémque. Ramis hyssopi describitur à Plinio, suraculosa, folio fabæ. colligi florentem adhuc iubent. Mihi planè uidentur hallucinari, qui eam esse herbam contendant, quam uulgus appellat inuersam fabam, cùm suraculosa repræsentetur ramis hyssopi, folio fabæ.

Chamedryn Romani trissaginem & serratulam, nonnulli, similitudine quadam, Teucrion: uulgus Germandream nominat. quatuor digitorum altitudinem non excedit: in petrosis & asperis nascitur, foliis paruis, effigie & diuisura quercus (unde nomen habet) amaris: flore penè purpureo, exili, carpitur prægnans semine: officinis Græcum nomen insedit: queraulam uel serratulam uulgus uocat.

Ambrosia fruticem unum habet densum, ramosum, tenuem, trium ferè palmorum, radice breuiore, foliis rutæ circa imum caulem. In ramulis semen est uuis dependẽtibus, odore uinoso, qua de caussa botrys à quibusdam uocatur, ab aliis artemisia. Non est quæ ab herbariis demonstratur, ramis exilibus, patulis, folio nepitæ multo, ruta aut sanguinaria longiore ac maiore, in quorum cacuminibus corymbi dependent, nigro semine, radice cubi-

tali, subalbida, radicułæ, hoc est struthio simili. Inuenitur in montosis ac macris: nam ea polemonia putatur esse.

Geranion, uulgò acus pastoris, foliis est Anemones, diusuris longioribus, radiæ penè rotunda, dulci àm manditur. cacumine, gruini rostri figura, quod in mucronem acuminatur.

Geranion alterum, uulgò pes columbinus, foliis est maluæ paulò candidioribus, exiliori etiam caule, binûm palmorum altitudine, lanuginoso, flosculo purpureo, capitellis gruini capitis modo rostratis. Legitur æstate, siccatúrque in umbra ad testium tumores. Hallucinantur qui hanc herbam Robertianam cognominant, caulibus rubentibus, flore paruo, subpurpureo. Tantum enim abest, ut folio sit maluaceo, ut illi nihil magis repugnare uideatur: cicutæ folio ærnitur, radiæ teretæ, molli, cibo non insuaui, odorata, reliqua facie cicutam uidetur æmulari.

Boarica Romanorum Græcis est buphthalmos. caulículos habet teneros ac subtenues, folia fœniculi, flores lutæos, maiores quàm anthemis, grandibus oculis similes, unde nomen habet. In campis & circa oppida nascitur: quidam cachlam uocant. Cachlã tamen quidam purpuram uocant, eámque esse herbã, qua purpura tingitur, ait Phocion grammaticus. Rura nostra (quòd aureo fulgore eius flores uniuersi resplendeant, ac luteo quodam splendore colluæscere ernantur) crocum nominant amomullam.

Phalaris, thyrsulos fundit à radicibus tenuibus & superuacuis frequentes, geniculatos, bipalmésque, calamis similes zeæ, graciliores tamen atque dulces. folia quoque similitudinem eius habent: semẽ amplitudine milij, sed oblongius.

Cepæa portulacæ simulis est, folio nigriore, radice tenui, nascatur in littoribus arenosis, gustu amara.

Meu seu meon, Athamanticum cognominatum, in Macedonia & Hispania copiosissimũ, caule & foliis est anetho simile: uerùm crassius, & interdũ altitudine duûm cubitorum assurgens, radicibus sparsis, tenuibus, aliis in obliquum actis, quibusdam altissimus, odoratis, gustu calido, linguam accendente: nostris officinis anethum syluestre à similitudine florum uocatur. Herbarij tortuosum anethum appellauere.

HERBAE CVLTIS AGRIS ENASCENTES.

Melandrion Plinij herba in segete ac pratis nascens, flore albo atque odorato, cuius flagella ex uino trita, iecinoris uitia emendant.

Molon, agrestis herba, caule est striato, foliis mollibus, paruis, radice quadrãtali, in qua per extremum allij caput extuberat. Plinius & Syron dici tradit, quæ à nostra uulgari filipendula non multùm differt.

Melãthion Græcis, gith Latinis, frutex est pusillus, tenuibus festucis, octo digitorum, uel eo amplius altis: foliis paruis, senecioni similibus, exilioribus tamen, capitulo in summo gracili, exiguo, forma papaueris, oblongo, interius loculosa distinctione septorum, in quibus semen pullum, acre, odoratum. officinæ nigellam Romanam appellant, rura poeuretam quasi piperaceam dicũt, quòd odoratam piperis modo referat acrimoniã, aut qua piperis uice in multis utantur: siquidẽ exiguè fruticat, ramulis tenuibus.

Aliud omnino genus creditur esse, quod in segetibus

passim nascitur, nigellæ cognomento, foliis ferè porri, oblongis, prælõgo culmo, flore purpureo, semine ac toto frutice maius quàm Melanthion, nec odoratum: quare pseudomelanthion appellari potest, aut githago. Etenim gith folium habet fœniculi, senecionis sue, florem cæruleum, nec ubique prouenit, quare multis in hortis apud nos seritur. optimũ gith excitatissimi est odoris, & nigerrimum.

Glaucion in Syria nascitur, humile, densis, pinguibus, ac per terram sparsis foliis, ut papaueris cornuculati: minoribus tamen, sordidioribusque, odoris tetri, gustus amari cum astrictione: granum habet crocei coloris. huius folia indigenæ fictili olla in clibanis calfaciunt, donec flaccescant, deinde exemptis ac tusis succum exprimunt. Officinis memitha, barbaro Mauritanorum nomine dicitur: cuius succus croceus ex Hierapoli Syriæ defertur, legitúrque madens ex herba, odore graui, gustu amaro.

Xiphion, Romanis spatha, aut segetalis gladius uel gladiolus, iridis similia habet folia, minora tamen, angustiora, & gladij modo mucronata, neruosáque. In caulem exit cubitalem, in quo purpurei flores in ordinem digesti inter se distant, semine & radice rotunda, sine cortice, capillamentis fibrata, duplicis ordinis: quarum una insidet alteri, ceu pusillus bulbus, inferiore gracili: superna uerò habitiore, adultioréque. Inuenitur inter segetes & locis fertilibus. radicem ante messes effodi oportet, & in umbra siccari.

Xyris, quam etiam Romani gladiolum dicunt, uulgus glaiolum. quidam irin agrestem, foliis est iridi similibus, uerùm latioribus, & in cacumine cuspidatis, caule inter folia cubitali, triangulas siliquas ferente, in quibus purpurei flores emicant, medio rubentes. semen in

folliculis fabarum effigie cõditur, rotundum, rubrum, acre. Radix prædensa geniculis, rubicunda, longa.

Lycopsis (quidam huic & nomen anchusæ dederunt) longioribus est quàm lactuca foliis, crassioribus, asperis: à capite eius ad radicem prolapsis, caule longo, erecto, hirsuto, adnatis multis, cubitalibus, similiter scabris, flore in iis paruo, purpureo, radicæ rubra, astringente. nascitur in campestribus.

Echion folia habet prælonga, subalbida, scabra, in rubrum anchusæ modo inclinantia, minora tamen & pinguia, sentibus densis, & eisdem candidis, cauliculo tenui, copioso, minutis utrinque foliis dependentibus ac nigricantibus, ad cacumen usque breuioribus, pro suo cuiusque numero. Inter folia purpurat flos, & in eo semen occulitur, uiperæ capitulo simile. Radix exilior digito, subnigra. Plinius echios, inquit, utriusque generis pulegio similis est, coronata foliis. Altera lanugine distinguitur spinosa, cui capitula sunt uiperæ. Quidam echion personatiam uocauere: sed Nicandrum uidetur sequi Plinius, in theriacis ponentem echios duas, contra bestiarũ ictus utiles. Alteram humilem, folio anchusæ spinis horrido, sed exili: Alteram altiorem maiore folio, flore pauco, per ambitum purpureo, capitulis uiperæ, cacumine aspero, astricto.

Ocimoides, Romanis ocimastrum: folio nascitur ocimi, ramis palmũ altis, hirsutis, siliquas (hyoscyami figura) sustinentibus, seminis nigri plenas, melanthio similis.

Elatine, folia habet Helxinæ, minora rotundioráque, pilosa, tenuibus & semipedalibus ramulis, quinis senísue, ab radice statim folioſis, gustu astringentibus: nascitur in segetibus ac cultis. Radix numeroſis comatur fo

liis, quæ uelluntur cum stirpe sua dum tenerescunt, antequam caulem agant: uulgus campestre rapistrum uocat: falluntur qui pilosellam esse putent, reclamantibus apertè natalibus: neque enim in cultis, neque in segetibus prouenit, neque semipedalibus quinis seníue ramulis à radice folioſis exit, nec folia ei rotundiora helxinæ uisuntur, sed potius mucronata, ramulis graminis modo per terram reptantibus, radicæ alba, prætenui usque in capillamẽti speciem, in collibus terrenis reperta. Non sunt item audiendi, qui pimpinellam uulgò dictam esse existiment elatinen, cùm etiam natales situs auersentur. nam in pratis incultis, nec usquam subacto solo nascitur: imò potius horret satiua, nec ramulus exit à radice folioſis. est autem folio piloso, latè crenato, exili, in rotundum oblongo. Thyrsuli foliis emicant ex cæsio candicantibus, in quorum summo nascuntur capitella rubentibus punctis maculata.

Phœnix, Romanis lolium murinum dicitur: folium habet hordeaceum, breuius & angustius: spicã lolio similem, ramos digitorum senũm circundantes radicem, spicas senas octonáue. nascitur in aruis tegulísque recens illitis. Auena sterilis à multis hodie dicitur.

Papauer rhœas, à flore qui protinus ei deciduus est, dictum, in aruis cum hordeo ac frumento uere nascitur. folio est origano, erucæ, intybo erratico aut thymo simili, inciso longiore & magis scabro, caule iunceo, aspero, cubitali, recto, flore rubro, interdum candido, simuli anemonæ, sed latiore. Caput habet oblongum, quàm anemones minus, semen rufum, radicem longam, subcandidam, minoris digiti crassitudine, amaram. Latini uocant erraticum papauer, officinæ papauer rubrum, ru-

ra coolurdas.

Psyllium, Romanis herba pulicaris, in aruis terrenísque reperitur, folio coronopi, piloso, procériore, ramulis palmi altitudine lanuginosis, à medio foliatis, fœni modo sarmentosis, coma coronopodis, à medio erumpente caule: capitula gerit bina aut terna, cacuminibus compressa, duobus tribúsue conuolutis in cacumine capitellis: semen eius pulicis formam refert, nigrum prædurúmque: flores canino capiti non dissimiles: quamobrem cynocephalion & cynoides uocatur. pulicosæ quoque illi sunt in cacuminibus bacæ, unde officinæ pulicarem uocant.

Capnos Romanis fumaria, uulgò fumus terræ, herba est frutícosa, coriandro simulis, prætenera, folio candidiore, cinerei coloris, undique numeroso, flore purpureo, omnibus notissima.

Myrrhis, aliis myrrha, simillima est cicutæ cauli, flore foliísque: minor tantùm & exilior, cibo non insuauis. nostris herbariis & officinis hodie cicutaria dicitur. Falluntur qui cerephyllon passim in hortis nascentem intelligant. est enim gingidion.

Myagron siue Melampyron, herba est suculosa, tripedanea, foliis rubiæ, pallidis, semine fœnigræci figura, oleoso: hanc rustici in Gallia serunt, quãuis & suæ sponte inter segetes inueniatur: Melampyron ideo Græcis quasi nigrum triticum dici crediderim. nostri uocant camelinam aut camaminam suculosam.

Isopyron uocant aliqui phasiolon, quoniam folium cacuminibus in phasioli pampinos torquetur. Capitula huic sunt in summo caule tenuia, plena seminis melanthij gustum imitantis, folio anisi.

Buglosson, Romani linguam bouis appellant à folio-

rum figura: quidam, quòd in uino coniecta, animi uoluptates augeat, euphrosynum. officinis borago, nostris Borroche, aliquibus porrago. similis uerbasco, foliis in terrã sparsis, nigrioribus, asperis, bubulas imitantibus linguas, flore cæruleo, speciosо, caule pedali aut ampliusculo, ramoso. Officinæ aliam euphrosynon obseruauere, quam euphrasiam dicunt, hyssopo simulem, cauliculis purpureis, folio paruo per ambitum serrato, floscaulo albicante: nascitur in opacis collibus.

Cynoglosson, Romani linguam caninam à foliorum figura uocant, plantagini latifoliæ similis est, angustioribus & minoribus foliis, lanuginosísque, sine caule, humi strata sabulonibus. Non esse eam canis linguam, quam officinæ circunferunt, euidentius est, quàm ut probari desideret. Nam officinarum canis lingua non est plantaginis effigie: sed angusta, prælonga, subtus lanuginosa, gerit folia, nec uenosa molliáque, caule cubitali, suraculoso, flore purpureo, semine in lappaceis umbilicis rufo & exili.

Anthirrhinon siue anarrhinon, anagallidis foliis & caulibus simulis, flore purpureo, ad effigiem uiolæ albæ, unde syluestrem lychnim appellauerunt, semine uituli naribus conspectu simili. rura oculum catti uocant, alij moronem uioletum.

AEgilops Romanis auenago, festuca est & folio tritici molliore, summo in capite semina bina uel terna rubentia gerit, in quibus aristulæ capillamenti modo prætenues uisuntur. Necat hordeum, in quo maxime nasci solet: post annum semine suo gignitur. Vere, pilosum ei est folium ut lolio, non tamen ut illi pingue: solum emaciat, radiæ culmóque multiplici, melius in culto prorumpit.

Remedium est ut arua biennium quiescant, tum planè luxuriantem eam immissum pecus obterat consumátq;.

Bromos, quam Italia etiam nominat auenam, similis est ægilopi, & hæc est auena syluestri ferè habitu, inter uitia segetis spicam ferens, radicæ copiosa, & multiplici culmo sparsa.

Thymelæam, aliqui chamelæam, alij cneστrum & cneorum, Frutex est in quo nascitur granum gnidium, quòd Euboes ætolium, quidam linon appellãt, à similitudine quam cum lino spartho habet. Rami sunt huic tenues, speciosi, cubitorum binûm: similis est chamelææ, foliis tamẽ angustioribus, pinguioribus, gummosis, glutinosisque: flores illi sunt albi, & inter eos semen quale myrthi, exiguum, rotũdum, initio uiresces, postmodum rubens, foris durum nigrúmque. Latini & hanc & chamelæam præcipuè, casiam uidentur appellasse. Cuius duo genera feruntur: candidæ, cui folium cutis modo quadãtenus oleagineum: & nigræ, cui folium est carnosum, myrtho similius. Candida humi se magis spargit & odorata est: nigra, sine odore. Radix ambobus alba, prægrãdis: rami copiosi, surculosi, crassi, à terra protinus, aut paulò suprà emicantes, admodum lenti, ut quibus ad uinciendum pro iunco utantur. post æquinoctium Autumni germinant, florémque emittunt qui diutinus est.

Heliotropion maius, alij scorpiurum, alij helioστrophon, alij heliopoda, alij sesamon agrion appellant. Scorpiuri nomen habet ab effigie scorpionis caudæ, quæ in floribus inuenitur: heliotropij, ab eo quòd folia cum sole circumaguntur: folia gerit ocymi, pilosiora & nigriora: ramulos à radice ternos ac quaternos, sæpe quinos, è quibus alæ complures exeunt, floribus in capite candi-

dis aut subrubẽtibus, æu caudæ scorpionum inflexis, radicem habet tenuem, supernacuam: nascitur crasso solo. Mihi plurimùm errare uidentur, qui solsiam uulgò dictum, aut officinis calendulam, aliquibus solis sponsam, heliotropion esse censent. Nam quanuis cum ortu solis oriatur, & cum occasu claudatur, tamen flos qui ei luteus est, reclamare cognoscitur. Nam heliotropio candidus tribuitur.

Coronopus, Latinis pes cornicis, inter aculeatas, spontéque nascentes herbas à Theophrasto recensetur: radicem mittit gracilem, ac per humum serpit, breuibus coliculis aculeatis. Quibusdam capriola uocatur, aliis sanguinaria, quòd naribus indita sanguinem eliciat: nostri olitores dẽtem canis ab acumine folij uocant, quanquam eodem nomine gramen appellent: nascitur in terrenis & secus uias.

Orobanche, cauliculus est sesquipedalis pusillo excelsior subrubens, sine foliis, hirsutus, pinguis, tener, flore subalbido, in luteum uergente. Radix illi subest digiti crassitudine, quæ dum ariditate flaccescit, scapus debiscens in rimas dissilit. Legumina, inter quæ nascitur, strangulat: unde & nomen inuenit: in Parisiensi agro tenia appellatur.

Ornithogalon caule est tenero, sesquipedali, tribus aut quatuor sursum mollibus agnatis, unde flores exeũt, foris herbacei, interius lacte candicantes, in quorum medio capitulũ cachryos modo dissectum emicat. A rusticis passim eruitur, rotunda radice, bulbaceam speciem præ se ferente, è cuius medio cauliculus exit, tribus aut quatuor adnatis appendicibus in cacumine, foliis in capillamenta quædam extenuatis. Suessionensis ager churlos uocat.

Aphacæ, tenuia admodum folia habet, pusillo altior est lenticula, maiores siliquas ferens, in quibus terna aut quaterna semina sunt nigriora & minora: rura nostra uocãt agrestem uiciã, quòd simili omnino habitu in aruis conspiciatur: nec desunt è recentioribus qui uiciam esse censeant notissimam omnibus frugem: sed hæc quanuis alteri congener udeatur, non tamen prouenit in aruis, nisi cultu diligenti & labore.

Lepidium olim fuit peregrinum, nunc multis in locis seritur à Fauonio: dem cùm frutic auerit, iuxta terram præciditur, & uelut porrum sectiuum demetitur, sed rarius. Post Calendas Nouembres secandum non erit, quoniam frigoribus uiolatum emoritur, præsertim si sæuitia hyemis ingruat. Nam impatiẽtissimum est algoris: biennio tamen sufficiet, si diligenter sarritum runcetur, & stercore satietur: multis in locis uuacitatem suam usque in annos decem prorogat. Herbarij nunc non lepidium sed raphanum appellant, radicis forsitan similitudinem contemplati. Nam hæc frutic at folio laurinis maiore, molliusculo, quod tandem postquam adoleuit, gladij retusi ferè speciem accipit: primum exeuntis folij statim rudimentum in laureum explicatur. Caulis in cubitalem exurgit altitudinem, radic magna, intus lignosa, spissiore libro uestita. Duo Lepidij genera Columella facit: satiui, cuius serendi rationem, ac imaginem ueteribus traditam nũc docebamus: Siluestris, quæ Hiberis existimatur, quam Paulus tradit & Lepidiũ & agriocardamon appellari.

Anemonen Nicander ex Adonidis cruore natam prodidit. Theocritus in Bucolicis è lachrymis Veneris, Adonidem lugentis, prodiisse finxit: florem suum facit non

multo post germen: erumpit Autumno post aphacen primis imbribus. Duo eius fastigia, sylueſtris prima, altera in cultis nascens: huiusque plures species. aut enim phœniceũ florem habet, aut candidum, aut lacteũ, aut purpureum, folia coriandro similia in molles & innocentes aculeos desinentia: cæterum scissa tenuius inclinantur in terram: caulículi exiles lanuginosique, super quos flores exeunt papaueris, & in medio capitula coloris nigri aut cærulei. Radix oliuæ implet magnitudinem, geniculis distincta. Sylueſtri per omnia maior amplitudo, latioribus foliis, durioribus, caput oblongius, flos puniceus, radiculæ plures ac tenues. Aliud genus est sylueſtre foliis nigricantibus, cuius flos nunquã se aperit, nisi uento spirante, unde & nomen accepit: herbam uenti uocant. Omnium autem flores uere prosiliunt, quos siue lactei siue purpurei sint, rura nostra Coquelourdes, aut Cocles uocant. Alia ab olitoribus nostris in hortis seritur, coronis dedicata, quam ob floris præstantiam passiflorem appellant, foliis coriandri, multò tenuioribus mascuris, caulibus aliquantum lanuginosis, in quorum summo flores emicant purpurei, papaueris specie, & in medio capitula nigra, nonnunquam cærulea protuberant: album florem non memini me uidisse. nosse tamen oportet, & si flos anemones fuerit papauerino similis, non tamen capitulum quod erumpit in medio esse papaueraceũ, sed uelut asparagi cacumen. Explodendus ergo ille in hæc tempora inueteratus error existimãtium anemonem esse rubrum papauer uulgò dictum, foliis euidentissimè reclamantibus. Sosibius anemonas à Spartanis Phœnidas uocari tradit: sunt qui Plinio authore phœnium nominent.

Argemone Dioscoridis similis est papaueri sylueſtri,

foliis anemonæ, diuisis: florem habet puniceum, caput in caule papaueris rhœadis, duntaxat longiore, supernis partibus fuso in maiorem latitudinem: radicem rotundã, succum colore croceo, sapore acrẽ: nascitur in aruis. Non sunt audiendi qui luxatis literis agremoniam hodie uocent, herbam in frutetis prodeũtem, cauliculis in terram resupinatis, foliis cùm adolescit herbaceis, ubi maturuerit ferrugineis, per ambitum semper fimbriatis, quinquefolij aut cannabis similibus, singulari thyrso, quem pilosæ concoloréque uestiunt lappæ, quæ cùm efflaccuerunt, aridæ uestibus propter ingredientium adhæresunt: quorum opinio facillimè refellitur: nam argemone, apij foliũ aut coriandri præ se fert. Hæc quinquefolium aut cannabinum exprimit: illa florem dimittit puniceum: hæc (si diligenter inspiciatur) luteum: illa papaueris erratica caput extendit: hæc pilis horrentes lappas in cauliis fastigio demonstrat.

Anagallis in duo genera dirimitur, fœmina flore cæruleo conspicitur, mas puniceo. Iacet in terra uterque sexus, folia in cauliculis quadratis pusilla & modicè rotunda, ad helxinæ similitudinem: gerit quoque semen orbiculatum: mirum, quòd fœminam pecora uitãt: at si decepta similitudine (flore enim tantùm distant) degustauerint, statim eam in remedio quærunt, quæ asyla uocatur, à Romanis ferus oculus: quibusdam morgelina siue gallinæ morsus uulgò nominatur: radix minuta, subdulcis. pedibus in aruis ubique proteritur, in uliginosis lætior prouenit: hallucinantur qui mouronem uulgò dictum aut passerinam, florem candidum ferentem, huic anagallidum connubio retulerunt, illius uirilis fœmineique sexus diuortium facientes. Nam hæc cauliculo ro-

tundo, foliis helxinæ minoribus, non sic hirsutis exit.

Chelidonium minus Dioscoridi, sine caule exit, foliis hederæ rotundioribus, minoribúsque, pediculis quibusdam à radice dependentibus, item teneris & aliquatenus pinguibus. Radices habet pusillas, frequentes ex eodem callo prodeuntes, in tritici modum aceruatim congestas, quarum tres aut quatuor tantùm in longitudinem progrediuntur. In limitibus humidis & palustribus gignitur. Hanc longè dissidenti nomine, officinæ uocant scrofulariam, quòd grumosa radix multis granorum frumenti grumis uideatur coaluisse.

Isatis satiua siue glastum, quo infectores lanarum utuntur, folia fert plantagini similia, sed pinguiora, nigrioráque, caulem duûm cubitorum: Glastum olim Galli dixere, nunc guadum uel potius gualdum: nonnulli S. Philippi herbam uocant. Sunt qui Indicum à colore nominãt: glastũ, hoc est infectoribus dicatũ, De la guaulde

Alectorolophos, Latinis crista, folia habet simlia gallinaceæ cristæ, multa, caulem tenuem, & semen nigrum in siliquis: mutat colorem: nam ex nigra albicare incipit & intumescit, ac per se exit. Hæc Plinius. Quo argumento multi eam esse putant, quam olitores nunc orualã, nũc totam bonam, Itali sclariam uocãt: nanque & apud nos rura semen orualæ ad eosdem effectus usurpant: folium ei betæ, lanuginosum, serratúmque in modum cristæ, scabritie lacunosa, prorsus inæquale: caulis ab imo ruffescens, quadrangulus, flos spicæus, è rubro subpurpureus, quo excusso, in alabastriculis dehiscentibus uescum & atrũ semen cõspicitur: odorata tota & uulgaris.

Alopecuros, spicosa est ut plantago, sed hirsutior & lanuginosior, nec tamen in acus aut aristam exit: plan-

taginis in modum ſpicatur: florem tamen non quemadmodum illa particulatim edit, ſed per totam ſpicam, frumenti modo ſpargitur. Vtrique lanugineus proſilit floſculus. Sunt qui hanc eſſe contendunt, quam uulgus paſtoriam urgū appellat. Quin & in aruis inuenitur herba ſpecie frumētacea, folio tritici, culmo gracili, paucis nodis geniculato, ſpica plantaginis, nullis aeribus aut ariſtis armata, lanugine ſpiſſa horrens, aſperitate ueſtium ſequaci. ſiquidem non ulloſa tantùm lanugo, ſed & ſpica tota fimbriarum tenax eſt: ruri caudati frumenti nomine cognita.

Alliaris herbae folia cùm primùm emicant, circinatae ſunt rotunditatis, uiolae nigrae ſimilitudine, aliquantum maiora, uerùm adulta in angulos exeunt. Herba bicubitali proceritate conſurgit, caulibus teretibus, foliis urticae, niſi quòd laeuiora ſunt, parcius fimbriata, & à pediculo latiora, allij odoratu cùm teruntur, floſculo luteo, exili in pelliculis ſemine, atro colore, radix oblonga, eodem cum foliis odore. Sunt qui putent ſcorodotim hanc eſſe, falſi quadam odoris cognatione: ſiquidem ſcorodotis foliis eſt ſimilitudine quercus, minoribus, lanuginoſis, quadrangulo caule, flore ſubrubro: alliaria uerò, frondibus urticae modo fimbriatis, rotundo caule, flore luteo. Illa tantùm ſubolet allium: haec ita repraeſentat, ut iuſto allij odore nares impleat, niſi quis arbitretur ſcorodotis aliud genus eſſe, quàm Cratenas repraeſentat, latioribus foliis, menthaſtro ſimile, nec de ea aliud ſcriptum inuenio.

Anthemon folioſum, in ſegetibus paſſim naſci cernitur: foliis ferè porri oblongis, calamo lolij, flore purpureo, quo in coronamentis utimur, herbaceo caliae, ſemine tribus uerſibus ſtriato, atróque, unde ei nigellae nomen.

Rusticis nostris De la nyelle, semine ac toto frutice maius est, quàm melanthion, nec odoratum, quapropter pseudo melanthion uocari potest. Verùm pedali altitudine tantùm surgit, foliis fœniculi uel senecionis, flore cæruleo, stellato, scapo papaueris longiusculo, in quo semen nigrum, odoratum, gustu subamarum œrnitur. Hoc pistrinis, illud solùm œronis nascitur: illi in proœrioris culmi uerticæ unicus flos emicat: hoc non uno cõtentum, permultis scatet floribus. Nostra rura propter odoris suauitatem, piperellam uel poeuretam appellant. Officinæ nigellam Romanam.

Anthyllon, alij Anthyœllon uocant: cuius Dioscorides primum genus lenti simillimum facit, ramis rectis, foliis mollibus, radiœ tenui, oblõga, non insulso gustu, unde hãc salsosam posteritas appellauit. Nam salem etiam ex ea fieri memoriæ proditum est.

Rosam cyanus excipit, cyanum amarãthus. Triuialis flos est, in frumẽtario nascens agro, hortis quoque rusticorum & puellarũ œrollis dedicatus, œalyœ rosarum, sed squaroso atque tristi, plurimis stipantibus cæruleis barbulis, unde à summa cærulei œloris gratia blaueolos appellarunt, lingua nostra blaueum appellante cæruleum: Parrhisini albisenos. Italicis quoq; tractibus baptiseaula dicitur, quoniam secantibus & metentibus officiat, retusa in occursum eius falœ: nam & seailã ueteres falœm dixerunt. Inuenitur & purpurei & niuei œloris cultus, adulterino genitiuum permutante, alioquì semper flos, nisi culturæ senserit mangonium, cæruleo nitet œonspectu, nullius in medicina usus.

Dios anthos, Plinius florem Iouis interpretatur: inodorus est, nec nisi œloris gratia œoronamentis additus,

Nam flos eius æstiuus, odoris expers, cœlore tantùm purpureo cœmendatur, quamobrem Latium paradisi florem, Hetruria aliſti appellat, Galli dei oculum, alij cœlurdas nominant, cauliculis mœnis, calycæ quadrangulo, purpureo, bettunici flore, aculeatis apicibus, foliis circa terram frequentibus, semipedali longitudine, sesuncialí latitudine, mollibus ac lanuginosis, radicæ numeroso capillitio fibrata. errare putem qui uiolam cognomento flammeam, (quæ phlogion, aliquibus phlox appellatur) eandem esse cum Iouis flore scripserunt, quod apertissimè liquet. Nam flammea uere statim post purpuream emicat, siluestris duntaxat: interdum tepidioribus locis, ubi cælũ arridet clemẽtius, nascẽs nondũ exacta hyeme, cœlore cœmendabili, odore nullo, semine proueniens coronis. Iouis flos, licet sine odore sit & coronarius, obseratúrque semine, tamen æstate floret. Violæ inodoræ genus esse putauerim, quam uulgus Gallicum pensea uocat, folio mercurialis herbæ, per ambitum crenato, cauliculo triangulo, intus cauo, leuiter striato, ex interuallis geniculatim foliato, prodeuntibus ex alarum sinu pediculis longis, in quibus summatim eluœnt uiolæ, figura & specie purpurearum, tribus floscullis supernè latioribus, atra purpura saturatis, duobus infernè luteis, minoribus, quinque uersibus exaratis, rutilo ignis fulgore nitentibus, unde putant aliqui flammeis annumerari. Iis decidentibus capitula protuberant seminis plena, qualia in purpureis uiolis spectantur. Ea etiam uere post purpuream emicat, syluestris duntaxat: quanuis semine nascatur coronis, odore nullo quidem, sed cœmendato cœlore: post pupuream uere prosilit: ea quoque plurimùm durat, ut quæ prorogetur in Autumnum: nec alia

de flammea inueniuntur à classicis authoribus memoriæ prodita, nisi forsitan ramuli & folia sunt odorata, flos modorus.

Dodecatheo folia septem lactucis similia exeunt, à radiæ lutea: herbarũ laudatissima, Homero teste, quam uocari ab aliis putat moly. Maxima, ut refert Plinius, authoritas herbæ, quam dodecatheum uocant, omnium deorum maiestatem commendantes: folia eius septem, lactucis simillima prodeunt ab radiæ lutea: profecto hac effigie frequenter in dumetis enatam uidimus.

Veneris pectinem appellant à similitudine pectinum, cuius radix cum malua tusa omnia corpori infixa extrahit. Herba repræsentatur radiæ candida, oliculis semipedem altis, aut paulò maioribus, foliis pastinacæ, sed tenuioribus, flore albo, exili, dependentibus summatim compluribus rostellis, in mucronem turbinatis, & pectinatim inter se disiunctis. Rura nostra simul & officinæ, quòd mucrones rastellorum modo ex serie quadam dentati promineant, rastellũ: uel quod idem est, falcetum appellare maluerunt: inter segetes copiosa nascitur.

Anonis, foliis ueluti præcedentium compluribus, non ineſt aculeata mordacitas, sed secundum spinam quæ in ramis est, habet folium, ut tribulus, apposito folio, rutæ simili: toto enim caule foliata est in modum coronæ: nascitur culto solo, pingui & glutinoso, præcipuè in segetibus, aratri inimica, uiuáxque supra modum. Cùm enim lætam nacta tellurem hæserit, in altum agitur, & sese propagat quotannis suculos è lateribus fundens. Secuto anno sese radix penitus insinuans spargit, pluribus ramis luxuriantibus, ideóque runcanda & radicibus eruenda. Conuenienter extirpabitur, cùm ter-

ra maduerit imbribus: sic enim facilius emoritur: aliàs si quæ manserunt humi reliquiæ, restibili fœcunditate re uuusæt: æstate germinationem suam auspicatur, à frugibus perficitur, autumno sui incrementi finem faciens. Antequam spinosa fiat, ramuli gerunt acuminatas spinas, spiculis firmioribus nõ dissimules: radiæ candida nititur. Hæc nostratibus officinis prorsus ignota: quod demiror, cùm messoribus & fœnisecis præclarè cognoscatur, qui sæpissimè spiculorum in segetibus latitantium noxam experiuntur, Arrestebeuf nominantes.

Gethyum Theophrasto, penè sine capite est, cruicis tantum longæ, & ideo totum in fronde, sæpiúsque resecatur ut porrum: quapropter & illud serunt, non deponunt mensibus Martio, Aprili & Maio. Secunda sementæ post æstiuum solstitium defigitur, decimo aut duodecimo die prosilit, sed è recenti semine maturius: non anniculum modò, sed & bimum quoque fructificat: germinat è latere uno caule consurgens, sed quo radix ipsa deficiatur, foliis intus cauis, condimentarum & cæparum est generis. Cæterum gethyon putauerim esse quod docti cæpulam, Gallicum uulgus partim porretam, quasi porraginem, partim ciuetam, quasi cæpitiam appellat.

Ibiscum aut ebiscum aut hibiscum quidã siluestrium maluarum generi tribuunt, atque althæam uel molochen & aristalthæam uocitant, cui iudicio Galenus subscripsit: alij & specie, & medicinarum usu seiungunt, quibus Plinius astipulari uidetur, qui hibiscum à pastinaca gracilitate tantùm distare sentit, damnatum cibis, sed utile medicinæ: addit, pastinacæ simile esse hibiscum, quod molochen agriam uocant, & aliqui pliston lochiam.

Ischæmon humi serpit, nulio persimile, foliis asperis & lanuginosis. Thracia eam inuenit, qua ferunt sanguinem sisti, non aperta modò uena, sed etiam præcisa: milium agreste putant aliqui nominari.

Iſos, Theophrasto, duplici est fastigio, nigro & candido: flos fructúsque pro ratione discriminis niger aut candidus est: quanquam & medio colore fructus quandóque cernuntur, & flores in purpuram inclinantes, uirgis & folio tenuioribus. Itaque tria eius statuuntur genera, candidum, nigrum, & inter utrumque medium. Illa fructum florémque concolorem habent pro ratione discriminis, medij flos ex purpura candicat: item fructus, quando neque fuluus, neque exalbidus: folia quoque tenuiora læuioráque habet, ramulis gracilibus & læuibus. In Aëtio ision quædam herba legitur, cuius cibo pituita detrahitur, nec satis animaduerto an eadem sit cum iso.

Hirci barbula, Græcis tragopogon, radicem longam habet, dulcem, folium croci longius, caulem paruum, super quem calyx latus & barbula, summo uertice incana & prolixa funditur, unde nomen accepit: nascitur in arvis sua sponte. Crescit & altilis etiam in hortis, pastinato altiúsque subacto solo, folio latiusculo, flore purpureo, calyce grandi, barbulis pensilibus, incanísque, in auras tandem euanescentibus: radices in altum agit, quæ hybernis diebus acetaria dulcedine sua cõmendant. Vtraque (cùm carpitur) manat lacte, sed quæ nascitur in asperis, magna ex parte luteo flore nitet, altilis, sæpius purpureo, apicibus multis, aureo colore sparsim micantibus. A' plurimis nunc Romana consuetudine dicitur petræ herba, quòd asperis locis quasi è mediis saxis

uideatur erumpere: à quo etiam Hetruria saxificam peculiariter appellat. Gerontopogon eadem esse creditur permultis, sic dicta, quòd nascatur promissa barba, foliis longis instar capillorum. Non sunt hîc audiẽdi seplasiarij institores, qui pro barbula hirci quandam demonstrant, emendicato alterius herbæ uocabulo, prælonga folia ferentem, hirsuta, anchusæ proxima, minora tantùm, spinulis tenuibus horridula, sentibúsque densis obsessa, caulículos exiles, numerosos, minutáque utroque latere folia in uersus digesta, summa scapi parte minuscula, flores purpureos. Nanque illa caulis & folij læuigata glabritie placet, hæc mordaci lanugine tangentem uellicat: illius folium instar croci gracilescit, huius satis ampla latitudine protenduntur: item huius uertex imberbis est, nisi flores in aceruum cõgestos, barbam placeat appellare: alterius à calyce promissa pendet barbula.

Leontopetalon Italia papauerculum, & leoninum semen appellat, caule semipedali, aut etiam maiore, aliis numeroso, quarum cacumine in siliquis semina ciceris modo bina ternáque continẽtur, flore punicæo, simili anemones, folio brassicæ, diuiso, papaueris forma: radix nigra similis rapæ, strumosa, tuberculis quibusdam seu nodis articulorum eminentibus, nascitur in aruis frumentario agro. Pata leonis officinis & herbariis hodie dicitur.

Gnaphalion Græcis, Romanis centunculum aut centuncularis herba, cuius foliis albis mollibúsque pro tomẽto utuntur. Sunt qui eam herbam esse autument, quæ uulgò cruciata dicitur: cùm humilis sit & inde chamæzelon cognominata, foliis albis, mollibúsque, & omnino laneis, quæ ad tomentum facile usurparentur: sed quorum iudicio non ausim subscribere, quia tam paucæ eius tra-

dũtur notæ, támque cõmunes, ut in multis aliis possint inueniri: nam neque foliorum, neque floris, neque totius herbæ effigies explicatur, sed tantùm tomentitia mollities & candor, à quibus tutum de herba fieri non potest iudicium.

Est & cærealis typha, de qua inter fruges diximus, longè ab hac differens sine geniculis, sarpi modo nascens, radicibus multis, ut triticum hordeúmque, folliculo multiplici, leuissima frumẽtorum, solo etiam gracili facilè proueniens, tritico persimilis.

Hedysaron, ab unguentariis pelecinos uocatus, frutex est foliis ciceris, pusillus, folliculis modo cornicularum aduncis, semen cõplectentibus rusum, amarum, securiculæ ancipitis figura, quo argumento nomen inuenit: inter hordeum triticúmque prouenit. Pelecinon in segetibus nasci dicit Plinius, fruticosam herbam cauliculis multis foliis ciceris: semen in siliquis ferentem, cornicolorum modo aduncis, ternis, quaternísue, quale gith noscitur, amarum, stomacho utile. A nostris securidaca nominatus, quòd semen bipennis effigiem æmuletur. Aliquì fabam lupinam, alij herbum: rura nostra grauam. quòd (ut existimo) tritico & hordeo, cum quibus alitur, suo complexu grauis sit & molesta.

Onosma folia gerit anchusæ oblonga, mollia, ferè quatuor digitos procera, duos lata, in terrámque iacentia, anchusæ proxima, sine caule, sine flore, sine semine: subditur radix pusilla, quadantenus longa, infirma, tenuis, modicè rubescens: in asperis prosilit.

Anthyllis, duorum est generum, foliis & ramis lentiscillima, palmi altitudine, ramis rectis, foliis mollibus, radice tenui, oblonga, salsuginosis, apricis nascente, sub-

salsa gustanti. Altera est anthyllis, aiugæ uocatæ similis ramis & foliis, sed asperior, hirsutior, breuior, flore purpureo, odoris admodum grauis, radicæ erratici intubi.

Anthemis, quibusdam eranthemon, quoniam uere floreat: aliis chamæmelon, quòd odorem habeat mali syluestris. Tria eius genera flore tantùm distant, ramis palmum non excædentibus, frutico sis, & frequentes alas spargentibus, paruis exilibúsque: præterea capitulis rotundis, flores intus aureos continentibus, foris candidos, aut melinos, aut purpureos, in orbem foliis minutis ut rutæ. In macro solo aut iuxta semitas colligitur uere, omnibus officinis interpolato nomine Græco, & uulgo camomilla dicitur.

Lithospermon, aliqui ægonychon, alij diospyron, alij semen leoninum: à lapidea seminis duritia nomen accepit. Folia ei oleæ prorsus inessent, nisi longiora, molliora, latioráque uiderentur, iuxta radicem humi iacentia, ramulis rectis, tenuibus, crassitudine acuti iunci ualidis, surculosis, quibus in summis biforcipes exeunt caulicili, foliis inuestientibus magnis, penes quæ lapideum semen, rotundum, exiguum, in eruu magnitudinem extuberat: nascitur macro solo, locis eminentibus. omnibus tam officinis, quàm medicis, hodie milium solis appellatur, quòd (ut reor) semen candore solari, ac lucis splendore fulgeat.

Erythrodanon, Latinis rubia, duplex est: Dioscoridi, altera sponte prouenit, altera seritur, ut Thebanæ in Galilæa, & Rauēnæ in Italia. In Caria certè inter oleas, tanquam in segetibus seritur propter emolumētum, quod ex ea quæstuosissimum sentitur: quadranguli eius caules, asperi, longi, similes aparinæ, maiusculi prorsus sir-

miuſculíque, foliis circa articulos per internalla ſtellatim decuſſatis, & uelut in orbē circunquaq; radiatis, ſemine rotūdo, per initia uirente, proceſſu rubro, ubi planè maturuit nigro, radice tenui, longa, rubente: ſerpit humi ut gramen, locis umbroſis conſpicienda: ſemen eius rubrum eſt: laudatiſſima Italica, & maxime ſuburbana, radice amara, & anchuſæ modo rubicunda: officinis rubia tinctorum appellatur, francis garenſa.

Aliſma quod & Damaſonion, folia habet plantaginis angustiora, & in terram conuerſa, caulem tenuem, ſimplicem, cubitum excedente proceritate, caput thyrſi, florem album, exilem, & aliquatenus pallidum, radices ut ueratri nigri tenues, odoratas, acres, modicè pingues. In aquoſis erumpit.

Chamæpitys per humum ſerpit, incuruæ ſimilis, foliis ſedi, minoribus, tenuioribus, hirſutis, circa ramos frequētibus, odore pinus, flore tenui, albo uel luteo, radice cichorij. Altera eiuſdem cognominis, cubitalibus eſt ramis, anchoræ modo incuruis, minutis crinibus, coma ſupradictæ, flos candidus, nigricans: ſemen olet pinū ut ſuperior. Tertia maſcula dicitur, paruula, læuior, foliis exilibus, candidis, piloſis, caliculo craſſo & albo, floſculis melinis, ſemine puſillo, ſecus alas eodem odore quo cæteræ item ſpecies. Chamæpitys Aiuga, Plinio appellatur, aliis thus terræ, propter abortus: officinæ ſimul & herbarij, iuam appellant muſchatam. Tantùm abeſt ut chamæpitys, quæ ab officinis hodie demōſtratur, ſit ea Dioſcoridis & Plinij, ut nihil magis eius deliniationi repugnare cognoſcatur, cùm nullo ſit pinus odore.

Melandryon Plinio herba eſt in ſegete naſcens, flore albo, odorato.

Phu, nardum Creticum uocant, folio est olusatri, caule cubitali, geniculato, in purpura albicante, radiæ obliqua, & imitãtæ (ut Plinius est author) auium pedes. Prouenit in Creta & Ponto: in Gallia studiosè colitur: huius tempestatis herbarij Valerianam maiorem appellant, & uertentretũ, quod adolescat caule sesquipedali, concauo, articulato, ex purpura candicãte, folio olusatri, lacteo narcissi effigie floseulo, per medium leuiter purpurascente, radiæ obliqua, ulloſa, suppingui, fibris ueratri nigri modo capillata, nardi odorem imitantibus, cum nonnulla grauitate: effoditur æstate, siccatúrque in sole. De hac etiam alibi dictum est.

Helenium, Dioscoridi, duplex est: unum Inula Romanis dictum, folia ferens uerbasci angustiora, asperiora, oblongáque: quibusdam in locis sine caule prodit, radiæ subcandida & subruffa, odore iucundo, maiuscula, gustu acri, tactu molli. ab ea propagines panguntur, excisis è radiæ gemmantibus oculis, ut in lilio serundo & aro fieri solet: nascitur in montibus opacis, siticulosis: æstate radix eruitur, & concisa siccatur. ea hodie ab officinis enula uocitatur, & à rusticis campana, iunctis utrisque uocabulis, uulgò enula campana dici consueuit.

Struthion, Græcis: Latinis, radicula uel lanaria, ut olim notissima fuit, sic à Dioscoride minimè depicta relinquitur. Spinosa herba est, non tamen acanacea, caule lanuginoso, folio oleæ: floret æstate. grata aspectu, uerùm sine colore, semen ei nullum: radix magna, teres, oblonga, quæ conciditur purgandis lanis. Ea est quæ communi officinarum consensu saponaria dicitur, quoniam eluendis uestimentorum maculis, sordibúsque lanarum expurgandis, saponis uicem exhibet: quidam herbam ful-

lonum etiam nominant, quòd interpollandis uestibus, & mangonio poliendis fullones ea utantur. Mauritanis condisum dicitur. Magno uersantur in errore, qui nescio quã herbam pro saponaria demõstrant, apud aquas nascentem, & in glareis, fabaceo caule, quadrato, bicubitali, glabro, folio plantaginis, laciniosõ, per ambitum serrato, flore purpureo, summatim emicante, semine nigro, capitulatis calycibus contento quasi folliculis in sese inflexis, uelut in iride & polyporum cirris, radice pingui, crassa, rapum olente: quæ deliniamenta minimè priori saponariæ conueniunt, sed magis clymenum uidentur exprimere.

Arisaron pusilla est herba, cui radix est oleæ tuberculo, acrior gustu quàm aron. Galenus longè minus aro tradidit, radicem magnitudine oliuam æquare, multò maioris acrimoniæ. Paulus multò minus esse sentit, sed acrius, radicem oliuæ magnitudinem referre. hærent non immeritò quidam, an eadem sit herba aris & arisaron: ambiguitatem tollit pictura & uires, quæ utrique consimules redduntur.

Hastula regia, Græcis asphodelus, herba non ignota, multis foliis, porro similibus, scapo læui, florem gerẽte cacuminibus: antherican uocant: radices longæ, rotundæ, glandibus simules, gustu acri: semen abundè profert lignosum, triquetra figura. colore atro nascitur in orbiculari folliculo, qui flori subiectus est, æstate decidens càm dehiscit: particulatim floret ut scylla, incipiens ab imo.

Blattaria uerbascum ita mentitur, ut sæpius pro eo fallat, foliis minus albis, pluribus caulibus, luteo flore: hæc abiecta blattas in se contrahit, ideóque Romæ blattariam uocant. Nomen itaque Latinum à colligendis in se blattis adinuenit.

Pratum.

IDSOLVM *non hominibus nostris tantùm, sed etiam antiquis magnopere commendatum fuit, quod minimum agricolæ laborem requireret, uberem tamen ac copiosum fructum domino suo proferret. Summáque priscorum omnium in hoc spectando fuit, ut fructus is maximè probaretur, qui quàm minimo impendio constaturus esset. Quapropter Cato aliquando interrogatus, quisnam esset agri certissimus quæstus, respondit, Si bene pascat: quis proximus, Si mediocriter. Nullus autem ager melius pascat dominum suum, atque pratum: unde aiunt* Varro *libro* 1. *de re rust, cap.* 7. *& item* Plinius *lib.* 18. *cap.* 5. *prata antiquis parata dicta fuisse. Et* Columella, *necessarium eius agri cultum esse dixit, cui ueteres* Romani *primas in agricolatione partes tribuerunt. nomen quoque indiderunt, ab eo quod protinus esset paratum, nec magnum laborem desideraret.*

Pratorum alia sunt irrigua, alia siccanea appellata. Rigua uel irrigua prata sunt, quæ riuo influenti irrigantur, & tanquam suis naturalibus aquis, humoris pabulo saginantur: quod necessarium est, cum id macies terræ expostulat: quemadmodum si in densa & resoluta humo, atque exili, prata facias, ea quidem tum erunt optima, cùm facultas irrigandi dabitur: quod certe fit, siquãdo palus aut lacus aut flumen aliqua parte subsidẽs, re stagnat in pratũ: deriuatur autẽ aqua per sulcos undecunque pratum prætercurrentes, quò humor superueniẽs lẽtè prorepat, nec abũdantius quàm par sit fluat. Aqua-

rum enim abundantia, æquè atque penuria (inquit Columella) graminibus est exitio: quapropter antiqui riuos pratorum irriguorum ita deducebant, ut quando liberet occluderent: reserarent autem, quandocunque esset maximè necessarium. Hinc illud Virgilij,

Claudite iam riuos pueri, sat prata bibêre.

Siccanea prata, nullis aquis, præterquam imbribus irrigantur, siccitate soli gaudent, & absque riui deductione suapte natura fœnum optimũ gignunt: læto enim pinguique campo non desyderatur influens riuus: meliúsq; habetur fœnum quod suaptæ natura succoso gignitur solo, quàm quod irrigatum aquis elicitur. Siccitas autem ea referenda est ad exteriorem soli superficiẽ, potius quàm ad ipsum terræ corpus internum: quod certè absque naturali qui subest humore fœnum optimum (quod humido præcipuè nutritur) generare uix posset: alioqui soli siccitas herbis omnibus fœnilib⁹ est inimica. Succosum id solum Columellæ dictum esse puto, quod intus præhumidum, naturali & insita quadam humiditate nutritur, ut aduentitia, præterquam cæsti, non indigeat. Atque ea quidem humiditas naturalis, ab aqua quæ solo subest, aduenit. Nam eo loco si paulò altius terram effodias, maximam uim aquarum subesse comperies. Quod facile indicant, & accliuis quæ plurimum esse debet pratorum positio, aut etiam in imis locis: item uicinus uel saltẽm parum inde remotus amnis aut lacus, ac præterea herbarum, quæ locum humidum desiderant, spontina quædam productio, ex qua aquileges aquam subesse facile existimant.

Nouella prata dicuntur Palladio, quæ recenter fiunt, quandocunque ad id opus destinatur solum, ut fœ

num producat. Formanda sunt ea prata, ex eiusdem authoris sententia, Septembri mense, loco pingui, rosido, plano, leuiter inclinato. quod & noua prata instituere idē ait principio Nouembris.

Vetera prata idem appellat, quæ Plinius senescentia, nempe quæ propter frequentem herbarum productionem atque irrigationem, uel sterilescunt, uel muscum contrahunt. fieri enim non potest, ut terra, uno seminis ictu, perpetuum fœtum in multos annos proferat: interdum enim sterilescunt prata, interdum fructum non usqueadeò uberem proferunt: quod uel carie, uel incuria, uel uetustate accidere solet.

Prata summissa uocat Varro, quæ in acliui loco sita sunt, quemadmodum Virgilius arida, in quibus herba per æstus exaruit, quo tempore tondenda sunt ac subsecanda falcibus: uerùm de culturæ uocabulis nunc est paucis diœndum.

VOCABVLA AD PRATORVM CVLTVRAM PERTINENTIA.

Extirpandum atque impedimentis omnibus liberandum agrum, quem in pratum destinauerimus docet Palladius libro 2. in Septembri, antequam proscindatur aut exaretur: hoc autem fit, dum herbas latiores & solidas, atque adeò uirgulta ex agro deponimus, quæ alioqui uel aratro uel uanga aut bidente difficillime auferrētur: uulgus nostrum uocat Essarter.

Dilapidandum quoq; agrum ad pratum nouellum destinatum docuerunt antiqui agricolæ: hoc est, submouendos atque egerendos esse lapides omnes, tum maiores,

tum etiam minores, qui arationi & proscissioni soli plurimum nocere possint: Id uerò agricolationis genus quidã uulgò uocant Esperrer.

Proscindere locum, quem prato dicauerimus, æstate oportere iubet Columella: *hoc est terram esse uertendam atque excolendam, siue aratro siue bidente id fiat, quò semen facilius suscipiat.* Terra *autem cùm primum aratur, tum proscindi dicitur (inquit* Varro *libro* 1.) *quod uulgus nostrum ait,* Labourer, *si id quidem aratro fiat: si autem bidente,* Houer de premiere facon.

Subigendum post proscissionem pratum præcipiũt omnes agricolæ: cùm post primam arationem, relictæ glebæ uel occantur, uel confringuntur: quæ duo postrema uocabula ad eius agri qui suis tẽporibus diuersam arationis culturam requirit maximè pertinent. Vnde *terram subigere fissione glebarum elegantissimè dixit Cic. secundo de Natura deorum.* Exercitãdum *agrum & multa aratione resoluendum docet* Palladius, *antequam fœnili semine inspergamus: quod fit submotis (inquit) lapidibus, & glebis ubique confractis.*

Macrioribus *& aridioribus locis, atque exili terra, si uicina sint riuis prata: tamen interdum stercorari debent, & aspersa recenti lætamine saturari (ait* Palladius) *uulgus nostrũ fumare uocat: quod ut apud antiquos fieri solebat, ita etiã apud nos fieri quotidie uidemus, ac præsertim siccaneis pratis, & Februario mense. Stercore enim, quasi pabulo glisci exilis terra, inquit* Columella. *disponitur autem stercus in aceruos, qui uno aut altero postea die disiiciuntur, inarantur, & terræ obruuntur, ne solis habitu uires amittat, & ut permixta humus prædicto alimento pinguescat. Quinetiam si prata sint m*

cliui aut plano iuxta collem, iubent antiqui agricolæ elsiora loca sterorari. Nam æditior cliuus præbet subiectis alimentum, cùm superueniens imber, aut manu riuus productus succum sterœris in inferiorem partem secum trahit. quapropter agricolæ etiam maratum collem magis quàm uallem sterorant. Verùm à superiore prati parte fundendus est fimus (ait Palladius) ut eius succus per totum possit elabi.

Serere pratum nouellum omnibus agricolis in usu est, quum terram ad pratum idoneam post primam aut secundam culturam semine ex fœnilibus desumpto inspergimus, interdum uiciam & medicam fœni seminibus permiscentes: nonnunquam, ex Columellæ & Plinij præcepto, per autumnum rapis uel napis, uel etiam faba conserentes, & insequente anno frumento: tertio autem post dilegētem arationem, semē uel florem ex fœnilibus conserētes, atq; ex præsepibus fœno delapsum spargētes.

Post sationem ferro tangi pratum non debet, itaque cratire oportet (inquit Plinius) quod interpretatur Columella, inducta crate cœquare, ad dissipandos grumos, quos ad uersuram plerūque tractæ faciunt crates, ut necubi ferramentū fœnisecæ possint offēdere. Crates autem uocamus Des herces, *unde etiam cratire* Hercer.

Sarrire ad pabula in solo disposita conuenit quæ interdum quidem in prato, plerūque autem seorsum aliorum leguminum ritu multo diligentius excoluntur: ut quemadmodum legumina nobis, ita etiam exculta pabula armentis & reliquis animantibus enutriendis obseruire possint. Nam ligneis saculis aut rastris, quæ nostri uulgò uocāt Ratteaux ou sarcletz, *sarriebatur, unde id opus uulgò dictum* Ratteler ou sarcler. *Obid autem*

pratis minus conuenire uidebatur sarritio, quòd minora sint interualla, quàm ut arator sarculo uel rastro undecunque cõtingere possit. Pabula autem (quemadmodum erant, medica, uicia, farrago ordeacea, fœnum græcum, eruum, cicer, & huiusmodi) in morem horti disponebantur, uti docet Columella lib. 2. cap. 11. areis tantùm latis pedum denûm, longis quinquagenûm: ut per semitas & aqua ministrari posset, & sarculum aut rastrum undecunque circumagi.

Rigare pratum, est uel clepsydris (quod ad pabula diligenter exculta potissimum pertinebat) uel riuis per loca pratorum uaria deductis lætiora facere, & succrescentibus herbis pabulum atque alimẽtum præbere. Nam id agricolis est peculiare, ut riuos quos per prata deducũt, interdum sensim protrahant, interdum remorentur, neque perpetuò effluere sinant: nonnũquam etiam per uniuersum pratum effluere permittant. Rigari autem pratum non debet (ait Palladius) antequam durum solum fecerit, ne cratem eius minus solidam, uis interflui corrumpat humoris: post primam autem prati sectionem, id usqueadeò diligenter non est obseruandum.

Purganda esse prata docet Palladius Ianuarij & Martij initio. quo uocabulo intelligendum puto esse uindicanda ab iis herbis, quæ præter sementem positam succrescunt, neque pascuis sunt commodæ, ueluti si post improbè exherbatum aut subactum id solum quod prato dicauerimus, aut etiam stercoris uitio, noxiæ quædam herbæ succrescant, quæ quidẽ (nouellis præsertim pratis) sunt auferendæ, siue id runcatione, siue auulsione fiat. Solo enim malè exherbato aut subacto, solent aut gramen, aut carduus, aut latiores herbæ, aut etiam uir-

gulta ſuæreſcere: lætaminis uitio naſcuntur urticæ, atque id genus herbæ inutiles.

Paſcere pratum tranſlatione pereleganti dixit Plinius lib. 18. cap. 28. pro eo quod eſt armenta uel pecora immittere pratis ad herbas depaſcendas, quæ ipſis quidem adhuc teneris & ſubſidentibus mittenda non ſunt, ex Columellæ ſententia. Nam pecudes (inquit) molli ſolo infigunt ungulas, atque interruptas non ſinũt herbarum radices ſerpere & condenſare. Secundo tamen anno, minora pecora poſt fœniſecia permittemus admitti, ſi modò ſiccitas & conditio loci patietur. Tertio deinde cùm pratum ſolidius ac durius erit, poterit etiam maiores recipere pecudes. Non enim debent prata quæ læto uel humido loco ſunt, paſci ante ſecunda fœniſecia, ne herbæ uellantur, obtritúque hebetentur.

Secantur prata, cùm ſpica defloreſcere cœperit atque roborari (ait Plinius) ſecandáque ſunt antequam mareſcant: nam & largius fœnum percipitur, & iucũdiorem cibum pecudibus præbet. falcare uulgus noſtrum corruptè profert, Faulcher. Cædere & deſecare eidem authori etiam dicuntur. Prata (inquit) circa Calendas Iunij cæduntur. Idem deſecta prata rurſus ait rigari oportere, ut ſecetur autũnale fœnum. Subſecare dixit Varro: Cùm (inquit) herba creſcere deſiit, & æſtibus imareſcit, ſubſecari falcibus debent. Virgilius pereleganti tranſlatione, tondere protulit, - Nocte (inquit) arida prata Tõdẽtur.

Quoties prata deſecta ſunt, oportet ſicilire, hoc eſt, quæ fœniſecæ præterierant ſecare, uulgus noſtrum recurrere aut refalcare dicit. Sicilienda (inquit Varro) prata, hoc eſt falcibus conſectanda, quæ fœniſecæ præterierunt, ac quaſi barba tuberoſum reddiderunt campum:

à qua sectione arbitror dictum, sicilire pratum.

Restituere pratum, est senescens instaurare, ac denuò subigere atque serere. Restitui prata debent (ait Plinius) faba in his sata, uel rapis, uel napis, uel milio, mox insequente anno frumento, rursúsq; in prata tertio relinqui.

Ac quoniam de pratorum culturæ uocabulis, abundè dictum esse uidetur, nunc de fœni & falcium ratione pauca quædam describenda sunt.

FOENVM.

Fœnum ob id dictum fuisse quòd multo fœnore domino suo quotannis proueniat, omnes norunt: uel quòd eædem perpetuò manẽtes herbæ, quotidie nouæ fiant: ex Festi interpretatione.

Optimum fœnum est Catoni quod prima sectione colligitur, uel primo quod uocant fœnisecio. Secunda autem eiusdem anni sectione quod recõditur, id cordum & autumnale fœnum appellabant antiqui: uulgus nostrum uocat Regaing. Desecta prata (ait Plinius) rursus rigare oportet, ut secetur autumnale fœnum, quod uocant cordum. Sero natum fœnum appellat Columella.

Fœnisecia dicebantur fœni sectiones, quemadmodum uindemiæ uuarum: unde prima & secunda fœnisecia fecit Varro. Columella fœnisicia maluit proferre. Secundo, inquit, anno minora pecora post fœnisicia permittemus admitti.

Fœnisex Plinio, is est quem falcatorem uulgò dicimus. Apud antiquos (inquit) cornu ad crus ligato fœnisex incedebat: fœnisecã malunt dicere Varro. Herba (inquit) in pratis ad spem fœnisecæ nata. Persius, Fœnise-

æs crasso uitiarunt unguine pultes. fœnisectorem appellant Columella lib. 11. cap. 1. quemadmodum & arboratorem & uinitorem eodem loco.

Fœnilia quemadmodum & palearia, dicuntur antiquis agricolis, tecta in ulla aut domo rustica, sub quibus fœnum & paleæ reponi solent, atque asseruari. Pars domus rusticæ fructuaria ait Columella lib. 1. ca. 6. diuidatur in cellam oleariam, torcularem, cellam uinariam, defrutariam, fœnilia, palearíque. quidã ex uulgo nostro fœnaria uocant. Tabulatum appellant Varro & Columella multis locis: inde reponere fœnum in tabulato apud eosdem frequenter reperies.

Fœnum falcibus subsecatur apud nos, quemadmodum & apud antiquos: sed & falces quibus prata desecantur, uocat Cato fœnarias, ad aliarum differentiam quas stramentarias appellat, ad frumẽta desecanda idoneas: & arborarias, ad purgationes arborum dicatas: sic etiam uineaticas, & syluaticas, & rusticarias nominat.

Falcium autem fœnariarum duo genera recenset Plinius: Italum, quod fuisse breuius ait, ac uel inter uepres quoque tractabile. Sunt & Galliarum latifundia, maioris cõpendij, quippe medias cædunt herbas, breuioresque prætereunt. Desecabant autem fœnum Itali, una tantùm manu dextra, ut recenset idẽ author. Quinetiam antiquiores oleo falcis aciem excitare solebant: quapropter cornu ad crus ligato, fœnisex inædebat. Italia aquarias cotes dedit, limæ uicæ imperantes ferro. Quidam ex nostris lima uti malunt.

Fœnum desectum, uertitur ad solem, ut siccetur, & perarescat. id autẽ furcillis esse faciendum docet Varro cap. 49. lib. 1. Vt perarescat (inquit) fœnum, postea quam

desectum fuerit, furcillis uersari debet: ac superiore parte sole siccata, tum demum conuertendum: itaque efficiemus ut undecunque siccescat.

Fœnum ubi peraruit, in manipulos cogendum esse præcipiunt omnes agricolæ, ut ad uillam conuehatur. id autem est quod uulgus nostrum appellat Botteler. *Nam in cumulos aut aceruos fœnum siccum oportet prius construere, uel etiam in metas extruere, quas in angustissimos uerticæs exacuebant: has autē molas uulgus nostrum appellat, deinde uerò ex metis, manipuli sunt efficiendi, aut (ut ait Columella) uinciendi potius, ut in uillam fœnum facilius deportetur.*

Fœno in cumulos redacto, stipula rastellis eradenda est, ex Varronis præcepto, atque addendus fœnisecæ cumulus. Inde uerò quod optimum fœnum erit, Cato iubet seorsum esse condendum, & sub tecto in fœnili componendum, quod non antè fieri debet, quàm per paucos dies in prato congestum relinquatur, ut in se concoquatur, & facilè deferuescat in molis ac cumulis. Rastella autem uulgus nostrum appellat, Des ratteaulx: *quemadmodum & rastellis fœnum colligere,* Ratteler, *quod alioqui rastellare quidam dicæret. Nunc ad pratenses herbas.*

PABVLA, IN PRATIS CONSERI SOLITA.

Quando in eum usum præcipuè instituta erant prata, ut animalibus pabulum subministrarent, ob idque uariis seminibus ad pabulum iumentorum admodum utilibus conserebantur: necessarium est, ut de his etiam hoc loco dicamus, etsi in agrum quædā differri possint.

Nam & uicia, & medica, & fœnumgræcum (quas pratenses herbas esse hodie nouimus) antiquis summa diligentia cõlebantur, atque à prato interdum summouebantur, ut in agrum seorsim deponerentur, haberéntque culturam sibi propriam. Nos autem nullo discrimine deponimus huiusmodi semina nostris pratis, quæ nos inducit ratio, ut primùm de his dicamus.

Inter pabula igitur quæ offeruntur equis, nostrum uulgus id maximè probat, quod fit lenticula & uicia simul cõmixtis, ocymum antiqui uocabant: nos dragetam equorum appellamus. quod qua ratione differat ab ocymo, quod basilicum uocant, in horto satis iam est explicatum. Varronis tempore, bobus ocymum præbebatur, ad aluum ciendã, unde sic dictum contendit: atque id genus pabuli esse asserit, uirides segetes desectas, antequam siliquam gerant: quanquam Cato manibus cærpendum ocymum iubeat. Nam (inquit) si falcula resecueris, non renascetur, atque eousque dãdum bobus, dum maresc at. Plinius ocymum antiquos appellasse tradit, pabulum umbræ patiens, quod cælerrimè proueniat.

Pabuli aliud genus est, quod farrago dicitur, nostris uulgò Fourrage. Id autem est quod ex pluribus satis, pabuli causa, datur iumentis, nempe segetum uiridium & immaturarum desectum, antequam in spicam assurgant: quibus additur hordeum, uicia & legumina, pabuli causa. Inde autem dicta farrago, quòd far ferro cædatur, aut quòd primùm in farracia segete seri cœptum. Ea equi ac iumenta uerno tempore purgantur, atque etiam saginantur. Duplex autem fuit antiquis farrago, nempe quæ ex recrementis farris, admista nonnunquam uicia sereretur, nonnunquam ex hordeo, quæ hordeacea

farrago dici solita est. hanc esse putat Ruellius, quã Græci uocant grastim: & multi non indoctè semiaridum fœnum interpretantur.

Pabulorum nullum est quod ad iumenta saginanda æquè faciat atque medica, uulgus nostrum fœnum sanctum uocat, quòd ueluti diuino quodam numine ad nos peruenerit. opinor autem ob id medicam antiquis dictam, quòd medeatur iumẽtis, & pecori macie laboranti: unde ullici ac pecorum magistri apud nos utuntur tota hac herba in pabulo programine. nam ad maciem pecorum & ueterinorum, nulla res est quæ tantùm faciat quantum medica: præsertim si uiridis, nunc tardè tamen arida præbeatur, atque id modicè, ne nimio sanguine stranguletur pecus. Sunt qui Burgundiense fœnum appellent, quòd à Burgundionibus allatum ad nos peruenerit, alij fœnaciam uulgò uocant, De la foignasse, sermone Picardo: nonnullis ex nostris magis placet magnum trifolium appellare, quòd ea simulis sit caule & foliis trifolio in fœniæsis & pabularibus prouenienti: geniculata, ut quicquid assurgat in caule contrahatur in folia. In saporum cacumine breues siliquulæ prodeunt, in cornicularum speciem intortæ, denticulato foris influxu, & uelut exiguos mucrones exerente, in quibus singulare semen, ferè lunatum continetur, lentis magnitudine, folliculo cohærens, quod dentibus fresum, pisi saporem repræsentat, ori non ingratum. singulæ thecæ singulorum semunum sunt capaces, quapropter cõdimentario sali permiscebatur.

Inter fœni genera Plinius connumerat herbam quæ odontides Græcis dicitur, nascitúrq; in pratis, ubi & fœnum, unde fœnariam uulgò uocant, De la foignere: fru-

ticosa est, triangulis flagellis, geniculatis, nigro articulorũ nodo, foliis polygono longioribus, hordei semine (quod in alarum sinu erumpit) flore purpureo, multifido.

Pabuli causa serebatur antiquis fœnum græcum appellatum, Varroni siliquula, rusticis antiquis & Plinio siliqua, uulgo nostro Senegre, corrupta dictione: Theophrasto buceras, Hippocrati epiceras, quòd fructum cornículis similem gerat. Caulículis emicat exilibus, folio penè trifolij, semine fuluo, incondito, quod in mollissimam tunditur farinam: serebatur antiquis seorsum, non altiore quatuor digitorum sulco, ut iugerum agri modios sex semunis reciperet, duobúsque anni temporibus serebatur, ad Septembrem & Ianuarium. Nostris agricolis non ita diligenter tractatur, sed in prato negligenter deponitur, cùm uel ex antiquorum sententia, quanto peius tractetur, tanto proueniat lætius.

Vicia, omnibus nota iumentorum pabulo: ea antiquis serebatur, & nostris quoque hodie seritur ob duplicem utilitatem: nam & pabulum ueterinis præbet, & terram fermentat ac stercorat, solum in quo iniicitur lætius reddens. Iniicitur etiam pratis unà cum supradictis seminibus, quo fœnum sit nobilius & salubrius: unde fœnum uiciæ, & uicialia uocat Columella. dictã appellat Varro uiciam à uinciendo, quòd suis clauiculis sese uinciat atque alliget aliis herbis, aut pedamentis uicinis. Galenus uicij uocabulũ in pleraque Græcia usitatissimum esse testatur: nostri Latina imitatione uocant, De la Vesse. omnibus nota est: cubitali altitudine, foliis ferè petroselini, sed amplioribus, flore pisi, minutis nigricantibúsq; in siliqua granis. Seritur in quacunque terra, facillimo cultu. Optimum bubus cibum præbet.

Viciaginem uel uiciolam uulgus noſtrum appellat herbam quæ triticum ſtrangulat, & tamen habet neſcio quid ſimile cum uicia, unde uocatur Veſſeron: ſemen gerit cœlumbis amiciſſimũ, ut quidam eò ſerãt huiuſmodi uiciaginem, ut cœlumborum multitudinem in ſua prædia alliciant. Ruellius quiddam ſimile habere cœntendit cum cracca Plinij, & araca Galeni. Plura in agro, ubi de lolio ſermo fuit.

Viciam agreſtem noſtra rura uulgò appellãt eam herbam quæ aphaca Græcis dicitur: ſimili enim omnino habitu cum uicia in agris cõnſpicitur: non eſſe tamen ueram uiciam cœntendit Ruellius, cùm in agris non proueniat niſi cultu diligenti & magno labore. florem eius ruſtici intorquent cœronis, quoniam perpulcher emicat, cum odoris ſuauitate: alioqui ueram uiciam βίκον Græci uocant: de qua plura in agro.

Cicerculam Columella inter pabuli genera annumerat, eam proximam fœnogræco & medicæ tradens: ſarras uulgus noſtrum uocat. Ea enim bubus erui loco datur: piſo ſimilis eſt, ſed non uſqueadeò grata, quæ ligata in faſciculos, unà cum uicia optimum præbet bobus alimentum. antiqui curioſè ſerebant cicerculam, de qua in agro plura dicemus. quẽadmodum & de eruo & eruilia, quo loco de leguminibus fiet à nobis mentio. ad reliquas herbas ueniendum, quæ pabulum non uſqueadeò optimum præbent.

HERBAE PRATENSES.

Vtiliores herbas deſcripſimus, quibus prata plerunque abundant, quæque pecori, delicatioris cuiuſdam pa-

buli loco esse solent: reliquæ mox describendæ, quæ non ita sunt utiles, quibus tamẽ ipsa prata plurimùm hinc inde referta esse uidemus.

Si quæ igitur herba pratis est familiaris ac frequens, ea est maximè, quam à coniunctorum inter se foliorum numero, trifolium tum Græci tum etiam Latini dixerunt: quæ ut est multiplex, ita etiam insigni ac peculiari quadam denominatione: ea quæ in pratis est, trifolij pratensis nomen obtinuit: quæ quidem cùm reliquis minor esse soleat, tamen pro soli pinguitudine, paulò maius folium ostendit, subalbida quadam in medio folio macula cõspicuum, quo nomine rusticis puellis ad coronamenta in usu est: id menyanthes Græci uocant. Cuius eam uim esse tradunt quidam, ut futuram tempestatem prænuntiet, & contra arrigatur: expertúmque esse aiunt, si quando album trifolium abundè floruerit, sequenti anno futuras esse aquarum mundationes. Cæterum quod altius est trifolium, id uirgis tenuibus fruticat, nigris, ac iunceis, cubito interdum altioribus, in singula germina foliis exeuntibus, flore purpureo, semine lato, & quadantenus piloso: radiæ oblongæ, albæ, paulò graciliore ac firma. At quod minus trifolium dicitur, id terræ magis uicinum est, uno tantùm cauliculo assurgens, ternis etiamnum foliis, orbiculatis, iísque solis, erucam subolentibus, quapropter solum id uulgo nostro trifolij appellationem obtinuit: atque id etiam aiunt recentibus uulneribus contusum probè mederi.

Simoniacum trifolium Columellæ, inuenitur in fragosis locis, quod quia odorem grauem cæu bituminis refert, ob id asphaltion Græcis appellatum est: asphaltian uocauit Archigenes. Longis & hirsutis uiret foliis, cau-

lémque gerit pratensi trifolio robustiorem.

Trifolium acutum inquit Scribonius Græcos oxytriphyllon uocare, ídque ait Siciliæ montes circundare, neque se in Italiæ regionibus usquam uidisse, nisi in Lunæ portu, cùm Britaniam peteret, cum Claudio Cæsare. Est autem foliis & specie communi trifolio simulis, nisi quòd paulò pleniora sunt, superiori parte aliquãtulum lanuginosa, atque in extremo quodãmodo aculeata: sed frutex huius duûm pedũ interdum altior est, atque odoris grauis, quorũ nihil tale in pratensi trifolio cõspicatur.

Oxys (ut est Plinius author) folia terna gerit. Ea putatur oxytriphyllon, non quidem ab acumine foliorum, sed ab acido gustu potius dictum. est enim trifolio simile, longis tantùm pediculis, tria summatim folia proferẽtibus, acido sapore, flore luteo, nonnunquam candido, in simplici stylo inter folia prosiliente, ruso in lunatis siliquis fœtu, radiæ in transuersum longa & fruticosa: uulgus panem cuculi appellat, officinæ trifolium acetosum, & alleluya.

Tria apud nos (inquit Ruellius) inueniuntur trifolij genera: unum bicubitale, ramis exilibus, trigeminis, per internalla foliis nigricantibus, quæ dum pubescunt, rutaceo sunt odore, ubi adoleuerũt asphalthi, flore purpureo, semine fœnigræci, radiæ oblonga. Alterum omnibus notum, folio molli, rotundo, lente maculoso. Tertium acuto folio addunt, & quartum nostri herbarij, quod acidum nominant trifolium, uulgus panis cuculi & alleluya, ut paulò antè dictum est: id autem humile est, longis tamen pediculis, acetoso sapore, flore candido, ruso in lunatis siliquis fœtu, radiæ in transuersum longa ac fruticosa.

Trifolium maius uocarunt Latini quem Cytisum, & triphyllon etiam Græci, qui frutex est incanus totus, agris ac collibus familiaris. Ob id autem trifolij nomen obtinuit, quòd & tria in singulis germinibus folia gerat, ea tamen paruula, dorso in mediis rubente, ut erucæ odorem referant, si digitis terantur.

Trifolium minus à Romanis appellatum, quod & libyon & triphyllon etiam Græci uocarunt. Lotum syluestrem esse certum est, generatúrque in fœnilibus pratis, semine fœnigræci minutiore multo, medicati gustus, caule duorum cubitorum, aut etiam altiore, aliis pluribus, concauo, terníque circum ipsas foliis satis exilibus.

Trifolij pratensis folio est lotus urbana, quam ob id Græci triphyllon appellarunt: eáque nascitur in pratis nostratibus, luteis floribus ueluti pisi, sed multo minoribus, cauliculum superne coronantibus: humilis, palmi altitudine, officinæ andacochan & coronam regiam uocant. An ea sit quam tantopere extollit Homerus, Græcáque omnes, quæ nisi post annum è semine suo nata, sitim arceat, ueséntibúsque cibi ac potus loco esse soleat, hoc uerò nobis mœrtũ est, nihil ut de hac re certi aut stati proferre possimus.

Trifolium odoratum à Romanis etiam dictum, quod Græci Medion appellarunt. nascitur ea herba in opacis saxis, folia habens seridis, trina quidem in singulis geniculis, caulem tricubitalem, & in eo florem grandem, purpureum, rotundum, semine minuto, ad imaginem cnici, radiæ semipedali, crassitudine baculi, austera gustui.

Caueto autem ne pro trifolio tripolion proferas, habent enim ea duo uocabula nonnihil inter se ui-

cinum: uerùm tripolion nascitur in maritimis, ubi allidit unda, interímque retro commeat: Folia habet isatidis, arida sed crassiora, caulem palmo altum, in mucrone diuisum: huius flores tradunt ter in die mutari, candidos mane, purpureos meridie, punicæos sole occidente conspici: cæterum radicæ est alba, odorata, calidi gustus.

Trifoliũ aliud est ex satyrij generibus, ita appellatum à foliorum numero. Satyrium autem dictum, quòd eius radix uenerẽ stimulet: nam herbas propè omnes uenerem stimulantes Græci satyrij uocæ cognominarunt. Ea herba in nostratibus pratis interdũ nascitur, & tria humi folia spargit, rumici uel lilio similia: caulem gerit læuem, cubitalem, nudum: florem albo lilio similẽ, radicem geminorum bulborum, exterius rufam, intus candidam, corticem radicis gracilem, intus albũ quiddam cõtinentem quod sapore sit dulci, gustãtibus iucũdo: rura nostra eam herbam testiculum sacerdotis appellarunt.

Verùm quando in satyrij mentionem incidimus, æquum est ut eius genera ac differentias paucis hîc perstringamus, etsi de hoc nonnihil iam in sylua à nobis dictum fuerit.

Satyriorum genera testiculorum nomen habẽt, quos Græci orchies appellarũt, ob id potissimum, quòd earum herbarum radicæs, quiddam cum testiculis habere simile uideantur. ut igitur ea genera facilè pernoscas, hæc perdisci to. Orchis serapias foliis est porri, oblongis, latioribus, pinguioribus, ex alarũ sinu emicantibus & inflexis, caule palmeo, flore purpureo, radicæ testiculis simili: quorũ alter flaccidus quodãmodo appareat, alter ad inferiora inæquali quadam productione uergat. Quibusdam autem huius generis plantulis testiculorum loco radix, ueluti ma

nus cuiusdam expansæ figuram gerit, quapropter uulgo manus Christi appellata. Aliis uerò cùm radix sit testiculis similis, folia item reliquis similia, florem tamen gerunt uariũ, nempe ex albo nigricantem, spicatum tamen omnes. Quinetiam inter eas quæ purpureo sunt flore, quædam floculos habent in spica magis congestos, nihil odorantes, aliæ magis secretos, neque ita numerosos, caryophyllon ipso odore referentes, cætera satyrio simules: uerùm is odor confestim deperit: Sunt qui ob id quòd ita spiret, sitque colore purpureo & suaue rubẽti, hyacinthum esse contendant, dicántque nescio quid ad Dioscoridis descriptionem conuenire: cui sententiæ nullum addiderim calculum. Itaque satius fortasse fuerit id genus satyrion odoratum appellare.

Satyrion minus, & testiculum canis uocant uulgo, herbã eam quàm Græci cynosorchin appellarunt, quámque in Vineto iã antea descripsimus. Ea est foliis parus, ternis (unde etiam trifolium dici potest) sempedalibus, radiæ formam testium canis referente, alternis annis intumescente ac residente.

Satyrion indicum bucheiden Syri uocant, herbam apud eos frequentem, radiæ candida ac dura, commendatiore quo crassior, rugosior, atque albior fuerit: cuius effectum talẽ esse aiunt qualẽ eius herbæ, quã ait Theophrastus cõcitare uenerem usque ad septuagesimum coitũ.

Satyrion erythrococcon Plinio, semine est uiticis, paulò tamen maiore, læui, dura radiæ, cortiæ rubro, intus album quiddam includente, sapore subdulci. radix ipso contactu uenerem stimulat, magis autem si epota fuerit. Atque hæc de satyrio quæ in hanc sententiam adferre potuimus.

Nostris pratis quemadmodum & aliis locis præhumidis, quibus aquam subesse iudicamus, frequentissimus est ranunculus, qui Græcis batrachion appellatur, ab eo quòd ranæ in pratis aut locis riguis insultantes sese super hac herba frequētissimè cōuolutent: quapropter etiā quibusdam apium ranarum appellatur, aliis strumea, quòd experimento cōpertum fuerit, eam herbam strumis mederi, præsertim equorum: id enim ueterinarij nostri quotidie satis experiuntur. nonnulli ex uulgo nostro à florum similitudine bacinulos uocant: habent enim nescio quid simile cum iis uasis, quibus tonsores barbas loturi, aquam aut lixiuium excipiunt. Sunt etiamnum aliqui qui à foliorum serie atque mensura pedem cōuinum nominarunt. Apium autem non sine ratione uocatum est, tum nostratibus, tum etiam ueteribus: habet enim folia ad apium accedentia. quamobrem etiam ea ranunculi uenenata species, in Sardinia (unde Sardoa Salustio dicta) frequens, quæque cœnosis locis iuxta aquas apud nos crescit, apium risus appellatum est, aliis apiastrum, quasi syluestre apium dixerint. hæc ora hominum ac rictus cum dolore cōtrahit, ut quasi ridentes interimat, unde prouerbium Sardonius risus. Apium rusticum quidam uocant apud nos: lanuginosis est aliquantulum foliis, fœtidis, apium subolentibus, gustu acerrimis, caule alto, semine, ac flore ueluti cuiusdam apij: radice cāpillata, cœno delibuta dum extrahitur, in defluuiis fontanis prouenit, aut aquis quiescentibus ac cœnosis. Ea utuntur uetærinarij nostri ad scabiem equorum medicandam.

Complura ranunculorum genera statuit Dioscorides, quibus omnibus uim acrem & exulceratoriā inesse cen-

ſet. Nos uerò unam tantùm ſpeciem nouimus, admodum acrem, & radiæ potius quàm foliis: licet etiam folia uim habeant cauſticam. Nam quæ flore ſimplici atq; aureo in pratis noſtratibus frequens cõſpicitur, caule gracili, cubitum alto, radiæ parua, amara, cãdida, multis capillamentis fibrata, ea certe uim uſqueadeò exulceratoriã non habet, aut paruam admodum: qua carpo adalligata, utuntur noſtræ matronæ ad febrem (ut aiunt) abigendam. Quæ uerò polyanthemos Græcis dicitur, eam uulgus noſtrũ bacìnulos dupliceſ uocat, autumnóq; præſertim cõſpici ſolet: reliquis anni temporibus non item, aut ſaltem paruula, neque naſcitur in præhumidis pratis, ſed ſiccaneis, folio ac caule breuiore, flore cõduplicato, non ita luteo, interdum ſubrubro, radiæ bulboſa, candida, quam ſi quis guſtarit, acerrimam perſentiet. Ea certè ulcera excitat, foliis quidem contritis, magis autem ipſa radiæ, quæ uel etiam quinque linteorum uoluminibus implicata, uim ſuam exerit, ueſiculáſque ac febrem excitat, haud minore ardore, quàm ſi fimo colũbino aut fæce uini uſta cauteriũ alicui corporis parti admoueres. Ea eſt qua ſanguine draconis macerata, ſuras aut femora illinere ſolent nebulones quidam mendici, quo facilius nobis imponant: quapropter nonnullis herbariis ulceraria ac ſcelerata ſolet appellari.

Sanicula uulgò dicta, ranunculi ſpecies eſt, ita enim & folio & flore eſſe deprehenditur, tantùm ipſa radiæ diſſidet, quæ oblongior eſt, & quodammodo nodoſa, folia item contrita, myrrhæ ſuauem odorem ſpirant. uerùm de hac in ſylua ſatis dictum eſt.

Bellius, ſiue bellis, aut bellio (ſic enim uocat Plinius) flos eſt pratis admodũ peculiaris, quam margaritã uul-

gus nostrum appellat, herbarij consolidam minimam, quòd dicant recentia uulnera, eius herbæ admotu consolidari. Duorũ est generum, maioris & minoris discrimine insigniũ. Minor flore est albo, aliquatenus rubẽte, nempe in summo, quinquagenis quinis barbulis pastillicantibus coronato (inquit Plinius) quanquã quinquagenas ternas non quinas Barbarus dicat se muenisse: folio pingui, in terra iacente, in rotundum oblongo, leuissimè serrato, syluestris floris calyculus, simplici foliorum ambitu, emaculato candore.

Maior belius, procerior assurgit folio, à priore non admodum diuerso, altioribus tantùm crenaturis laciniato, caulibus tenuibus, suraulosis, cubitum altis, flore priori non dissimili, paulò tamen maiore: paucioribus tantùm barbulis, medium lutæum in orbem conniuè cingentibus (ait Ruellius) rura nostra grandem margaretam uocant, herbarij consolidam mediam.

Odontides, fruticosa herba: dicta Græcis, quòd dentibus medeatur: uulgus nostrum fœnariam uocat: prouenit ubi & fœnum, triangulis flagellis, geniculatis, nigro articulorum nodo, foliis polygono longioribus, hordei semine ab alarum sinu erumpente. Nihil hac herba frequentius in pratis, flore est purpureo, pusillo, multifido, tumentibus in caule articulorum nodis. Plinius inter fœni genera connumerat.

Dauco Cretico prata siccanea plerunque scatent: est autem fœniculi similitudine, minoribus & candidioribus foliis, caule semipedali, capitibus rotundis, ut coriandri: flore candido, umbellato, in cuius medio semen est purpureum, quod digitis uulsum ac tritum, cocci crudij

similitudinem habet, odoréque atque adeò ipso contritu nescio quid naribus refert, quale & granum tinctorium, quo nostrates pannos omnium delicatissimos inficiunt. Radicem gerit digitali crassitudine, longitudine dodrantali, pastinacam odore referētē: unde Latinis gallica pastinaca dicitur: uulgo nostro, syluestris carrota.

Est & daucus asininus herbariis uulgò dictus, pastinacæ non dissimilis, opacante fastigium anethi umbella, semine oblongo, odoratu grani, sapore ut cuminum acri. Tertium est aliud dauci genus apio simile, feruens, acre, gustanti odoratum. Cæterū qui apud Cretam (quam hodie Candiam appellant) nascatur daucus, is est multò uehementioris odoris, propter regionis calorē, quàm qui apud nos: cuius umbellæ tenues surculi, duriores sunt ac robustiores, qui desiccati unà cum ipsa umbella, ac Venetias deportati, usum dentifriciorum præbēt. Cætera quæ ad pastinacæ descriptionem pertinebant, in horto explicata sunt.

Betonicam alteram plerisque pratis nostris succrescere uidimus. Ea est quam Ruellius ait uulgo nostro detritis duabus literis tonicam appellari tam officinis quàm herbariis, ac medicis. Radicem habet rubram, odoratam, folia porracea, stamine quo medium diuidatur puniceo, uel rubente, cum recto calamo triangula, floribus in uerticæ purpureis.

Betam pratensem uulgus uocat, quam Græci Limonion, Plinius betam syluestrem. Ea betæ simulis est, uerùm tenuioribus & minoribus est foliis, decem, interdum pluribus: caule tenui, recto, altitudine liliorum, pleno seminis rubri, quod gustu linguam astringit. Haud ita frequens est in nostratibus pratis, apud Italos ac Germanos

frequentior.

Achilleas syderitis, ab Achille Chironis discipulo inuentore dicta: herba in pratis frequens, quam nos Galli, Chiliophylli Græcam nomenclaturam sequuti simul & ipsam foliorum multitudinem, millefolium appellauimus. Est enim fruticosa, scapo in capillamenti modum utrmque folioso, longe breuioribus exilioribúsque quàm fœniculi uillis: ab imo hirsuta, cubitali altitudine, uertice ex candido in puniceum uergẽte flosculorum mistura. A Latinis quibusdam superalium Veneris dici refert Dioscorides.

Nascitur quibusdam pratis præsertim riguis herba millefolio non omnino dissimilis, nisi latioribus esset foliis, eupatorio magis similibus, longioribus tamen, sed ita incisis ut eupatorio uidemus, paulò magis ad terram expansis ramulis, caule non usqueadeò procero. Cæterum sursum ac deorsum lanuginosa est, albicans, argenti figura, unde uulgus nostrum argẽtinam & argentariã appellauit. Ea quæ sit antiquis, nondum satis compertum esse uideo. Radicem gerit subrubram, qualis est eupatorio, non ita tamen procera. Tantùm hoc certum est ex Ruellij animaduersione, aliam argentinam etiam uocatam (quæ coriandri sit folio, caule rutæ, reperiturque in campestribus & macriis) esse Dioscoridis thalictrõ. hæc uerò pratensis, minus est certè cognita.

Quinquefolia, nostris Quintefeuille dicta, Græcis pentaphyllon uel pẽtadactylon, quòd totidem habeat diuisiones, quot sunt in manu digiti: uel pentatomon, quòd in quinque diuisa sit: uel pentapteron, quod Gaza ex Theophrasto quinquepennam uertit. In riguis pratis circa ductus aquarum nascitur: ramulis tenuibus, festuca-

cis, palmea longitudine, & in iis semen: foliis mentæ, quinis in singulis pediculis, rarò pluribus, in ambitu serratis: flore in luteum languescente, interdũ aureo: radice subrubra, tereti, ueratro nigro crassiore, adde geniculatos quoque surculos. folia simul iuncta utilignneæ comæ formam exprimere uidentur. Radix ubi inaruit, nigricat, & angulosa fit, sed quum effoditur, rubet.

Quæ tormentilla uulgò dicitur, nisi septem non quinque haberet folia, certè inter pentaphylli genera annumerari posset: uerùm de hac in sylua fusius dictũ est.

Eupatorium indubiè nostra est agrimonia uulgaris, nulla prorsus repugnante nota. inter heptaphyllorum numerum annumeranda est, locísque humidis nascitur, ut aquilegibus indicium præbeat, eo in loco aquam subesse in quo suæ rescat. Nascitur in uite, unà cum pentaphyllo superius descripto, unáque cum uite extinguitur, ac semen producit, nempe autumno. Cæterum fruticosa est herba, caule singulari, lignoso, nigricante, tenui, hirsuto, cubitali, uel eo maiusculo: cannabinis ex interuallo foliis, quinquefolio similibus, plurifariam interdum incisis, per ambitum serratis, nigricantibus: medio caule semen erumpit pilosum, deorsum spectans, quod resiccatum uestibus adhæresit.

Hippuris, equisetum dicta Plinio, nostris equina cauda: in riguis pratis inuenitur, admodum inusa fœnisecis propter asperitatem. Recto caule prosilit, cubitali, & interdum amplius, inani: comis per interualla ac geniculos propendentibus, breuiusculis, mollioribus & candidioribus. Lugdunensibus pratis prosilit mœomata, geniculis tantùm scabris ac iunceis. Ea herba mulierculæ stanneam supellectilem tam escariam, quàm etiam potoriam

elegantissimè perpoliunt: haud ignota fabris materiariis, dum ligneam pectinum & aliorum minutorum operum ruditatem, huius herbæ scabritia in nitorem expoliunt: prellam uulgus Lugdunense uocat.

Autumni exitu florem ostendit in quibusdam pratis herba colchicon dicta, aliis ephemeron, quòd temerè epota, uno die iugulet: bulbum agrestem quidam appellant, à foliorũ similitudine, nostris canineca dicitur, quòd deuorata canes enecet: folia gerit bulbi, aliquantulum pinguiora, caulem palmeum, florem ueluti cuiusdam rudimenti naturæ lilium facere condiscentis, interdum subalbidum, interdum cæruleum: rufum gerit semen, radicem è nigra foris rufam, quæ delibrata candicat, & mollis spectatur. Lacteo madet succo, & gustui dulcis persentitur. Bulbo medio rima dehiscit, qua flos erumpit: officinæ hermodactylon uocant.

Galion plerisque pratis nascitur: herba à Græcis sic dicta, quòd lacti admota coaguli loco esse possit, nostris interdum muschetum minus, modò florabulum appellatur, ab optimo odore, atque adeò florum multitudine: ramulum foliúmque profert aparinæ simillimum, tenuem tamen & minorem, rectum: florem in cacumine luteum, multum, tenuem, huc atque illuc per ramulos diffusum, odoratum, folia circum caulem aparinæ modo stellatim diuisa: autumno colligitur Galion, uicatímque defertur, odoris gratia: cuius florem nostræ mulierculæ arculis inclusum continent, suis linteolis eo odore imbuendis.

Polygalon ab abundantia lactis quam epota mulieribus tribuit dicta: palmi altitudine in pratis succrescit, lenticulæ foliis, gustu subacerbo.

Osyris siue osyrias, nostris officinis linaria dicta,

à foliorum cum lino similitudine: surculus est niger, ramulos tenues lentósque gerens, & in iis folia trina aut quaterna, modò quina, interdum & sena, linum referentia, dein colore mutato subrubra: semine cõcolori tantisper dum matureſcit, postquam ematuruit rubescente, senescentes quoque ramuli, nigritiem in ruborẽ uertunt.

Pratensis est quæ Lysimachios aut lysimachia uel lysimachion dicitur, ab inuentore rege Lysimacho, uel à dissoluenda dissidentium pugna: aiunt enim boum aut iumentorum discordantium uel calcitronum æruicibus aut iugo impositam, asperitatem cohibere: respuitur ea odio quodam à bobus, atque adeò omni uetcrinario pecore, ut solam in aquosis pratis detonsam, intactam relictam uideas: uulgus nostrum, præsertim Cenomanense, pelliboſſam quasi pestifugam appellauit: quòd experimento quodam aliquando comprobatum fuisse dicant, eam herbam paulò altius supra panum pestiferũ adalligatã, deorsum pestilens uirus impellere, ut id sursum ad principes partes consendere non patiatur. Rustici corneolam uocãt: quanquã & Manardus & Leoniænus id negent. Hanc herbam infectores nostri quamoptimè norunt, qua utuntur ad inficiendos uiridi colore pannos: eámque cæruleo colori ab Isatide herba iam conciliato superinducunt, ita fit color uiridis. Lytron Dioscorides & post eum Plinius appellauit: quòd pro liberatione præmium importet, sedatéque discordiæ munus postulet. Vitruuius, luteum maluit appellare, unde & qui tinctores non possunt chrysocella, propter raritatem uti, herba quæ luteum appellatur cæruleum inficere solent, atque ita colore uti uiridissimo. Caulículos emittit cubitales, aut eo paulò maiores, fruticosos, pendẽtibus geniculatim

foliis, mollibus, tenuibus, salicis figura, gustu astringentibus, flore ruso uel aureo: quæ si cõburãtur, acrem eructant fumum, naribus offensum ac mordacem.

Persicaria uulgò dicta, haud parum à Lysimachia differre uidetur: sunt que qui alteram pro altera facilè sumant, nisi ad florem & folia paulò altius aduertant animum, sed hoc præterea est discrimnis, quòd Lysimachia, duorum aut trium annorum caule perpetuo assurgat: persicaria, singulis annis renascatur. Cæterum utraque geniculata est, caule subrubro, ex cuius internodiis folia prodeant. Persicaria minor est, neque ita altè assurgit, cuius folia, & floris color, persicæ sunt arboris: etsi florem album quibusdam pratis ostendere uideatur, plerunque tamen subruber est, ac spicaceus: medio folio apparet macula nigra, ueluti plumbago quædã fusca, unde quidam existimarũt maiorem persicariam, esse molybdænam, quam plumbaginem uocant: quòd commanducata, atque oculis deligata, plumbum, quod est utiij genus, auferat. Verùm molybdæna, est folio lapathi, crassa radice atque hispida. Persicaria autem radicem habet numerosam, caulem geniculatum, nodosum, longum, rubentem: semen exile, lente rufum. Porrò ea litura quæ maculæ modo conscripta est in medio persicariæ folio, primis quidem diebus, herba adhuc paruula, uix apparet: cùm autem ad florem accedit, quem æstate media profert, tum corniculãtis lunæ imaginem referre uidetur: Cratæogonon quidam esse putarũt, quòd omnes, persicariæ maioris notæ illi suffragari uideantur. Quòd autem ad saporem attinet: multò quidem lenior est persicariæ, quàm cratæogoni: præterea natalibus dissident. Quòd uerò hydropiperi, uulgus uocat Yuraige, quid-

dam esse uideamus cum persicaria simile: non est tamen propterea affirmandum, persicariam dici debere: minoribus est enim foliis, gustu omnino dissimilibus. Verùm de hoc in fonticulo iam diximus.

De fungis ac boletis nunc dicendum est, quemadmodum in sylua eramus polliciti: uel ea ratione, quòd Horatius dixerit optimam fungis pratẽsibus esse naturam.

FVNGI AC BOLETI.

Fungos Græci myætas uocant, nec distingunt à boletis. Verùm Latini fungorum & boletorum differentias latius patẽtes, hoc solo discernunt, quòd boleti campestres aut pratenses sint (à bolo dicti ut M. Virgilius autumat) ex spuma terræ nati ac concreti, septẽmque ad summum dies perdurent: unde illud Galeni & Pauli AEgineræ, omnium minus nocentes fungos boletas esse, ita enim appellarunt quos nostrates campiniones dixere. Fungorum enim naturam, ait Plinius, lentiorem esse, ex arborum ueluti pituita quadam concretam, magis perennem, fago, robore, cupresso, fico, ferula & gummiferis nascentem. Horum sunt quidem numerosa genera. Omnia autem cortice, medulla, uena, neruo carent, pediculo admodum æquali: Origo prima è limo est, & acescente succo madẽtis terræ, aut radicis fermè glandiferæ. Initio spuma lentior: deinde corpus membranæ simile, mox partus.

Pezicæ fungi appellati, quasi sessiles, quibusdam alizæ, propterea quòd nec pediculũ nec radicem habent.

Amanitæ dicti fungi, post boletos secundas tenent.

AEgiritæ uerò, industriæ fermento in populi nigræ trunco aqua diluto protinus coalescunt. Proinde uene-

natos fungos solos eos esse Nicander refert in Georgicis, qui in olea, granato, iliæ, & quercu nascuntur. Tertium genus solis accommodatum uenenis: quíque in coquendo duriores fiunt. Tutissimi qui rubent callo (ait Plinius) minus diluto quàm boletis rubore, mox candidi, uelut apiæ flaminis, insignibus pediculis. Plurimos huius generis Fluentini solent edere, colliguntúrque ac uænales apud eos proponuntur deliciarum gratia. Nostris tantùm in usu boleti pratenses, quos una nocte ueluti rore quodam natos uidemus.

Fungorum diuersa nomina, quæ apud recentiores Italos peculiaria sunt, ita refert Barbarus: Ouatos, ab oui similitudine: Spongiolos, à spongiæ figura: Digitellos, à digitis: porriginosos, à porrigine. Laciniæ priuatim dicuntur è castanea, magnitudine spectabiles, ut singuli sufficiant.

Prunulos, & spinulos ac cardeolos uocant fungos, qui è rubis carduisue nascuntur, quos etiam omnium innocentissimos esse uolunt quidam.

Agaricum in arboribus nascitur (inquit Plinius) fungi similitudine. Hoc autem ueneni uim habere ait Dioscorides: præsertim quod nigrũ est, atque è regione Sarmatarũ, quæ Syluestris dicitur: unde nomen traxit, nam Agarum & urbem & amnem in Sarmatia uocari tradit Ptolemæus. Est igitur agaricum, fungi genus, in summis arboribus nascentis, præsertim magnis & glandiferis Galliæ, qui noctibus quidem reluceat, & candidus est, quapropter in tenebris decerpendus. Fœminam & marem nostræ officinæ constituunt: fœmina, recto est uenarum discursu, pectinatim digesto, læuis admodum. Mas rotundus, conuolutior, & concretu spissior. Vtrique uis

cathartica, hoc est uehementius purgans, & uomitoria: unde nihil mirum esse debet, si quidem inter uenenatos fungos connumerari debeat: cùm nulla alia ratione nobis prosit, quàm quòd naturæ sit inimicum, eíque negotium facessat.

Oritur è saxo, id est lapide Lynurio siue lyncæo (inquit Theophrastus) fungus admirabili natura. Præciditur hîc in esum, & alius subnascitur anno toto. Pediculi pars relicta, duratur in siliæm, atque ita semper crescit lapis, restibili fœcunditate.

Sunt & igniarij fungi, quos tamen quidam malunt inter ligni recrementa connumerare, quàm inter fungorum genera. Sunt & alij, quibus strigilum uice tonstrinæ Italicæ utuntur. Qumetiam uulgus nostrum uessas lupinas appellat, fungorũ quoddam genus amplum, coloris subrufi, membrana contortum, sub qua ater quidam puluis contineatur, interdum etiam muscæ numerosissimæ delitescant.

Pernicioſissimus fungorum cibus, præsertim eorum qui in arboribus nascuntur. Familias hi nuper interemere (ait Plinius) & tota conuiuia: Annæum Serenum præfectum Neronis uigilum, & tribunos, & centuriones quosque, tanta uoluptas ancipitis cibi. Atque hæc de fungis sunt satis. Ad lacus descriptionẽ properãdum.

Lacus.

LACVS appellatione, non solùm defluentes è montibus aquas in unum collectas intelligimus: ueluti sunt qui hodie lacus Lemanus & Benacus dicuntur, quos circum, licet prata, atque adeò

præpinguia arua sata esse soleant, tamen latiore quadam significatione, ad eas etiamnum aquas lacum extendemus, quæ ex uariis fontibus in unum locũ defluant, perpetuámque & uiuam aquam contineant, quo nomine (inquit Vlpianus) à stagno differre potest lacus, quòd temporalẽ aquam capiat, quæ cum hyeme colligi soleat, æstate plerunque exsiccatur. Possunt etiam lacus nomine intelligere cum Varrone, uastum quendam locum, in quem aqua contineatur, qualis Romæ fuit is quem à Q. Curtio lacum curtium appellarũt, qui erat tum locus palustris in foro, antequam cloacæ ædificari cœpissent.

Hoc loco describemus eas plantas, quæ non solùm circa lacus ac stagna, uerumetiam circa paludes atque adeò flumina crescere solent. siquidem palus ob id dicitur, quòd paululum aquæ in latitudinem diffusæ contineat: fluuius item, aut flumen, quòd in iis aqua fluat. Ne igitur & fluuius, & palus, ac stagnum, à nobis temerè repetenda sint, solo hoc lacu contenti omnia complectemur quæ & ad paludes & ad flumina pertinebunt: fonticulum tantùm prætermittentes, quem cum arbusto iam descripsimus.

HERBAE LACVSTRES.

Incipiendum ab ea herba quæ lacubus & reliquis aquis stagnantibus plerunque supernatare solet. Nympham ob id uocarunt Græci, quòd aquis gaudeat, eásque peramare uideatur. Plinius tamen à nympha, deductum ait esse nomen, quæ zelotypia erga Herculem mortua fuerit, & in eam herbam conuersa: uulgus seplasiariorũ Nenuphar appellat, uoce barbara & Arabica, potius

quàm nostra. Duplex est ea herba, radiæ ac flore tantùm dissidens. Est enim altera, nobis satis frequens, folio orbiculato, læui, crasso, herbaceo, amplo, pingui, in stagnantibus aquis supernatante: nunquam aquam continente, aut ea commadescente, quantumuis immergatur profundius: flore candido, æstate media prosiliente, lilio simili, & quum defloruerit, papaueris caput referente, in quo semen latum, amarũ, pingue. Scapus gracilis est, & læuis: radix nigra & ampla, dulcis, nodosa, clauæ formam referens.

Alterum genus nymphææ simillimum est supradictæ, sed radicem albam gerit, asperam, florem item luteum, nitidũ, rosæ similitudine. Est & alia Plinio (quam ait in Thessalia plurimam reperiri) amne Peneo, radiæ alba, capitæ luteo, rosæ magnitudine.

Farranum siue farfugium Plinio, herba nymphææ non absimilis, propter flumina nascens, populi folio, sed ampliore, unde populago herbariis dicta: flore tum luteo, tum candido: Græcis chamæleucen uocari Plinius tradit: farfaram dici Dioscorides testis est, fortasse à Farfaro amne, quẽ Virgilius Fabarim appellat in Sabinis. Iuxta pratorum uliginosorum aquas riguas, inuenitur herba, folio ferè nymphææ, breuiore tamen, sed pingui & crasso, nunquam aqua madido, flore luteo, nitente, rosam quodammodo ementiente: quem pratensem bacinum uulgus nostrum uocat. Ea fortassis herba inter nymphæarum genera connumeranda fuerit.

Potamogeton, herbam fluuialem Græci appellarunt, à loco in quo nasci frequenter solet: nostri à foliorum similitudine, betam aquaticam, quòd betæ folia gerat: fontalem Plinius uocauit. Ea in uadis fluminum frequens

emicat, betæ foliis, sed minoribus hirsutioribúsque, per aquam expãsis, cum nymphæa plurima prouenire solet.

Potamios stratiotes, hoc est, militaris fluuiatilis appellata, quòd aquis supernatet, & uulnera militum ex oleo imposita citò persanet. Ea est radicæ paucæ, aut nullæ, similis aizoo, nisi maiora haberet folia: mirum in modum à Græcis cælebratur, nascitúrque tantùm in AEgypto, ac Nili inundationibus, authore Plinio.

Potærion in aquosis cõllibus nascitur, largè fruticans, spinis retorrida, lanugine spissa, foliis paruis, rotundis, ramulis longis, mollibus, lentis, tenuibus, flore longo, herbacei cõloris, gustu acuto & odorato, radicæs habet duas, binum cubitorum altitudinis, neruosas, candidas, firmas: ea quid sit apud nos, nondum satis cõstat.

Lentem palustrem antiqui uocarunt, quam uulgus nostrum lenticulam aquaticam, ea flore tantùm cõspicua est, in lacubus & stantibus aquis: sine radicæ, sine foliis: flos autẽ albus est, numerosus, stellatus. Quidã aliud genus faciunt lenticulæ non quidem in aquis, sed uliginosis locis, dilutísque nascentis, agriam phaceam, hoc est, syluaticam lentem appellantes.

Siler, non nisi aquosis prouenit, quasi pumila salix, molle siler à poëta dictum: frutex est, qui nonnunquam arboreścit, ut baculos rustici ex eo faciant ad serpentes abigendos, quem aiunt mirum in modum refugere: inter salicis genera annumerari creditur. Seseli officinarũ non est: nam hoc in montibus crescit.

Siler aquaticum uulgus seplasiariorum nominat (ut à seseli montano distinguat) herbam in riguis frequẽtem, ac palustribus, apij folio, sed aliquanto maiore: caule cubitali, cõmoso, supernè muscario: floribus luteolis, aut cas-

dicãtibus: radiæ crassa, sublutea, capillamẽtis maioribus, quàm seseli fibrata: fuerit fortasse phellãdrion Dioscoridis, quãquam potius esse autumẽt quidã, eam herbam, quam filipendulam officinæ nominant. uerùm huius rei tæ copiosius admonebit Ruellius.

Saledragon Plinius ex Xenocrate describit, herbam leucacantho similem, palustrem & spinosam: caule ferulaco, alto, cui summo in capitæ inhæreat quiddam ouo simile, in quo proædẽtæ ætatæ uermiculos nasci tradunt, quapropter genus esse dipsaci crediderunt nonnulli, quòd eius caput ouata specie conspiciatur, quo aresæntæ ac dissecto, uermiculi reperiuntur.

Malacocissos, mollis hedera Democrito, herba est uirens, hederæ simillima, in riguis nascens, lenta ac mollis, caule flexili, sese quibuscunque uel frutetis uel arbustis inuoluentæ. Ea est quam uulgus nostrum sigillum beatæ Mariæ nominat, quam in Frutæto descripsimus.

Phleon, herba spinosa, dicta quòd copiosè nascatur, præsertim Orchomenio lacu, & in AEthiopia Arabiæ aduersa, flumine præsertim, quod cinnamo semina disterminat, ait Strabo. nonnulli eam herbam (inquit Plinius & Theophrastus) stœben uocant, quæ quidem non solùm caule est aculeato, sed & folio quoque hispido: iuxta cuius spinas, aculeos etiam condit, radiæ non usqueadeò in profundum actæ.

Phlion à phleo longè dissidere ait Theophrastus. In insulis fluitãtibus prouenit, cuius lanugine, ad lixiuium mulieres utuntur, molle & placentaceum est, colore subrubido. Fœminam in eo accipi tradit, quæ sit sterilis, ad nexus idoneam, marem prorsus inutilem: partémque huius herbæ ab radiæ pueris cibo gratam esse: radiam

ipſam, pecudum pabulo uelli.

Sphondylion, olim herba rutinalis Romanis dicta, in paluſtribus & uligine cõmadentibus locis naſcitur, foliis eſt platani diuſura, cætero ſimilitudine panacis, caulibus magnitudine cubiti, uel eo etiam amplioribus, fœniculaceis: ſemen gerit in cacumnibus, ſolis effigie, ſed duplex & latius, candidum, paleoſum, graueolens, flore candido uel pallente, radice alba, raphano ſimili.

Inuenitur in torrentium ripis botrys, fruticoſa herba, tota colore luteo languens, multis ſtolonibus fuſa, ſemine circa totos ramulos creſcente, folio intubi. Immẽſum odorem ſpirat, ob id ueſtimentis ac linteis, curioſè à matronis noſtris interponitur, defertúrque Septembri uenalis per urbem, uulgò pimentum regale clamitant.

Plantaginem aquaticam à foliorum ſimilitudine noſtri uocant herbam eam, quam Aliſma & Damaſonion Græci nominarũt: recentiores fiſtulam paſtoralem, quòd ſingulari ſcapo, rudis fiſtulæ, & longitudinẽ & effigiem quãdam uideatur imitari. Cæterũ folio eſt arnogloſſi, in cuius faſtigio uiride alabaſtriculũ (ait Ruellius) in caliculum conoloris floris dehiſcit: radicibus crebris, tenuibus, ut hellebori nigri, acribus, pinguibúſq; : flore tenui, in candidũ palleſcente. Lacus, fluuios & aquoſos tractus amat.

Tribulus Plinio, non niſi in paluſtribus & reſidibus aquis naſcitur, dira res alibi: iuxta Nilum & Strymonem amnes excipitur in cibis, inclinatus in uadum, folio ad effigiem ulmi ſuper aquas extante, pediculo longo, capitulis ſub aqua merſis, caule per ſumma craſſiore, inferne graciliore, capillamenta quædam ſpicacea gerẽte, poſtea autem ſemen durum, nucis ferè magnitudine, retuſis aculeis aliquot cinctum, cuius nucleo acolæ non ſecus ac

castaneis uescuntur, quo etiam in farinam permolito, annonæ inopia, panes interdum fiunt. Apud nos frequens est in stagnis & fluminibus: huiúsque nuces, castaneas aquatiles uocant, nonnulli saligos. Aliqui in stagnantibus aquis nascentes tantùm cortice nigro fructus, à triangulari figura truffas nominare malunt.

Tribulos terrestres statuit Theophrastus, quorum uni cicerulæ folium, alteri aculeatum tribuere uidetur: uere germinant, serius tamen: cui in foliis sunt aculei, magísque hoc circa septa uillarum erũpit, semen habens rotundius, nigrius in siliqua. Eum tribulum quidam esse putant, quam uulgò uocamus calcatrapã, quòd sit siliqua spinarum uallo muricata. Hippocrates genus tribuli maritimum refert, idem cum terrestri, quod munus est aquatico.

Epimedion Plinio, in humidis nascitur, caule non usqueadeò procero ac magno, hæderæ foliis, denis ac duodenis, nunquam florens, radice tenui, nigra, grauiodore.

Ocimum aquaticum uocat uulgus eam herbam quæ Græcis erinos, Galeno echinos, aliquibus ocimoides dicitur, secus amnes fontésque nascitur, ocimi similitudine, sed foliis minoribus, & supernè diuisis. Palmo alta est herba, assurgit cauliculis quinis seníue, flore candido, semine nigro, acerbo, huius etiam caulis & folium madent lacte multo, unde à quibusdã ex uulgo, lactaria dicta est.

Peristereon, quam columbariam uel columbinam quiuis nominare poterit, in aquosis nascitur, Romani cristam gallinaceam & trixalidem aut exuperam uocant. Herba est altitudinis palmi, aliquantò maioris, folia gerit incisa, subalbida, exuperantia à caule, qui ei unicus, quemadmodum & radix sola mest.

Sida frutex est lacustris, Orchomenio lacu frequens

(ait Theophrastus) specie papaueri similis: tale etenim caput gerit, nisi quòd amplius est: roseo flore, foliis herbescentibus: uasculo mali amplitudine, candidis membranis obducto, semine intus rubro, gustu triticum æmulante. Caput & folia super undas emicant, mox quum defloruit, inclinatur in uadum, seménque spargit. Cibo idonea est Sida, eiúsque folia ouium pabulo grata, germina sullo pecori, fructus hominibus estur.

Nunc describenda sunt iuncorum genera, quorum stagnantes & lacustres aquæ plurimùm abũdare solent.

IVNCI PALVSTRES.

Iuncum Græci schœnon uocant: quòd eo ad funes antiqui uterentur (Caue autem schinon dicas, nam lentiscum significat.) Huius plura sunt genera. Est enim palustris iuncus, quem Græci λεῖον, hoc est, læuem uocant siue schœnon helion, in aquis sponte nascens, crassitudine & magnitudine fungosáque medulla insignis, omnium maximus & mollissimus. Theophrasto mariscus uocatus, à magnitudine, ut Barbarus autumat, Græcis holoschœnos, Galeno oligoschœnos. hic ad utilia præfertur. Videtur autem (ait Plinius) iuncus palustris, idem cum scirpo esse, ex quo prouerbium sit natum, Nodum in scirpo quæris. Est enim hic iuncus aut scirpus, fragilis ac læuis, admodum procerus, enodis, & sine fronde (ait Festus) ad tegetes & utilia utilissimus, quoniam mollis carnosúsque est, cuius etiam detracto cortice, candelæ luminibus & funeribus seruiunt. Hic tamen nec in ueprium cauliúmue, nec in herbarum alióue ullo, quàm suo genere numerari potest.

Alter iuncus acutus à nostris, à Græcis oxyschœnos

nominatur: eum esse autumat Barbarus, quem iuncum marinum appellamus: etsi iuncum marinum, uel iomarinum, uulgus nostrum appellare soleat fruticis genus, in montibus & apricis nascens, quo sepes tam uuas quàm structiles stipant. Neque desunt qui genus aliud fruticis in litoribus maris satis frequens iuncum marinum appellant, eúmque esse contendant, qui Dioscoridi & reliquis tragos uocetur. Cæterum acutus hic iuncus, de quo sermo est, sterilis esse existimatur, idémque mas: qui sè quotānis regenerare possit, cacumine in terram defixo, ex quo capitia radix denuò pullulet.

Tertium genus melancranida uocant, quasi iuncum atricapitem, melancræna dicitur Straboni: frugifer & atrifer à nigro semine Theophrasto. Fructum is gerit uuarum cohærentium modo, in quibus cuspidatum semen clauditur: hoc nihil in uliginosis occurrit frequentius. Proinde is in callum de regulari surculo intumescit, mox ueluti oua parit: circundantes enim spicatim geniculos iunco lineari affixos initio gerit: quorum summitatibus paululo latiores orbes uasculorum leuiter hiscentes inducit. Is semen exiguum effigie cuspidis sagittarum gerit, nigrum, non absimile semini herbæ inguinalis, uerùm paulò exilius: radicæ longa adhæret, multóque crassiore, quàm acutus. Ea omnibus annis moritur, deinde altera rursus à iunci cacumine defigitur: quod uel ipso usu percipi facilè potest, quippe aliæ radicæ siccæ, aliæ uirides ac demissæ cernuntur. Caput huic iunco cæpis & gethyis est simile, utpotè quod in unum ex pluribus conglobatum prælatúmque inferius tegumentísque subrubris intectum constet.

Iuncum odoratum, Græci insigni appellatione schœ-

non,nullo alio addito appellare cõsueuerunt,quod Scribonius adhuc retinuit:Hippocrates tamen,schœnon myrepsicon,id est odoratum,& schœnon hedyosmon,id est suauem uocauit: Celsus,iuncum rotundum appellare maluit,ut ab angulari distingueret,quem cyperum uocamus.Prouenit hic iuncus odoratus in Arabia,Syria,atque Africa.Quanquam & in Campania inueniri quidam dixerint,sed minus pollentem:eum uinosæ esse mordacitatis ipso gustu perhibent,florémque cõfricatum rosæ odorem emittere.Cæterum uiridem,pauci aut nullius esse odoris,siccatum peroptimi.In Aphrica autem qui nascitur,sine odore est,omnium pessimus. Proinde iuncus is,teres est,scapo exili,rubente,fragmentis in purpuram uergẽtibus,flore cõpioso,quem Hippocrates,& post eum Galenus,schœnu anthon uocarunt(etsi squinantũ nostræ officinæ iuncũ ipsum appellãt) uulgus pastum camelorũ.

Iuncus triangulus Græcis cyperus dictus: Plinio iuncus angulosus,in palustribus emicat,cubitali & amplius proceritate,ab imo candicans,fastigio niger,carnosúsque:foliis porrò exilioribus,solidioribus,dorso aliquátulum cultellato,paniculis in caulis cacumine dependentibus,inter quas semen occulitur:stirpibus tum longis,tum rotundis,in oliuas inter se connexas extuberantibus,atq; inuicem perplexis,nigris,suauiter olentibus,gustu subamaris: Sochetum rura nostra appellant,cuius radicem quæ odorata est,Iunio mense eruũt,digerúntque stipites in manuales fasciculos,quos prius insolatos,aceti imbre conspergunt,siccatósque frustatim tundunt,ut sua odoris gratia uestes interpositi cõmendent.Celsus,nulla ratione hunc iuncum quadrangulum appellat,quemadmodũ & uulgus seplasiariorum,iuncum quadratum. Sunt præterea qui gladiolum pseudocyperum uocent.

Cyperidis folio in palustribus, & circa stagnantes aquas erumpit, quæ Græcis typha dicitur, albido caule, alto, læui, plano, enodi, cuius cacumen densa florum congerie stipatur, & ueluti spissa quadam lanugine capitatur, quæ in pappos tandē euanescat, rura nostra (inquit Ruellius) massas appositè uocauerunt, quòd sæptra regum, massas uulgo dictas perpolitus caulis, lanosa flaccorum densitate, summatim fastigatus æmuletur. Cæterum de æreali typha, in Agro diximus.

Gladiolus Plinio, Cyperus est: multi enim non distinguunt à cypero, uicinitate nominis fallente. is tamē est radiæ bulbosa & dulci: quæ decocta, panem gratiorem faciat, ut inquit Theophrastus. sparganion aliqui, & xiphidion uocarunt, quòd folia habeat gladij cuiusdam forma, uerùm arctiore, inclinatioréque.

Iuncum cabacinum uulgus nostrum uocat, frutiçm palustrem in Orchomeno lacu plurimum, qui butomus Dioscoridi appellatur, ab eo quòd tam uiridis herba, quàm conditiuum fœnum, boues pascat, cuíusque sectiuo uictitēt pabulo. Caule est moffensissimo, peculiari quodā læuore, folio arundinis (inquit Theophrastus) angulari, fructu nigro, mali amplitudine, sexu duplici: mas fœcundus, fœmina ad utiliū nexus utilis. Pars ab radiæ tenera manditur, puerorum cibo grata. Proinde cabacinum iuncum uocarunt nostri, ob hoc præsertim, quòd eius foliis, tegetes & sportulæ sicut & sparto texātur (ait Ruellius) nam corbulas quibus ficus & passas recondunt, nostri corbas, uel potius cabas solent appellare.

Iuncos lapideos apud mare rubrum uocatum in Arabia paulò à Copto superius prouenire refert Theophrastus: quos nemo uisu à ueris potuerit discernere. Atq; hæc de iuncorū differentiis. De arundinibus dicendum est.

Arundinetum.

INTER aquaticos frutices principatum tenent arundines, belli pacísque experimentis necessariæ, atque etiam in deliciis gratæ (inquit Plinius) quapropter ab antiquis plurimo artificio circa fluminum ripas, humectísque locis excolebãtur, quæ Arundineta appellabant, ex quibus ad rusticanas domos contegendas, Septentrionales populi materiam expetebant: Romani uerò perticas, aut palos, ad uites sustinendas ac fulciendas: unde illis in consuetudine positum erat, uel ex Catonis decreto, ut iuxta uineta etiam arũdineta consererent, in ternos pedes arundinũ oculis dispositis: solo prius bipalio, minus tamen altè, pastinato: ita enim faciendum Varro & Columella docent.

Arundinum natura aquatilis est, lignosior atque robustior, ut quibus orientales populi non apud nos modò, uerumetiam apud antiquos bella confícere soleant. unde etiam hodie uidemus, ex India atque insulis nouissimè repertis, tela calamis arundinaceis confecta, quibus in bello utuntur eius regionis populi: quod satis accedere uidetur ad id, quod de calamis qui in Rheno, Bononiensi amne, atque adeò in Creta crescunt, ut refert Plinius: quibus nullos sagittis aptiores ait nasci, unde sagittarias arundines Creticas uocat Theophrastus, quanquam his præferantur Indicæ, quibus ait Plinius arboream inesse amplitudinem, ut nauigiorum usum præstare possint, hastarúmque uicem præbere, additis cuspidibus. Calamus item Orientis populi spicula addebant, irreuocabili hamo noxia: sic enim refert Plinius. Quod ut obiter in-

terpretemur, adolescentulorum causa: reperiemus, id ferrum propriè appellari spiculum, quod extremo telo additur, ad uulnus infligendum. At uerò, quòd ait eosdem populos mortẽ accelerare pinna calamis addita, id aliud fuisse existimare non possum, quàm extremam partem squillæ, quæ ostrea est Adriatico mari plurima, turbinata effigie, cuius extremum, quod cuspidem referre uidetur, pinna dicitur: quam satis eleganter describit Cicero, lib. 2. de natura deorum. Atque id obiter dictum fuerit adolescentulorum causa.

Chartis etiam seruiunt calami tenuiores, ac minus crassi, præsertim AEgyptij, cognatione quadam papyri, inquit Plinius. Creticis hodie tota Italia utitur, quorum cuspidem igne induratum, atque ita concannatum, ad scribendum aptissimum efficiunt, ab antiquioribus Græcis hoc in primis mutuati. Belgicis autem nostris calamis, nulla est gratia, quæ cum reliquis conferri possit, nisi ad colos mulierularum inseruire quis dicat, quod nostris Carnutensibus ac Vindonicis satis est commune. Arundinum calamorúmque differentiæ, mox describendæ, quæ nostratibus, atque adeò externis nationibus, frequentes esse solent.

Arundinem Græci κάλαμον uocarunt, Phœnices gingen (ait Barbarus) ob Adonin, quem ita appellant, quémque magnopere lugent: uulgus nostrum, Roseau appellat, & Arundinetum, Rosaye: quidam, cannam uocare malunt: quod nomen communissimum esse ad ea arundinum genera refert Theophrastus, quæ apud flumina & lacus potissimum nascuntur. Verùm cannæ appellationem, suis temporibus ait Columella, ad gracilem & degenerem arundinem magis propriam esse: liæt & apud

Polluæm ſit, canna fiſtellæ ac uaſis uiminei genus.

Arundinum multa ſunt genera, quæ differentiis uel ſenſui manifeſtis diſcernuntur. Quædam enim ſunt denſa tam carne quàm geniculis: quædam rara paucíſque geniculis: aliæ cõcauæ, aliæ breues, aliæ proceræ atque excelſæ: nonnullæ graciles & folioſæ reperiuntur, quædam craſſiores, minúſque folioſæ. Multæ quoque calamorum differẽtiæ, pro natura uſúque ipſarum intelligi poſſunt: ſingulæ nanque ad ſingula utiles, quapropter nomina etiam ſecundum haſce differentias uariare atque mutare ſolent: quemadmodum particulatim mox explicabimus.

Canna ſiue arundo uernacula, quæ Græcis donax appellatur (Cypriam uocat Plinius) noſtris lacubus frequentiſſima eſt, omnium frutiçoſiſſima: caule conſurgit geniculato, tereti ac fiſtuloſo, qui mox ſeneſcens, fiſſili mareſcit ligno, in leue faſtigiũ cacuminato: circa quod denſius excreſcat tomentum, ad faciẽdas cauponias culcitras non inutile, quod ueluti plumeum florem uidetur uocare Galenus, atq; affirmare anthelem à quibuſdã appellari, qui flos ſi in alicuius aures incidat, adeò tenaciter hæret, ut auelli non poſſit: Bombycis ſimilitudinem quandã gerit hoc tomentum: quapropter eas arundines, quæ multo eiuſmodi tomento abundarent, bombycinas opinor à Theophraſto uocatas fuiſſe. folia gerit ex articulis alterno laterum gradu emergentia: mẽbraneo cortice, calamum conueſtientia, uſq; ad medium internodiũ: hinc enim à cauo alarũ ſinu reſupinantur, procũbentæ languido promiſſoris comæ uel paniculæ pondu ſculo. Radix multis quoque geniculatur articulis, fœcunda ſtirpe, ut quæ uel aduſta, uel reciſa, lætius numeroſiúſque reuireſcat.

Arundo, Sagittaria, Dioscoridi nastos, hoc est farcta dicitur, quibusdam onascos. Ea est qua apud Indos & quasdam alias nationes tela ac sagittæ fieri solent, unde illi nomen: toxicam uocat Theophrastus: atque à quibusdam Creticam uocari contendit (quanquã ex Creta scriptorij calami nunc ad nos proueniãt) proinde, omnium est carnosissima, paucis nodis geniculata, maximéque flexum recipiens, atque omnino obsequens quo libeat flecti, si calefacta fuerit.

Fistulariam appellant arundinem, quæ Græcis syringias dicitur, quòd tota sit concaua ac fistulosa, nihilq; fere ligni carnisque habeat. Plinius autem ait eã ita uocari, quòd ad fistulas sit utilissima.

Characias arundo, hoc est uallaris, crassa & ualida est, cæteris longior, sed uermibus obnoxia: uulgo Italorum hodie græcanica dicitur, atque à Vitruuio, Cerdone Græca. Eam esse puto quæ cacumine est toroso, fusca lanugine puluinato: nostræ regioni satis frequẽs, præsertim circa ripas exspatiantis lacus. uallatoriã uertit Gaza in Theophrastum, aitq; nasci in comythibus, quæ sunt arũdineta stagnorũ pinguia & læta, in quibus aceruata arũdo, mutuo radicum implexu cõtorquetur ac conuoluitur.

Nexilem uel flutam arundinem, Plotiam, siue Plocimon appellarunt Græci, circa Orchomeniũ lacum frequentem, uti & superior, longè tamen graciliorem atque imbecilliorem, ex qua tegulæ fieri possunt. In insulis fluitantibus (quas Græci Ploadas uocant) nasci solet: in immensum prælatis iis quas Cephisus amnis abluisset, ut æcinit Pindarus.

Indicis arundinibus arborea est amplitudo, quarum usus hastarum uice esse possit, modò præpilatæ fue-

rint, hoc est, cuspidibus additis. Odorum unguentorúmque causa nasci Indicas & Syrias arundines refert Plinius: è quarum radicibus (ut Solino placet) succus exprimitur ad suauitatem mellis, quasi saccharum interpretari possis. Folia gerunt omnium arundinum longè breuissima. Subrectarum longitudo, triginta ferè passus: humi uerò serpētium, quinquaginta: Crassitudo, cubitorum ternum, interdum etiam senum, quod se non posse credere ait Strabo. In marem & fœminam Indicam arundinem diuidunt, aiúntque spissius marem corpus gerere, fœminam capacius. Naugiorum usum præbent huiusmodi arundines, singulis earum internodiis circa Aæsinam maximè amnem, ternos homines capiente alueo.

Arundines quasdam in æquinoctiali plaga, Australi quadam insula, nasci refert Diodorus, fructum candidum, eruo similem gerentes, è quo suauissimus panis conficiatur, æquè fabulosum, atque illud quod in eadem insula, duas ait herbas nasci, supra quas iacentes, placidissimo somno moriantur. Certè quosdam AEthiopes, radicibus arundinum in farina tritis uictitare aiunt, atque ob id rhizophagos appellatos esse.

Armamentariam arundinem nuncupauit Theophrastus, uel quòd ex ea uinearum pedamenta fierent (quæ nonnunquam armamenta Plinius uocat) uel quòd ex ea armamenta fierent ad inclusos cantus: ita enim Plinius interpretari uisus est. Gaza autem interpretari uidetur armamētarias arundines, quum in amplitudinem aucupatoriam adolescunt, unde etiam aucupatoriæ dictæ. Distant à reliquis arundinibus (ut in uniuersum capiamus) præstantia quadam naturalis nutricationis. Plenorem enim eam referunt nasci, carnosiorem, in to-

tumque facie fœminæ lasciuiorẽ spectari. Etenim foliũ amplius, candidiúsque gerit, minúsque habet lanuginis, quàm cæteræ: ut ex iis quædam omnino lanugine carere conspiciatur, quamobrem spadones appellatas fuisse compertum est.

Est & in Italia nascens Adarcha nomine (inquit Plinius) palustris quidem, ex cortice subipsa coma, utilissima dentibus, quoniam uis eadem est quæ sinapi.

Laconica cognominata arundo, foliis est uersicoloribus, ac uariis (quo nomine ab aliis differt) ab una parte densioribus, quales in totum circa stagna gigni putant, dissimiles amnicis, longísque uestiuntur tunicis, spatiosius à nodo scandente complexu.

Elegia arundo obliqua, uliginosis locis frequens, humilis contra aliarum naturam, graminis modo in terrâ sparsa: cibo, dum adhuc tenera est, animalibus gratissimo (ait Plinius) masculam solidam esse aiunt, fœminam uerò inanem.

Tibialem arundinem, aut uerius musicam, in Orchomenio lacu plurimam, auletron calamum Græci dixerunt. Nascitur plurima inter Cephisum & Nolanam, qui locus Pelicania dicitur: hodie ex Siciliæ insula Thermitano agro sita, laudatur, inquit Solinus. Tibiis cõficiendis utilissima est, uel ea maximè ratione, quòd continuo foramine sit peruia (inquit Plinius) Ea arũdine pastores antiqui sua carmina concinebant: unde illud Virgilij, Et tibias inflare leues, & dicere uersus. erátque theatris peculiaris, ad cõmœdiarũ cantus rusticos, quapropter cõmœdiam dicebant actam fuisse, tibiis paribus, dextris & sinistris: aut imparibus, quæ Serranæ dicerentur. Quod si libeat intelligere, facile quidem percipies ex Theophrasti

descriptione. Etenim hac arũdine (inquit) tibiarũ paria optime fiebant, cædebantúrq; tempestiue in hunc usum, usque ad Antigenis tibicinis tẽpora, quum adhuc simplici musica utærentur, hoc est aplasto: præparabántq; musicas arundines ferè in hunc modũ. Cùm collegissent arundinẽ hyeme, sub dio, suis uestitã tunicis exponebãt: uere autem dispoliatã, attritúque expurgatã expãdebant ad solẽ: ac mox sequenti æstate concisam in internodia, rursum sub dio ad certũ tempus relinquebant, omisso cũ internodiis superiori geniculo, ad oris tibiæ conformationẽ: cuius tibiæ longitudinẽ nunquã palmo minorẽ efficiebant: uocabántq; has tibias interdũ puellares & uirginales, quæ hemiopi, hoc est semiforæ essent, minores atque imperfectæ: uel diopi, hoc est biforæ. Interdũ uiriles quæ pares erant, hoc est, imũcæ iunctæ, atque ex eadẽ canna æqualibus cauernis cõstructæ: quarũ apud Phryges dextra unicũ tantũ habebat foramen: sinistra, duo. Erant & impares tibiæ, Sarranæ appellatæ: quarũ altera lõgior, altera breuiorerat. Verũ hæ quidẽ ita inter se coniunctæ erant, ut unica tantũ appareret, atq; id quidẽ euphoniæ causa. Cæterũ optimæ erant tibiæ ex internodiis, ad parium constructũ, ut mediæ totius arundinis partes, quæ aduersum germina exeũt, mollissima paria gerãt: durissima quæ proximæ radici habẽtur. Quin & ex eadẽ arũdine ligulas tibiarũ optimas eximebant, quas uulgus nostrũ uocat, des Anches: eásq; ita tibiæ infigebãt, ut alterã dextrã, alteram sinistrã appellarent. Atq; hoc imprimis operã dabant, ut ex eodẽ internodio linguã colligerẽt, ne discors esset, proximã ab radiæ sinistrã imponebãt: dextram quæ germina uersus pateret, incisa duas in partes internodio. Quinetiã os linguæ utriusq;, secundũ calami

incisurã efformabãt, neque existimabãt satis bene cõgruere, si quo alio modo linguæ cõficerẽtur. Ante Antigenis tẽpora non erant linguæ præparatæ utiles, nisi prius aliquot annis adseruatæ atq; exiccatæ, multáque exercitatione perdomitæ, ut canere tandẽ edocerẽtur (ait Plinius) atq; ita ora linguarũ cõprimebãtur, quod erat illis theatrorum moribus utilius, sic enim refert Theophrastus. Verùm posteaquá uarietas fictióq; accessit, & cantus luxuriantes, tum quidẽ cæsura mutata est, atq; ita effectũ, ut utiles in trimatu fierent, apertioribus ligulis ad flectẽdos sonos, linguæ enim disiectu deflectebatur: quod iis necæssarium esse existimabant, qui sonos fingerent, & multifariam inflecterent. Verùm post hæc antiquissima tempora, Plinij sæculo fieri cœperunt sacrificæ Thuscorũ tibiæ è buxo: Ludicræ uerò, loto, ossibúsque asininis, atq; etiam argento: arundinibúsque tãtùm utebantur ad tibiarum ligulas, quemadmodum & hodie quoque apud nos in more positum esse uidemus.

Calamus odoratus, uel (si mauis) aromaticus, Hippocrati myrepsicos, Plutarcho Arabicus dictus, ab India ac Syria ad nos hodie defertur: éstq; etiam in Arabia frequẽs, circa lacum Genneſaretidẽ in cœnualli stagnantibus ac palustribus eius lacus aquis cõferto, quæ tamen palustria æstatæ desiccarì ait Plinius, atque facilius iis desiccatis calamos colligi. Caue autem ne imælligas, calamos desiccatis paludibus gigni. Nam hoc omnibus arũdinibus peculiare est, ut in aquis crescant. Proinde hic calamus, Arũdini simillimus est aspectu, multis geniculatus nodis, fuluus, tactu mollis, & quum frangitur, scissilis, intus araneosus, cassiæ gustu, fragrantissimo odore, ut locum in quo nascitur ingredienti, spiritus suauissimus statim aspi-

ret: mollior est tactu (ait Plinius) meliórq; qui minus fragilis, & qui assulose potius q̃ raphani modo frangitur. Nam rhaphanus frangitur frustulatim nõ assulose: quod est per lata quædã fragmenta, quas assulas antiqui uocabãt, ueluti quum marmor cæditur: ea enim antiqua uox est. Ineſt præterea huic calamo (ait idẽ author) araneũ quod uocãt florẽ. Cæterum, qui ex noſtris ſeplaſiariis calamo aromatico carent, ij ſolẽt minus tritis medicis oſtendere radicem acori, cuius geniculi atque etiã odoris quædam ſuauitas, itẽm color, nonnihil ad calamũ aromaticũ accedere uidẽtur. quãobrẽ ea radice interdũ pro calamo odorato uti ſolent, haud ſecus atq; cupreſſo pro xylo aloẽ.

Papyrus, aut (ſi uoles) papyrũ, in Syria etiã naſcitur, circa eum lacũ, quo & calamus odoratus, inquit Theophraſtus: eam uerò inter arundines cõnumerare non uerebor, etſi nonnihil ab iis differre uideatur. Naſcitur & in paluſtribus AEgypti (ut refert Plinius) aut quieſcentibus Nili aquis, ubi euagatæ ſtagnant, duo cubita non excedente altitudine gurgutũ, brachiali radicis obliquæ craſſitudine, triãgulis lateribus, decẽ aut eò amplius cubitorũ lõgitudine in gracilitatẽ faſtigiata, Thyrſi modo cacumen includens: ſemine nullo, aut uſu eius alio q̃ floris ad deos coronandos. Radicibus incolæ pro ligno utũtur, nec ignis tantùm gratia, ſed ad alia quoq; utenſilia uaſorũ. Ex ipſa quidẽ papyro nauigia texunt, & è libro uela, tegetéſque, necnon & ueſtẽ, ſtragula, ac funes. hæc & multa alia Plinius ex Theophraſto. Noſtris hominibus Papyri ad chartas euanuit uſus, quanquã adhuc nomen integrũ retineat. Hæ uerò quo pacto cõpingerẽtur, ac glutino malleíſque ſolidiores fierẽt, nihil certè mirũ eſt, ſi modò Plinij uerba c. 12. li. 13. intelligas. Cæterũ Papyro tantũ uti-

mur ad scipiones & baculos senectuti fulciẽdæ cõmodos, propter leuitatẽ arũdinaceã. His baculis hodie, honoris ac magnæ dignitatis ergô regiæ atque imperatoriæ domus præfecti uti solẽt, quos domuũ magistros uulgò appellat.

Arundinacei generis est frutex in Creta cõpiosissimus, olim in Arabia & India tantùm cognitus, cuius medulla saccharũ est, ueluti mel quoddam gummi modo candidũ (ait Plinius) dentibus fragile, quod ad uarios usus miro artificio hodie præparatur, tum ad delicias, tum etiam multò magis ad medicamentorum dulcedinem, Galeni temporibus ignotum.

Arbustum.

ARBVSTVM cum antiquis rei rusticæ scriptoribus, dicemus locum arboribus uitiferis (sic enim loquitur Palladius) cõsitum per ordines: in quo uites ipsis quidẽ arboribus sesquipedis spatio distantes applicabant, ne arboris incremento opprimerẽtur, si minus haberent spatium: caueis étiã muniebant aduersus pecoris appetẽtis iniurias. Quin & frumentũ interserebãt, atque ita uitibus & segetibus indulgebatur, relictis quadragenis pedibus inter arbores ad frumentum serendum: siquidẽ lætus, amplus & opimus erat Ager: in exili enim agro, tantũ uicenos pedes relinquebant. Quas autẽ arbores appellat Palladius uitiferas, eæ certè sunt à nobis hoc loco describendæ: nempe salix, ulmus, opulus & cæteræ id genus, quas profectò inter fructiferas, & eas quas in Seminario descripsimus, nõ fuit æquũ interserere.

Arbuſtum Italicum appellat Columella id quod ſuperius docuimus: cuiuſmodi hodie paſſim in Italia uidetur: quod etiã multa diligentia putatur & excõlitur ad arbuſtuarum uitium ſuſtentacula & nutrimenta. Vnde arbuſtare uocabulum deductum, quo ſignificabant antiqui agrum arboribus cõſerere ad maritandas uites.

Arbuſtum Gallicum humilioribus arboribus cõſitum erat: neque ita quidem admodum frondoſis, ut facilius uitis ab arbore ad arborem traducëretur, quos traduces, quia Galli (ut Varro refert) rũpos appellabãt, hinc ærtè coniicio huiuſmodi arbuſta Gallica, rũpotina & rũpotineta appellata. Nã ferè ita cõſtitutũ rumpotinetũ animaduerti (inquit Columella lib. 5. c. 7.) ut ad octo pedes, locis ſiccis & cliuoſis: ad duodecim, locis planis & uligioſis tabulata diſponantur. Plerũque autem arbor in tres ramos diuiditur, quibus ſingulis ab utraque parte cõplura brachia ſummittũtur, tum omnes penè uirgæ, ne umbrent eo tempore, quo uitis putatur, abraduntur.

In noſtro igitur hoc Arbuſto, & ſalictũ, & ulmariũ & lauretũ ac myrtetũ, item etiã populetum cõplectemur: ut uno atque eodem loco uariarum arborum ſeminaria cõtineantur.

SALICTVM.

Salictum appellabimus locum ſalicibus cõſitum, utilitatis gratia. nempe ad uimina uel perticas colligendas, quibus ad multa rei familiaris atque adeò ruſticæ negotia uti poſſimus: nullius enim tutior reditus, minorí ſue impendij, aut tempeſtatis ſecurior. Vulgus noſtrum uocat Vne Saulſaye. Eſtque is locus potiſſimum riguus aliquo amne: amat enim hæc arbor imprimis huiuſcemodi lo-

ca, & in aquosis sata quamoptime germinat: sed latissime & celeriter ex auulsione, quod uulgus nostrũ uocat Deficher: deponitur enim commodè cacuminibus uel talea, & spatia laxiora desyderat, per quinum pedum interordinia, quemadmodum in quincuncis explicatione docuimus. Huiusmodi quincuncas salictarios uideas elegantissime dispositos in cœnobio diui Victoris extra muros Parisinos. Nonnunquam etiam salix (inquit Columella lib. 5. ca. 7.) in arbusto Gallico à plerisque ad uinearum usum disponitur: sed nisi in aquosis locis, ubi aliæ arbores difficulter comprehendunt, ponenda non est, quia uini saporem infestat. Nunc ad arboris descriptionem & genera ueniendum.

SALIX, Græcis itea, uulgò Saulx, ita dicta (inquit Festus) quòd saliat, surgátq; cito: ὀλεσίκαρπος ab Homero appellata, quòd ocyssime semen amittat, antequam omnino maturitatem sentiat. Cæterũ quod ad eius descriptionem attinet, contorto & breui caudicæ assurgit, ramis longis, è trunco extremo, uelut de capite prodeuntibus, lẽtis, flexilibus: foliis longis, subtus incanis, supernè uirẽtibus, flore seu nucamẽto squamatim cõpactili, lanuginoso, propẽdẽte, fructu qui facile ante maturitatem euanescat.

Salicum plura genera tum apud nos, tum etiam apud antiquos authores inuenio, solo usu, uel etiã magnitudine, & corticis forma inter se discreta. Quædã enim salix in proceritatem magnam emittit iugis uinearũ perticas, parítque baltæo corticis uincula. Ea est quam antiqui rustici, ob id, perticalem uel perticariam appellarunt: Theophrastus candidam uocauit è re ipsa.

Alia est salix, sequacis ad uinctũ lẽtitiæ uirgas ferẽs, à Plinio Gallica appellata, à Theophrasto salix nigra:

quòd sit nigro aut puniceo cortice. Vulgus nostrum uocat du Bursauli.

Græca porrò, quæ dicitur salix Plinio & Columellæ, satis est ea quidem humilis, & rubenti materia, qua præcipuè ad uimina utimur, unde etiam salix uiminalis appellata, ab ipso usu. Vulgus nostrum uocat de l'Osier.

Sabina uerò, quam etiã amerinam saliçm uocarũt authores, candidior est superiore, & ad uitellinum colorẽ (uel lutẽũ, si mauis) potius tẽdẽs: cuius est breuitatis, spõte naturæ pumila: uirgas fert quæ detracto cortice, leni sunt admodũ tractatu, quibus utimur ad corbes, cistulas, & uasa, quæ ob id uiminalia appellãtur. Ea est salix, quã uulgus nostrum uocat Frãc osier: Lugdunensẽ, Ambre.

Saliçm præterea amerinã Dioscorides à Latinis uocari existimat, quam nos uiticem, Græci agnon & lygon. Vulgus pharmacopolarũ corruptè agnum castum appellat, utraq; uoce idem significante. Cuius arboris aut fruticis tanta est cum saliçe amerina foliorum & uirgarum similitudo, ut non ab re eã pro ipsa saliçe usurparit Dioscorides. Itaque de uitice hoc loco dicendum, quemadmodum in Vineto sumus polliciti.

VITEX Latinis dictus, quoniã habet suraculos ligãdis rebus idoneos, haud secus ac salix uimunalis & amerina: Agnos Græcis dicitur, q̃ (authore Galeno) castitatẽ cõseruet iis quibus estur aut bibitur: uel quoniã matronæ in Thesmophoriis Atheniẽsiũ castitati studẽtes (inquit Dioscorides) eius foliis lectos sibi sternerẽt: Lygõ etiã Græcis appellatur, propter suraculorum firmitatem.

Viticis duo genera: Maior, qui uitex albus dicitur, arboreścitq; salicis modo, & eadẽ habet folia: nisi q̃ perpetuò uirent, & grauiorem spirant odorem: ramis frangi

contumacibus: flore ex purpura candido, piperis semine: unde quibusdam piper agreste appellatum scribit Dioscorides. Minor, qui & niger uitex appellatur, ramosior est: foliis candidioribus & lanuginosis, flore purpureo: Vterque circa flumina nascitur.

Salix equina (ne id etiam prætermittamus) Latinis appellata, pratẽsis herba, quam Græci hippurim, Romani equisetum, uel caudam equinam, à forma appellarunt, de qua in prato uberius diximus.

Salicastrum, herba à saliæ nomen trahens, quòd in salictis frequentissima sit: quam herbam recentiores (inquit Ruellius) flammam uocauere: folio est duro, cinericei coloris, uiticulis calloſis, rubentibus, qualiter flos quem flammam Iouis appellamus: in uiolis fert semen acinorum mali punici simile. Atque hæc tantùm diximus, ne quid omisisse uideremur eorum, quæ ad salicis cognitionem attinent.

VLMARIVM.

VLMARIVM, uitium præcipuè causa, ueteres facere solebant. nam huiusmodi arboribus imprimis gaudent uites, quibus etiam eleganti quodam coniugio hodie apud Italos maritantur. Vnde Columella lib. 5. cap. 6, ulmarij faciendi rationem longo sermone recensuit, & quo pacto prima quæque arbor senio aut tempestate afflicta summouenda est, & in eius uicem nouella soboles substituenda in ulmorum seminariis, quæ uulgus nostrum uocat Ormaye. Itaque de ulmorum differentiis ac generibus dicendum.

VLMVS, Græcis ptelæa, Gallis Orme, procera est

arbor, folio indiuiduo, lentè crenato, scabro, oblongiore, quàm pyri: materie flaua, robusta, neruata, deformi: semen ei racemosum, quod samara Latinis dicitur. In foliolis & petiolis, gummi producit, item etiam quoddam animalculorum genus quod cnipes uocant.

DVPLICEM ulmum facit Theophrastus, montanam, quam oriptelæam nominat: & campestrem, quæ fruticosior est: folio indiuiduo, leniter per oram serrato: uulgus nostrum hãc fruticosam ulmum uocat Ormeau.

Gallicam & item uernaculam ulmum Columella facit. Gallica, ea est quæ & Attinia dicitur, & marita ulmus, quòd uitibus sit cõmodissima. Generosissima hæc est & lætissima, multámque frondem ministrat, & rarissimum semen creat: atque ob id sterilis plerisque iudicatur: seminibus interfrondem, quam prima edit germinatione, latentibus: nascitur tantùm scopis. Inter Attinias ulmos Plinius siccanas laudat, quæ excelsissimæ sunt & non riguæ.

Vernacula ulmus ea est quæ & nostras & Italica dicitur, diuisiore folio, & ab eodẽ pediculo numerosiore, iucundissimum pabulum bubus adfert, & frondes utilibus utiles: minus lætatur montosis, & aquis gaudet, uitem alit, eiúsque societatem cõmodissimè patitur. Quapropter ab antiquis in eum usum formabatur, quotannis alternis brachiis in modum scalarum relictis, ut facilius suis claui culis, ueluti manibus quibusdam, ipsam comple ctteretur, & sursum ascenderet. Dicamus iam de populis.

POPVLETVM.

Populetum ulmario subiungemus, quando hæc etiam

arbor(præsertim nigra)uitibus maximè est amica:quapropter(inquit antiquus agricola)uinearum causa, post hortos serebatur,bipedaneo pastinatu, talea sesquipedali, biduo siccata,semipedis interuallo, terra superiecta duorum cubitorum crassitudine. hæc enim arbor, uitibus admodum placet.

POPVLVS,arbor duplex, quarum altera nobis frequens & satis nota,nempe alba:altera, utpote quæ nigra dicitur,plurimùm rara,& ægrè apud nos crescens. Cæterum dictam populum quidam putant à foliorum multitudine.

ALBA, siue candida populus, Græcis λεύκη appellata,obid(inquit Pausanias) quòd Hercules in descensu ad inferos apud Acherontem fluuium eam uidisset, ramúmque eius rediens extulisset, itaque etiam Herculi dicatam ferunt. Certè ob id dictam putauerim, quòd eius folia supernè candicent. Vulgus nostrum tremulam appellat Du tremble: quòd eius arboris foliorum pediculus sit maximè tremulus, ut ipsa etiam folia, uel leuissimo spiritu agitata,inter se plurimùm crepitẽt. Arbor campestris,aquarum auida, caudiæ procero, erectóque consurgit: ligno intus albo,lento,scutis faciendis aptissimo, læui & carnoso cortice,foliis tremulis,numerosioribus,in iuuenta circinnatis,in senecta angulosis,supernè candicantibus & lanugino sis,infernè herbaceis: frondes scopis tantùm utiles:nunquam floret: fert tamen uuas,brya uocatas:ex quibus (uerno potissimum tempore, cùm plurimùm grauis est,prægnánsque resina)conficitur unguentum populneum,ægirynon Græcis appellatũ. Nostri tamen etiam ex ipsis foliis id cõponunt,atque aiunt phlegmonas refrigerare: quo etiam mammis puerperarum il-

lito, matronæ & obstetriçes utuntur ad fugandam lactis abundãtiam, quæ statim à partu erumpit: id autem, sua barbarie appellant Du pampelion: cuius usum damnatum & errorem ostensum uidebis apud Manardum.

NIGRA populus, in quam Phaetõtis sorores mutatas aiunt, Græcis αἴγειρος dicta: nobis infrequens: circa Padum Italiæ fluuium plurima: multò altior & robustior est, quàm alba: fronde angustiori, scabriore cortice: in totum strigosior, foliũ gerit utraque parte herbaceum, atque ita lanuginosum ac numerosum: qua ratione uitibus magis amica creditur: sua enim lanugine uuas inficere non potest. præterea minimam umbram præstat, propter tremulam foliorum facultatem. In hanc, uetustate albam populum degenerare credunt. Ego tamen aliud esse genus existimarim. Humorẽ resinosum è cauis emittit, quem, ueluti lachrymam quandam, in Eridanum destillantem, aiũt in electrum coire, hoc est succinum, quod Chrysophoron appellãt: uulgus nostrum uocat De l'ambre. Id attritum, iucundissimum spirat odorem, colore auri æmulo. Cæterum populus nigra fert in foliis guttam ex qua apes propolim suam faciunt. Fructum nullum parit: quãquam in Creta sint qui nigram populum fructum emittere contendant.

Tertium ab his genus Theophrastus facit eius quam Alpinam, nonnulli Libycam cognominãt. supradictarum altitudine, cortice pyri syluestris scabro: ramis candicantibus, folio hederæ: hinc inde exaturato uirore nigro, sed parte una hebete, altera angulosa: pediculo tenui, oblongo: colore partæ supinæ pronáque ferè consimili. Ea est certè, quæ nigra populus iure dici debet, folio nigerrimo, fungíque enascentibus laudatissima. Tu uideto le-

ctor, quid ex his sentias: liberum enim tibi semper esse uoluimus in rebus controuersis iudicium.

Diæmus hoc loco etiam de opulo arbore, quando & populo est affinis, & eam uidetur quidam agriculturæ scriptor cum ipsa populo confudisse, cùm tamen sit ab hac longè diuersa.

OPVLVS quoque est uitibus amica arbor, & aquosis gaudens, ut eam uites præsertim arbustiuas alere ab antiquis scriptum reperias. Si arbustum (inquit Columella) ex opulo uitibus quis cõstituere uolet, ante annum quàm deponat arborem, scrobes faciat quatuor pedum quoquouersus: deinde circa Calẽdas Martias, in eandem scrobem opulum & ulmum configat: ut si opulus defecerit, ulmus locum obtineat: si autem utraque uixerit, altera eximatur, & alio loco pangatur. Cæterum opulus uulgò apud nos obierus uel opierus dicitur. Vlmi proceritate adolescit, caudice recto, enodi, rarioribus ramis brachiato, frondibus ferè uitigineis, baccis racematim dependentibus, prima pubertate uuridibus, à maturitate puniceis. Hæc tantùm de opulo.

LAVRETVM.

Lauretum iure optimo hoc ordine disponemus, quando antiquis idoneam fuisse laurum scribit Diophanes uiuis sepibus, quæ uitiarium ambiant: unde Romanis eugenia appellata, hoc est illustris.

LAVRVS, uulgò Laurier, Græcis daphne: quòd inter urendũ sonum elidat, quasi daophone (inquit Ruellius ex Theocrito) uel à formosissima Ladonis filia, quam Apollo persequens ob amorem, in laurum à Tellure ma-

tre cõuersam, gentili uirginis nomine appellauit, eiusque arboris ramum auulsum capiti circumposuit, quod inde diuinationis signum fuisse tradunt fabulæ. Arbor est læui cortice ac tenui uestita: spargit radices obliquas, inæquales, quæ suapte natura, non recto tramite progrediantur: perpetua uiret coma, caudicæ procero, pingui succo scatente, nodis perquàm paucis. Sterilem appellant laurum, quam alij marẽ uocant, baccifera est admodum, quæ fœcunda & fœmina laurus dicitur, carnémque in nucleo cõceptam ostendit in baccis.

Variæ sunt lauri arboris ac fruticis species apud antiquos, quæ tamen minus latè patent, sed solo uocum, aut minimo figuræ discrimine cognoscuntur.

Delphica laurus dicta, quæ (ut inquit AElianus) è Thessalia Delphos primùm translata est ab ipsis Tempe, tum cùm Apollo draconem sagittis cõfodit: uel ob hoc delphica appellata, quòd ea uictores delphis coronari solerent. Eandem Lactantius grãmaticus tripodem quoque uocari dicit, à ternis, quas habet, radicibus: aut quòd Apollini dicata sit, propter tripliçem diuinationis uim, præteritorum, præsentium, futurorum. Arbor est æquali colore foliorũ, uiridior, maximis baccis, è uiridi rubẽtibus.

Triumphalem laurum Augustus Cæsar appellauit: qua triumphantes coronari primùm Romæ cœperunt, reiecta delphica. Eam è cælo missam eidem Cæsari perhibent historiæ, sterilem, altitudine minima, folio crispo: rara tamen est hodie inuentu.

Tenuifolia laurus, Cypria dicta, breui est folio, nigro, crispo, per margines imbricato.

Latifolia, syluestris laurus, tinus quibusdam nominata: baccas fert nigras aut cæruleas, & in arborem as-

surgit, optima ad exprimendum oleum.

Regia laurus, quæ & augusta, dicta est ab amplitudine tum arboris, tum etiam foliÿ: ne quis fortassis ab Augusto Cæsare denominatam existimet: baccas fert gustu non asperas.

Baccaliam laurum alteri generi assignant nonnulli: eámque dicunt appellari, quæ uulgatissima sit, & baccarum fertilissima, unde nomen habet.

Accedit in topiario opere, quæ Taxa dicitur, iucundissima: parvula quædam seu lacinia in medio folio excrescente. Eam autem arborem non uerebimur laurum Alexandrinam appellare, quòd Alexander Macedo uictor primùm huiusmodi arboris foliis fuerit coronatus, quam alÿ idæam, alÿ hippoglossion (à lacinia quam diximus) uocauerunt. Huiusmodi laurum fruticosam primùm uidimus Patauiÿ in hortis Gaspari à Gabrielis nobilis Patauini, & rei herbariæ studiosissimi. Erat autem folio myrti sylvestris, sed maiore: quanquam interdum minore postea conspecta sit à nobis & molliore ac candidiore, nec rigido: altero foliolo de primoribus foliis exeunte: rubro inter folia semine, radiæ myrto sylvestri proxima, ac molli: uulgus nostrum eam laurū inter herbas fruticantes commemorat, & bislinguam uocat: quòd ex medio folio, linguàm quoquomodo referente, folium aliud supernascatur, etiam ligulæ cuidam simile (ut iam diximus) sed id intelligendum est fieri iis tantùm foliis, quæ fructum ferendum aut sustinendum, à natura factum esse dixeris. Bonifaciam uulgus Italorum appellat, quòd anginæ prosit & bene faciat: folia enim huius, uino temperata huic morbo plurimùm sunt utilia. Galenus daphnen herbam, & daphnen Alexandrinam uocat.

Spadonia laurus miram opacitatem præbet: & quantalibet sub umbra solum implere traditur.

Extra columnas Herculis, in mari, nascitur frutex folio laureo, qui erectus in pumicem transfiguratur.

In Nereo sinu parte aquis extante, lapidea est laurus, similis tamen uirenti: magnitudine fruticis bipedalis. In mari quoque rubro uuere eam affirmant.

Daphnoides herba, siue frutex, à folio etiam laurino nomen habet: quam eandem eupetalon Græci dixerunt. Frutici est sesquipede alto, ramoso: ramis flexilibus, sursum uersus foliosis, cortice (qui urgas uesti) glutinosissimo atque mextricabili. Folia habet lauri, molliora, ualida, nec fragilia, quorum gustatu os & fauces accendantur: flores candidi, bacca, cùm ematuruit, nigra: frõs fractu contumax, radix inutilis. Ea est quam uulgus nostrum non omnino ineptè (utquidam putãt) laureolam uocat.

Daphnitis siue Chamædaphne, hoc est, humilis laurus: etsi dicatur etiam uulgò laureola, non eadem est tamen cum superiore: exit enim unico ramulo, cubitali, erecto, tenui: folio laureo, itidem etiam tenui, sed multò læuiore: acinos fert rubentes, rotundos, foliis annexos quibus adnascantur.

Quæ uerò uinca peruinca Plinio nominata est, etiam si eandem cum chamædaphne esse putet, longè tamen est ab ea diuersa: hortẽsis enim & topiaria herba est (ut in Hortulo diximus) uirens in modum lineæ: foliis geniculatis circundata, laurum quidem imitãtibus: ueteribus inopiam florum supplere solita. non autem attollitur, sed humi serpit, & se in modũ funiculi porrigit, uicina quæque uinciens, unde illi nomen: florem gerit ex purpura cæruleum: uulgus nostrum appellat De la peruence.

FRVCTVS, aut, si mauis, bacæ lauri, Græcis daphnides appellantur: quemadmodum cædri fructus, cædrides: uulgus nostrũ uocat Grains de laurier, quarum facultates & uires nihil attinet hoc loco longiori sermone recẽsere. Nam in superioribus descriptionibus, satis quidem earum forma notata est.

OLEI laurini ueteres plurimùm meminerunt, & id quidem maximè probarunt, quòd ex laurinis bacis fieret, hoc modo. Baccas lauri permultas maturitate turgentes in aqua calida discoquito: ubi diu efferbuerint, olei quod ex se dimiserint undam supernatantis, pennis leuiter cogentibus, in uasa transfundito. Quidam etiam folia baccarum corticibus admiscent, alij styracem addũt, ut odoratius oleum reddatur: medicamẽtosum est enim, & admodum utile. Sed de lauris satis. Veniamus ad Myrtetum.

MYRTETVM.

Myrtorum seminariis, quæ myrteta uocata sunt, antiqui plurimùm delectabantur, tum propter uini & olei utilitatem, quam ex myrtis accipiebant: tum quòd totum fundum rusticum, atque adeò loca uicina odoris suauitate replerent: quapropter locis post hortos editioribus myrteta conserebantur, uel ligno, uel ramis, uel etiam semine. Quin & comitem rosam adiungebant myrtis, & ordine disponebant: partim ut fructuosiores emineren, partim ut uberiorem fructum parerent: quod certè oblectationis & elegãtiæ gratia ab iis fiebat potius, quàm domesticæ rei. Vnde Martialis ullam Baianam Faustini cùm laudat libro quinto,

Baiana (inquit) nostri uilla Basse Faustini

Non otiosis ordinata myrtetis,
Viduáque platano, &c.
Sed rure uero barbaróque lætatur.

Faustinus enim rei domesticæ & reditui, potius quàm deliciis dabat operam. Nam etiam apud antiquos, baccæ myrtinæ in eo usu erant antè piperis usum, ut libi obtinerent uicem, quodam generosi obsonij nomine inde tracto, quod myrtatum uocabatur. Sed ad arboris descriptionem ac genera.

MYRTVS, Græcis myrrhine & myrsine, nostris Du murte: arbor est fruticosi generis, oleam referēs: nisi quòd ramis foliisque est minoribus: angusta fronde, perpetua, seriatim disposita, flore supra fructum insidente, baccis nigris, piperis gustu, succo uinoso, stirpe inæquali & ramosa.

Myrtum multiplicem fecerunt antiqui: nempe Dioscorides, Cato & Columella: primùm enim candidam myrtum uocant, quæ baccas candidas ferat: & nigram, quæ etiam nigras, medicinæ & uino atque oleo utiliorem. Sed & his deinde coniugalem addit Cato, quem esse nostratem existimamus. Alia præterea genera topiarij faciunt: Tarentinam, folio minuto: nostratem, patulo: exoticam, densissimo, senis foliorum uersibus: sed hæc nobis non est in usu.

Myrtus sylvestris, Græcis oxymyrsine, siue Chamæmyrsine, Ruscum & ruscus Latinis dicitur: officinæ bruscum corruptè uocant: uulgus Du houſſon: humilis est herba, fruticosa, foliis acutis, mucrone rigentibus, dependētibus à medio baccis, quæ per maturitatem rubescunt: osseo intus nucleo: ramulos habet cubitales, uitilium modo lentos, folioſos, fructu cōtumaces: radicem graminis acer-

bam, subamaram. Fiunt ex ea scopæ apud Italos & nostros Lugdunenses, ad detergendam infumibulorum fuliginem.

Alterum genus ruſci nonnulli faciunt, quod proceritatem arborum æquat: folio lato, duro, per angulos aculeato, immortali uirore: baccis rubentibus, racematim collectis: ſed genus aquifoliæ ilicis potius iudicarim, quemadmodum in ſylua latius docebimus.

Nemoralem myrtum uulgus ruſticorum uocat, quam Plinius, ni fallor, dryophonum appellauit, quaſi ſyluæ cædem. Herba eſt in ſyluis cæduis & quercetis paſſim naſcẽs: tenuibus caulibus, arbitalibus, ambiẽtibus utrinque foliis, quaſi ſylueſtris myrti, ſed mollioribus & candidioribus: pollicari latitudine: flore albo, ueluti ſambuci: fructu acri, quo piperis loco ruſtici cibos condiunt: unde cuſini quaſi culinarij ab iis appellantur, Des cuſins: quòd iam uenerint in ganeam, gratiſſimo ori mandentiũ cibo, præſertim ſi edomita acrimonia ſacchari dulcedine fuerit.

Myrtidanum appellatur Dioſcoridi uirgultum myrto adnaſcens, nodoſum, inæquale, uerrucoſum, concolor: quod ueluti manus quædam myrti caudicem amplectitur, unde nomen habet. Martidanum uidetur appellaſſe Dioſcorides, & myrtidanũ, ipſum piper. Galenus ait myrtidanũ eſſe myrti ſobolem, quæ exiens à radice fruticat.

FRVCTVS, atque adeò baculæ myrti ſatiuæ & urbanæ, myrtæ & myrtides Græcis nominantur: hæ diutiſſimè uirentes (ut Græci produnt) ſeruantur uaſe non picato, diligenter operculato conditæ: alij cum ramulis reponere malunt ad delicias.

Myrti ſylueſtris, ſiue ruſci baccæ, fœtent dum re-

centes sunt: osseáque est in iis duritia: magnitudine cerasum malum æquant. Itaque cauebunt posthac nostri pharmacopolæ mauritanam factionem sequi, quibus fructus oxymyrsinæ aut rusci, Cubebæ uulgò, siue Combebæ appellantur. Certè Actuarius (quēadmodum probè collegit Ruellius) cubebas uocat, id granū, quod etiam Galenus Carpesium nominat. Est autem Carpesiū, longè alia res à ruscifructu. Carpesia enim, minuta grana sunt, odorata gustu, non absimilia radicibus herbæ, quæ phu nominatur: plurima in Syria proueniunt.

Ex bacca præsertim nigra, satiuæ myrti, siccata usque ad ariditatem in umbra, atque ita mulso indita, fiebat uinum apud antiquos, inquit Cato, quod myrtitem appellabant, & myrtaceum: plurimúmque ualere existimabant in medicina.

OLEVM quoque myrtinum siue myrtaceum fiebat apud eosdem, ex iisdem baccis non siccatis, & continuò expressis. Id uerò ad multa est utile. Sed hæc de myrteto satis.

PLATANETVM.

Tantùm platani descriptionem nostro Arbusto subiungemus, quando in syluam adeò eleganter non cadit: nam umbræ & opacitatis gratia potius conserebatur apud antiquos, quàm ut in syluis frequēs esset: amat enim rigua loca & fonticulos sibi uicinos. Quapropter Platanetum hoc loco data opera confinximus, etsi uix reperiatur: tum ut ordinem nostrum liberè prosequeremur, tum etiam magis, ne id in Arbusto prætermitteremus, quod post hortos in ipsis seminariis uenustissimum & amœnissimum esse solet. Is enim antiquis mos fuit, in arbusto

medio, quod uepribus & dumetis circunseptum esset, fonticulum ductilem adornare, quem ambiret platanus opere topiario composita: concamerato, umbræ gratia, ramorum sinu capaci, largè numerosum uerticem extendente: ut & epulari per æstum, & confabulari, uel (animi causa) auram captare complures possent, omni æstu securi. Vnde Cicero dialogum de oratore, commodè exordiens, umbram platani fonticulo riguam plurimùm laudat: circa quam, in arbusto, sedes erant eleganter dispositæ, & puluinis adornatæ, ut confabulantes quietius aura liberiori fruerentur. Admonuit (inquit) me hæc tua platanus, quæ non minus ad opacandum hunc locum patulis est diffusa ramis, quàm illa, cuius umbram secutus est Socrates, quæ mihi uidetur, non tam ipsa aquula quæ describitur, quàm Platonis oratione creuisse. Certè Basileæ memini me uidisse in area diuo Petro sacra, atque adeò in medio arbusto, elegantissimam & admodum patulam platanum, arte topiaria, tribus, & amplius tabulatis cõpositam, sub qua ductilis esset fonticulus, grato murmure considentes oblectans: atque illuc populus, per æstum, umbræ & oblectationis gratia confluit. Excipit enim platanus illa centurias, & per æstus undicat à calore optantes imbrium per folia crepitus.

PLATANVS igitur, tam Græcis quàm Latinis nomen retinet, à foliorum & umbræ latitudine: propria appellatione apud nos caret: quanquam etiam in Gallia conspiciatur, omnibus inusitatam arboris speciem demirantibus, & nomen eius ac naturam ignorantibus: cubitorum sexdecim proceritatem æquat: cortice crasso, fronde uitigínea: longo, rubróque pediculo: flosculo pallido: pilulis scabris, lanuginosis, minutis: uinax arbor, rigua plu-

rimùm amans, & uno irrigari gaudet.

Sunt & pumilæ platani, chamæplatani uocatæ, coactæ breuitatis: arborum enim abortus etiam inueniuntur. Hæc ergo in genere pumilionum infœlicitas dicitur. Id uerò genere serendi & recidendi fit, ratione inuenta sub Augusto Cæsare, quemadmodũ nemora tonderentur.

Sed quemadmodum una sententia atque adeò sermo unus, semper alium trahit (nunquam enim deest quod dicamus) priusquam arbustum nostrum claudatur, commodum est sub platano, ornatus gratia, fonticulum describere, & herbas fontibus familiares breuiter adnotare. siquidem hic locus commodus ad hanc rem nobis uidetur. Inde uerò, Arbustum dumetis & spinis (quæ uiuæ appellantur) claudere conabimur.

Fonticulus.

EST (inquit Plinius) Athenis, in Lycio, platanus arbor clara, socia gelidi fontis amœnitate. Ea nos monet sententia, ut hoc loco fonticulum describamus, sub platano exilientem, quemadmodum etiam in Creta insula ad Cortinnam, alia platanus fuisse fertur, apud fontem egregij nominis: quæ folia hyeme non amitteret: sub qua à Ioue compressam Europen fabulantur indigenæ.

Itaque fons quid sit, item etiam scaturigo, gurges, stagnum, uortex, puteus, aqua, & huiusmodi uocabula, latius explicuisse uisus est Stephanus Doletus in libello quẽ conscripsit De re nauali, quàm ut adhuc nostram operam desyderet. Quapropter illuc adolescentuli recurrite:

totus enim libellus elegantissimè, mea sententia, descriptus, scatet huiusmodi uocabulorum interpretationibus. Solùm hoc adiiciemus, fonticulum amœnitatis causa nos interdum latius appellare, non tantùm aquam mota humo in aliquo loco emanantem, sed etiam ductam per canales ex ipso fonte, atque adeò scaturigine, in eum quem uelimus locum, aut amœnitatis, aut etiam commoditatis gratia: quemadmodum in plerisque hortis quotidie fieri uidemus. Hoc autem loco, profectò fonticulum appellabimus, aquam nonnunquam sua sponte, nonnunquam ob delicias effossa humo prorumpentem, haud longè tamen diffusam, & quæ uix aut nunquam in fluuios degenerat: quod fontes propria appellatione dicti facilè solent. Cæterum ut rarissimè circa eos fontes, qui ferè semper ex rupibus, aut montium uallibus uasto gurgite atque impetu prorumpunt, uel minimam herbam uideas succrescere: ita sanè circa fonticulos, quos hîc tibi depingimus, plurimas herbas conspicias, nullo prætereà loco pullulantes: de quibus nunc est nobis agendum: harum enim gratia fonticulum instituimus.

HERBAE FONTIBVS ADNASCENTES.

Incipiemus à muscо qui marginibus fontium & aspergnosis saxis præcipuè hæret: etsi iure herba dici non debeat, unde muscosi fontes appellati: bryon Græci uocant & splanchnon, nostri Mousse.

Bryon etiam in mari uel maritimis palustribus nascitur, quod ideo bryon thalassion Græci dicunt, hærétque saxis, pumicibus, scopulis, tæstisque terræ cõprehensis: al-

gam Latini uocant, Veneti De l'arga. Muſcũ ærtè refert, cùm tamen iure muſcus dici non poſſit: eſt enim herba ſine dubio, haud ſecus atque ea quæ muſci nomen habet: in fontibus naſcens, quam hepaticam uulgus nominat, de qua mox diæmus. Creſcat alga ſine caule, radiæ quemadmodum muſcus: folio primo alio atque alio, poſtmodum herbido, plurimo atque puſillo, in rugas contracto, lactucam imitanti, quod uel leuiſſima maris agitatione ſupernatat, ut eius multa copia per tempeſtates circa ripam maris colligatur: unde Virgilius ulē & proiectam algam prouerbialiter appellauit.

Eſt & bryon arborum, hoc eſt æui cani arborum uilli, quales in ſeneſcentæ quercu maximè uidemus: unde Dioſcorides in cedro, quercu, populo, muſcum inueniri tradit, & interdum in picea, inquit Galenus: uulgus noſtrum eodem nomine appellat, quo muſcum fontium.

Eo etiam bryi uocabulo, intelligitur populi candidæ uua, circa Gnidum præcipuè optima, aut Cariam, in ſitientibus aſperiſque: poſt eam fœcunda eſt, quæ in Lycia è Cedro colligitur, ad unguenta pertinens.

Muſcus quoque in floribus id dici conſueuit, quod in quibuſdam herbis aut fruticibus uiſitur, nempe ueluti quædam uilloſa floſculorum congeries quæ conferta ſit, denſáque floreſcat, ut in liguſtro, roſa, & huiuſmodi pluribus.

Bryon præterea, dicitur herba, quæ ueluti muſcus fontium, rorulentis petris adhæret: unico caule, folio ſingulari, lato, craſſo, ſucci pleno, iecinorũ fibris ſimili: unde iecoraria & hepatica uulgò dicta: Italis Figadella: Græcis etiam lychen, quòd impetiginibus medeatur, quas illi lychenas uocant.

NASTVRTIVM *propriè acceptum, id est, quod uulgus nostrũ uocat* Cresson Alenois, Cresson de iardins: *de quo in* Hortulo *nostro fusissime: assurgit sesquipedalibus caliculis, longè statim ab radice, minutorũ foliorum pediculo, floribus albis, semine per ramorum latera copioso, firmo, caliculis orbicularibus cõtento, acri sapore.*

Nasturtium autem aquaticum, quod uocant officinæ, uulgus uerò, Cresson de Caillay: *certè est antiquorũ sisymbrium, cognomento cardamine, quasi nasturcanum ita cognominatum, quòd nasturtium sapore uideatur imitari, id est, quod* Plinius *syluestre sisymbrium appellat, atque in riguis nascitur. Cuius descriptio ex nostro* Ruellio *talis est: Caule prosilit cauo, sesquipedali, ima sui parte, pluribus radicularum fibris subinde capillato, è cuius alarum cauis, cirri frequentes sinuatim erumpunt, candidulo flore. Ramuli in aquis, cùm insenuerunt, etiam candicantibus capillamentis articulatim cõfibrãtur, quæ seniles canos aliquatenus repræsentant.*

Atqui SISYMBRIVM, *propriè appellatum ab eleganti corollarum uenere, id esse putauerim, quod uulgus nostrum mentam aquaticam & tymbream, seplasiarij balsamitam appellant: folio enim est mentæ, serrato, nigriore, & paulò rotundiore: quadrato caule, quadantenus purpurascente: floscul is internodia geniculatim coronantibus, uerticillato semper ambitu: reliqua mẽtam æmulatur: sed odorem acriusculum ubrat, qua dote coronis inseritur æstiuus: riguos tractus plerunque sequitur, & fonticulos amat.*

SION, *quod Latini* Lauer *appellant, nostri* De la Berle: *in fonticulis & profluentibus aquis sponte nascitur, frutiæ pusillo, habitu subrecto, pinguique: latis ac lu-*

xuriantibus foliis, olusatro similibus, minoribus tantùm, odoratísq;. de qua plura nõ addemus: satis enim in Hortulo nostro descripta est.

Anagallis etiam fontibus innasci solet: tamen quia in uinetis itidem crescit, de ea in Vineto diximus.

Portulacam item aquaticam unà cum hortensi portulaca, in Hortulo descripsimus.

POLYGONON fœmina, uulgo pinus aquatica dicta, Latinis seminalis: paruus frutex est, uno caule arundini simili assurgens: densis geniculis in se tubarũ modo fartis, tuberibus articulorum prominulis, quos folia frondibus piceæ similia, in orbem cõnuestiunt, radicæ superuacua. nascitur in aquosis & fontibus: de alia autem polygono, in semitis agrorum diximus.

FONTALEM herbam Latini uocarunt, quam Græci potamogeton: hoc à fluuiis, illo à fontibus deriuato nomine: folia habet betæ, sed minora, super aquam expansa.

STRATIOTES potamios, hoc est fluuiatilis militaria, plerunque etiam fonticulis supernatat, radicæ nulla, simulis aizoo, nisi maiora habet folia. De stratiote chyliophyllo in Agro diximus.

HYDROPIPERI, hoc est aquatile piper, secus fonticulos & stagnãtes aquas, quæ pigro lapsu repũt, gignitur: uulgo Curaige appellata: quòd ea siquis podicẽ fricet, iuxta aquas secessurus, dolorem maximum sentiat & ampullas. Caulem edit geniculatum, robustum, multis alis cõcauum: folia mentæ maiora, candidiora, teneriora, gustu piperis amaro, citra ullam odoris gratiam. Fructum gerit in ramulis, secundum folia, acrem, cõtinenti acinorum serie cõgestum, uuæ modo.

De persicaria & lysimachio, in Prato diximus: non enim tam sunt fontales, quàm pratenses herbæ.

SILER aquaticum, uulgus uocat herbam in fonticulis interdum sucrescentem, quam phellādrion antiquorum esse Ruellius contendit: frequens in riguis & palustribus inuenitur, apij folio, sed aliquanto maiore: caule cubitali, comoso, supernè muscario: floribus luteolis, radice crassa, sublutea, capillamentis maioribus fibrata. id esse puto, quod Virgilius molle siler appellauit. De alio autem silere in sylua & colliculo diæmus.

Onobrichis circa fontes etiam nascitur, lentis folia habens paulò longiora, caulem sempedalis altitudinis, florem rubētem, radices exiguas. dilutis multisque etiam locis prouenit.

TVSSILAGO Latinis dicta, quemadmodum Græcis bechion, à sedanda tussi: nascitur in amœnis, secus fontes præcipué. Ea est quam seplasiarij ungulam caballinam, Arabes farfaron, uulgus nostrum uocat Pas d'Asne, à foliorum similitudine: nam ei caballinæ ungulæ, folia emicant sena aut septena ab una radice: maiuscula quàm hæderæ, supernè uirentia, à terra subalbida, in plures angulos exeuntia: caulis palmum altus: flores lutei, quibus in uere confestim exuitur: radix tenuis, superuacua.

ADIANTVM à Græcis dictum, quasi non madescens, quòd semper siccum inueniatur, etiam si aqua merseris, aut si quidē madescat, celerrime siccatur: nostri cum Theodoro capillum Veneris appellant. umbrosas petras, parietúmque ac fontium aspergines amat, & saxa manantia. duorum est generum, album & nigrum. Album (quod etiam ebenotriches dicitur, quia folia gerat

capillis ebeni similia) in Montepessulano plerunque reperitur: cuius loco pharmacopolæ nostri utuntur ea herba quam saluiam uitam appellant, in ueteribus parietibus frequentem. Nigrum autem adiantum, pedali consurgit procritate, folio mollissimo, paruo, coriandri diuisura, filicis effigie, aduersis pediculis, capillaceum ramulum utrinque circundantibus: colore ex uiridi nigricante: sterilis, & flore seminéque uidua, radice ferè nulla.

TRICHOMANES à capilli luxuria dicta Græcis, eisdem in locis nascitur quibus adianton: politrichon uulgo cum Græcis appellata, Du Palitry. coliculis est iunceis, quincuncialibus, statim penè à radice foliatis, fronde rotunda, lenticulæ forma, aduersis inter se pediculis subfusca, sine flore, sine semine.

Claudamus iam Arbustum nostrum spinis & uirgultis, aut septo undiq; uestito uepribus & dumetis, unde spinetum aut uepretum possimus appellare.

Spinetum.

DIXIMVS in Hortulo, cùm sepem uiuam describeremus, de quibusdam spinis, atq; adeò fruticibus, quibus horti frequentissime sepiuntur: nunc reliquas nobis hîc explicare oportet, in Arbusti clausura, ab iis quæ frequentes sunt & admodum uulgares.

Itaque quid batos, cynosbatos, chamæbatos, cynosrhodos, rubus Idæus, rhamnus, oxyacanthos, ligustrum, matiana, ex Hortulo nostro requirito.

Nemini dubium est, acanthum Græcis, propriè spinam dici, quemadmodum acăthium spinulam, sed trăs-

latitiè etiam id nomen mutuatas herbas, quas in Hortulo descripsimus: quarum altera, acantha, uulgo brancha ursina: altera acãthion, uulgo cardonetus dicitur. Cæterum compositæ ab acantha etiam aliæ spinæ inueniuntur, claudendis arbustis utiles: quarum unam in hortulo notauimus, nempe oxyacantham: alias necesse est nos hoc loco subiungere.

ACANTHA leuca, siue leucacantha, hoc est, alba spina, seplasiariis bedegar, folia fert chamæleonis albi, angustiora, candidioráque, subhirsuta, spinis infesta: caulem binos cubitos excædentem, crassitudine pollicari, uel eo ampliore, subalbidum & inanem. Vertici summo echinus insidet, marini non absimilis, oblongior tantum & minor: floribus purpureis, in quibus semen cnici forma, rotundiusculum, nostratibus minus est cognita.

Quam autem uulgus nostrum uocat albam spinam, Aulbespine, certè frutex est aculeatus, pruni magnitudine, cortice ligni candido, molli folio, flore albo, odorato, acinis, cùm pubescunt, uiridibus: ubi per maturitatem inoleuerunt, rubris, myrti specie, lineo intus nucleolo. Eos acinos uulgo appellari audiuimus, Des Senelles.

TRAGACANTHA, quam hircinam spinam Theodorus interpretatur, frutex est spinæ candidæ non dissimilis: surculis humilibus, robustis, latè se diffundentibus, inter quos frequens coma, sed breuis, cæcis spinis intercurrentibus horrida, quæ sua fronde contegantur, & candidæ ualentésque rigescant: radicæ lata, surculosa, supra terram emergentes: qua discissa, stillat è uulnere succus, qui coalescit in lachrymam. Spina hæc nostris incognita: lachrymam tamen officinæ norunt, interpollato nomine, Dragaganthum gummi nunc appellantes.

PIXACANTHVS, hoc est buxea spina, sentis est uirgis habens subrectas, tricubitales, aut eo etiã ampliores, protinus ab radice multas, rubóque crassiores: cortex absædens, cruentus: radix lata, lignosa, buxei cõloris (inquit Plinius) qua in aqua tum semine cõtusa in æreo uase fit medicamentum quod uocatur lycion.

Lycion autem, Dioscorides pixacanthon appellat: quoniam in Lycia frequens esset, aítque armatam esse aculeis arborem, ramis trium cubitorum aut maioribus: quibus folia densa buxo similia: fructus piperis, niger, amarulentus, læuis, densus: cortex pallidus, radix multiplex, obliqua, lignosa. Tu uerò lector ex his elicito quod uoles: nobis enim est huiusmodi spina infrequens & ignota.

Anonis, quæ etiam spina alba cognominata est, uulgo Resta bouis dicta, in Agro descripta est: nascitur enim cul to solo, pingui, & glutinoso, præcipuè in segetibus.

POTERION spina, tragacantham imitatur: largè enim frutícat, ramulis longis, mollibus, lentis, tenuibus, tragacanthæ proximis: foliis gracilibus, paruis, rotundis, cortice tenui, spissa lanugine uestito, spinis horrido: floribus herbacei coloris, longis: semine odorati gustus, acri, sed inofficioso: radices agit in altitudinem binum ternúmue cubitorum, firmas, neruosas, quibus proxime terram mcisis, lachrymam profundit è uulnere, gummi simulem. Eam spinam Galenus neurada appellauit, quòd tusa, præcisis neruis medeatur.

ARIANA spina, ab Aria regione Indis cõterminа dicitur, tota aculeis horret, ex qua lachryma destillat myrrhæ simulis, tum usu, tum etiam olfactu. Cæterum nobis ignota.

ARABICA *spina, quæ* AEgyptia *&* Syria *dicitur, Dioscoridi spinæ albæ similis esse creditur. Arbor tota, præterquam caudicæ, spinis horret, foliis & germinibus aculeatis, magnitudine spectanda, cuius flos ob elegantiã nectitur in coronas: fructum fert in siliqua lupino similem: semen lenticulæ refert imaginem. Ex ea sua sponte gummi profluit. Galenus duo eius spinæ genera facit, candidum & nigrum.*

SPINAM *æruinam Itali uulgo uocant, thamni quoddã genus, quod nos uulgo appellamus* Du Verprun *uel* Bourgespine. *Cortex frutici uel arbori subniger & nitidus quasi æraso, intus uirẽs, pòst luteus: lignũ extra candidum, cuius interior medulla rubet, eo ualidos arcus fabricant, fructum gerit myrti, foris nigrum, intus uiridẽ, ob id ad colorem eum, pingentibus idoneum.*

APPENDIX *spina Plinio dicitur: quoniam bacæ in ea rutilo colore pendeant, appendicésque uocentur. hanc inter arbuscalas pixacanthæ & paliuro coniungit Plinius, utpotè cui cum illis quædam germanitas interædat. An autem frutex ille spinosus, quo uuæ sæpes conserunt, appendix spina dicatur, non ausim asseuerare: quanuis in ea bacæ rutilo colore pendeant, & ob id appendices ueteribus nominentur.*

PALIVRVS *Dioscoridi, frutex est uulgaris notitiæ, aculeis frequens, & ramis spinosus, ueluti rubus, durúsque: cui semen pingue & fuliginosum, quod Afri zuram uocant, plurimus est in Africa.*

Apud nos (inquit Ruellius) *paucis antea annis, frutex inuenitur, qui etiam arboreſcere possit, folio per ambitũ laciniatim rotundo, molli, ramis modo spini (quem album cognominant) aculeatis: bacis rotundis, rubris,*

myrteis, longè maioribus, gustu iucundo, qui & uinum suauitate sua commendet. Qui colunt in hortis, ueluti alienigenam arborem, myrobalanum appellant. Putat autem esse Ruellius paliurum Africanam, eam præsertim, quæ non siliquetur.

Est & apud nos fruticis genus, quo sepes tam uiuas quàm structiles rustica stipant: qui, foliorum uice, spinarum armatur uallo, florémque luteũ gerit, siliquam breuem, in qua pauca semina, lata, clauduntur: rura nostra iuncum marium uocant, Du Ioncmarin.

SILYBON, spina est lata, foliis chamæleonti candidæ similibus: quæ recens nata coquitur, & cum oleo ac sale manditur.

Sylua.

SYLVAM VOCABIMVS, satum arborum procerarum, tum ad materiam, tum etiam ad apros alendos & sues saginandos factum, Græci ὕλην uocant: quo uocabulo tam ipsam materiam, quàm etiam locum in quo crescit ac cæditur, intelligunt, Foreſt ou bois de haulte fuſtaye.

Syluam cæduam appellant Varro, quæ tum ad usum domesticũ singulis annis, tum etiã ad ædificia quolibet quinquennio cædebatur, & in eos usus seri atque excoli solebat, quemadmodum hodie quoq; fit apud nos. Alio loco (inquit) ut seras & colas syluam cæduam: alio ubi aucupêre. Vnde serere & colere syluam, Planter ou ſemer vne terre en bois, & entretenir vn bois. *item Cædere syluam*, Tailler ou coupper vn bois, *recte di-*

æmus & eleganter. Itaque etiam ſylua cædua dicetur uulgò, Vn Tailliz.

Sylua glandaria Catoni libro primo dicta Vn bois a gland ou glanderaye: nempe quæ (quemadmodũ iam diximus) animalium alendorum gratia ſeritur, uel ad glandẽ producendã: nam ea potiſſimum arboribus glandiferis ſata eſt ad paſcua, quæ uulgus uocat La paiſſon. hinc mittere porcos ad paſcua dicemus: Mettre les porceaux a la paiſſon. quod præcipuè ad Calendas Octobreis fieri apud nos ſolet, cùm maxime glãdes maturæ ex arboribus ſua ſponte decidunt: id autem eſt quod uulgus noſtrum appellat glandem cõlligere, Cueillir le gland. nempe dum porci ab Octobri ad Decembrem, per ſyluas, glande ſaginantur, ſtatuto ob id præmio iis ad quos ſyluæ attinent.

Conſeminea autem ſylua appellabatur, quæ multis arborũ ſeminibus ac uariis generibus cõſita erat, quam eandem barbaricam ſyluam uocat Columella lib. 11. cap. 2. Bois ſemé ou planté de diuerſes ſortes d'arbres.

Quæ porrò ſylua uno tantùm ſeminum genere ſerebatur, ea quidem ab arboris genere, quo ſata erat, nomen retinebat: appellabant enim antiqui ulmariũ, ulmorum ſeminarium. Vne ormaye. Plinius lib. 7. cap. 11. Sic & cupreſſetum dixit Cicero primo de legibus, Bois planté de Cypres. item etiam querætum, Vne Cheſnaye. Varro primo de re ruſtica, Si enim ad limitem querætũ habet, non poſſes rectè ſecundum eam ſyluam ſerere oleam.

Syluula uerò dicetur uel inculta ſylua, & in qua paucæ ſuperſunt arbores, uel ſylua quæ paruum ſoli aut terreni tractum cõtinebit. Vn bocquet. Sunt (inquit Columella) quibus cordi eſt, uel in ſyluulis tamaricum aut

sirporum frutetis immorari: Buisson.

Saltus, *latiori quadam significatione syluam cõplectitur, sed quæ intermedia pascua cõtineat, & interdũ etiam cæsas, in quibus tum saltuarij, quos uulgus uocat* Gardes de bois: *tum etiam pascuarij habitãt,* Gardes de bestail. Vnde Virgil. *Saltus uacuos dixit, tertio Georg. & Pyrenæos saltus Cæsar primo belli ciuilis appellauit tractum in Pyrenæis montibus (qui Hispanias ab Italiis diuidunt) syluosum, & in quo plus syluarum esset, quàm uel camporum uel pascuorum.*

Nemus, *ex etymo, syluã significat amœnam, uel amœnitatis gratia cõsitam, quæ etiam partim oblectationis, partim pascuorum causa excolitur,* ἀπὸ τῦ νέμω, *pasco:* Bois de plaisance, ou parc en bois. Vnde Virgil. *Didonem & AEneam in nemus oblectationis gratia sęæssisse finxit libro 6. AEneidos.*

Quemadmodum autem amœnitatis gratia nemus cõserebatur, *ita etiã antiquis lucus religionis ergò cõsitus erat: illic enim solebant sacra noctu facere, in honorẽ Dianæ uel alicuius demortui luctum. in lucis etiam demortuorum tumulos erigere solebãt, qui arborum opaca densitate diutissime seruarentur.* Vnde nemini licebat arborũ ramos, nedũ ipsas arbores, à luco eximere: quapropter opacus erat & admodũ obscurus, quòd non esset cæduus. Hinc etiam tractum nomen, quòd in luco fas non esset lucare uel cõllucare arbores: uel quòd in eo non æquè lucæret atque in aliis syluis. Virg.

Nulli certa domus, lucis habitamus opacis.

Sed iã relicta uocabulorũ interpretatione, ad arborũ genera quæ in sylua cõseri solẽt ueniendũ: ac primùm de glandiũ generibus, post hæc autẽ de glãdiferis arboribus dicamus.

GLANDES.

Glandis uocabulum interdum latius patet (inquit Caius iureconsultus) & sub sua significatione, omnes fructus continet: exemplo Græci sermonis, apud quos omnes arborum species ἀκρόδρυα appellãtur, cùm alioqui propriè turiones, & summitates arborũ significent. Interdum strictius sumitur glandis appellatio, & fructum quercinum tantum significat, quemadmodum apud nos uulgò, Du glãd. Propriè autẽ si intelligamus, glãdẽ (quã Græci balanũ uocant) ærtè accipiemus pro fructu quem quercus, robur, æsculus, fagus, ærrus, ilex, & suber ferunt, hispido calyce per genera plus minúsue cõplectente. Quarum omnium differentiæ priores sumuntur à sexu, situ, & sapore: aliæ à magnitudine & cutis tenuitate, item etiam figura, quæ aliis rotunda, aliis ouata, aliis acutior est: præterea à calore candido uel nigriore: quin & pediculi breuitas procéritásque differentiam adfert glandibus: de quibus uberius in arborum descriptione tractabimus.

Glandibus arborum ueteres uictitasse, & opes fuisse multarum gentium alta etiam pace fruẽtium, nihil est quod lõgiori sermone recenseamus: unde etiam Palladius de glãdium collectione & asseruandarũ cura meminit, id autem per autumnum fiebat: quod opus fœmineis & puerilibus operis celebrabatur facilè, more bacarũ. atq; hinc lege duodecim tabularum cautum erat, ut glandem in alienum fundum procidentem licæret colligere. Quinetiã cùm annonæ premeret inopia, proditũ est arefactas glãdes, ac deinde in farinam molitas, ad panis usum uenisse. Certè memini nostros Gallos cãpanos Pertosienses, plurimum appetere faginas glandes, & iis æu delicatiori

quodam cibo uictitare solere: est enim omnium dulcissima, qua etiam obsessos milites, in multos dies durasse tradunt historiæ. Ea apud Hispanos secundis mensis apponitur. Alias glandes nonnulli in cinere tostas edunt. Cæterum glandium calycibus & corticibus (si sic appellare mauis) aut etiam ipsis exsiccatis integris, præsertim immitioribus (ut cerreis) antiqui (inquit Suidas) solebant igni alimenta præbere. Quarũ quia plurimus usus erat in balneis, ideo balneũ Græci βαλανεῖον appellarũt ὥσπερ τὸ τὰς βαλάνους αὔειν: hoc est, à succendẽdis balanis, ut uel pars pro toto accipiatur, uel etiam tota glans significetur.

Quãtum autem ad reliquam glandiũ significationem spectat, cursim subnectemus Theophrastum lib. 5. cap. 15. glandes à forma, testacea animalcula appellare, quæ in rimis cauernisque saxorum generantur, augentúrque incremento admodum celeri.

Glandes igitur, prædictarũ arborum fructus præcipua quadã significatione dicuntur, quanquã & fructus castaneæ arboris, Græcis Ιουις glãs appelletur: de qua in seminario diximus. Quinetiam fructui arboris myricæ similis, in AEthiopia, Thebaide & Arabia nascentis, inquit Dioscorides, Græci balani myrepsicæ nomen dederunt, hoc est, glandis unguentariæ, quòd eius putamine institores unguentarij uti soleant odoris gratia. Plinius myrobalanum appellat.

Cæterum etiã balanos Theophrasto dicitur arbor, à fructu nomen trahẽs: grandis, incorrupta, & magna, consurgens folio myrti, longiore tantum caudiæ carnoso, non recto, sed contorto: fructum ferens magnitudine cappari simulem, cuius putamine contuso unguentarij solent uti odoris gratia: alioqui nuclei fructuum sunt inutiles. ma-

teries arboris robusta, usu præcipuè nauali in Arabia nascens. Itaq; (inquit doctissimus noster Ruellius) multum à ueritate deficere uidētur, qui nucem odoratam, quam uulgus uocat moschatam, Græci moschocaryon, Noix muguette, hac glāde unguentaria comprehendi putent, longe profectò differētem, & uetēribus, ut existimo, non admodum cognitam, cùm multum interfit inter nucem odoratam & glandem unguentariam, quemadmodum in Seminario uberrime docuimus.

MYROBALANI.

Myrobalanus itaque, quam Plinius uocauit, uel balanus myrepsica, hoc est unguentaria glans, fructus erit arboris quam quidā adipson, quòd sitim sedet, alij palmam AEgyptiam, Theophrastus balanum uocat. Glans est magnitudine & aspectu cupparis, aut nuci potius auellanæ similis. Quando autem multa sunt huius genera, non erit inutile paucis ea recensere ex Ruellio: ac primum de antiquorum generibus dicemus.

Myrobalanum Arabicam, quam etiā Syriacam uocarunt, antiqui bonitate olei quod exprimitur, aliis præposuerunt. Ea autem est duplex: montosa, uiridis, tenuis, ac spissior petræa, nigro cortice, nucleo candido.

Myrobalanus Thebaica, ab iisdem antiquis existimata est, copia olei cæteras antecellere.

Troglodytica myrobalanus omnium apud antiquos uilissima fuit.

AEthiopicam myrobalanum sunt qui superioribus præferant, nascentem in agrestibus. Est autem ea glans nigra, nec pinguis, nucleo gracili, sed liquore, qui exprimitur, odoratiori.

AEgyptia myrobalanus, pinguior, crassiorî cortice rubet, & quanuis in palustribus exiliat, breuior tamen sicciórque est.

Antiquitas hoc genere myrobalanorum contenta fuit, de quibus sic inquit Actuarius author Græcus: Fructus (ait) ij nobiles plærisque ad nos ex AEgypto, Syriáq; deportantur: callo corporis compactili, osse intus lignoso: quorum nonnullos uocant flauos, alios cepulos: quidam magnos malũt appellare, alios nigros, ij communi omnium sermone myrobalani nomine uenuunt: quod nomen uulgus nostrum inuersum ac corruptum uocat myrabolani, Des myrabolans.

Posteritas, atque adeò ætas nostra myrobalanorum genera sic distinxit.

Myrobalanos luteas uocat, quæ ex herbaceo colore flaueſcunt: spissæ quidem eæ, ponderosæ, exili nucleo, cute crassa.

Myrobalanos alias à colore cæruleo Indas uulgus appellauit, quæ sunt solidæ, sine nucleis, oliuæ forma: eæ autem nigræ à quibusdam, & à recentiore Græcia Damasoniæ nominantur.

Myrobalani, quas uulgus cepulas uocat, cæteris ampliores sunt, grauioréſque, carnosæ, & ex fusco ruffescentes.

Myrobalani empeliticæ, siue emblicæ appellatæ, sunt cutæ ossibus hærentes, lapillorum penè figura, angusta, colore in cinerem languente.

Myrobalani boletzicæ dictæ, eadẽ quasi forma spectantur qua empeliticæ, non adnumerãtur tamen cum iis, sed seorsum positæ sunt.

Hæc in studiosorũ gratiam breuiter perstrinximus;

ne quid eorum quæ cognitu dignissima erãt (quanquam fortassis altiora, quàm ut adolescentulis nostris proponi debeant) paulò negligentius prætermisisse uideremur. Veniamus ad gallas & pilulas.

GALLAE, PILVLAE, AMENTA.

Gallæ quæ à Græcis κηκίδες uocantur, à nostris uulgò Noix de Galle. minus communem habent significationem quàm pilulæ. Sunt enim arborum tantum glandiferarum, pilulæ etiam aliarum, atque adeò fruticum, quemadmodum mox interpretabimur. Itaque omnes arbores quæ glandẽ ferunt, gallam etiam producunt, quã inter fructus Dioscorides ausus est connumerare.

Est autem galla, pilula, inæquali superficie, leuis, salebrosa, præter legitimum fructũ in glãdiferis arboribus prouenieus: præsertim Martij exitu, uel sole de geminis exeunte: atque id noctu præsertim, crescitq; uno die, & si occupetur æstu (inquit Theophrastus) protinus arescit, neque ad iustum modum grandescit, ut nuclei fabæ magnitudinem non excedat: præter resinaceam tamen, quæ & nigra dicitur, de qua mox agemus.

Multiplices sunt gallarum differentiæ: aliæ enim solidæ sunt, aliæ perforatæ, quædã nigræ, quædã cãdidæ, aliæ maiores, aliæ minores. Harũ autem usus est uulgo in omnis generis atramenti confectione, siue id sutorium, siue scriptorium, siue impressorium fuerit.

Galla solida, quæ & omphacitis Dioscoridi appellatur, parua est, nodosa, põdere ualens, nullo foramine pertusa.

Galla perforata, leuis est admodum, & plana, hoc est, nullis nodis glabra.

Gallas eas quæ fungosæ & flauæ grandescunt, à rusticis uocari onocradas prodidit Galenus, quasi asininas, quòd ignauæ sint, & omnium minus efficaces.

Galla quæ candida est, coriis perficiendis utilis: ea est quæ uno die crescit, arescitque protinus feruenti æstu, nec iustam implet magnitudinem, sed intra fabæ capacitatem subsistit.

Galla nigra, ea est, quæ & resinosa & resinacea dicitur: diutius uiret, crescitq; interdum ad mali magnitudinem. Ea tingendis coriis aptissima est, flagrat sine oleo, & si cauernulis transluceat, munus bona iudicatur.

PILVLAE, & gallas, & quas Græci cachryas uocant (nonnulli amenta) & interdum etiã paniculas, comprehendunt. Sunt que peculiaria quædã parturientis arboris indicia, quæ nec fructum nec florem propriè dixeris: crescunt potissimum hyeme, uere autem dehiscunt in flauescentes squamulas, & prodeunte folio caducæ pereunt: cuiusmodi uides in abiete: pilulam enim fert, quæ nucleum continet, qui hyeme quidem crescit, uere aperitur: pilula tota cadit, cùm folia cœperunt crescere.

Varij autem generis sunt pilulæ in glandiferis arboribus. Sunt enim quædam nucibus haud absimules, intus habentes floccules molles, luernarum luminibus aptos, qui & probè gallæ nigræ modo florent: Græci huiusmodi pilulam pylon uocant.

Est & alia cũ Capillo comigera pilula, uerno tẽpore melliginum succum tum gustu tum etiam tactu præbens.

Gignunt & alæ ramorũ quercus pilulas sine pediculo sessiles, parte concaua adhærentes, uersicolores, quæ pro-

minentes quosdam umbilicos uel candicantes, uel dispersa nigrarum macularum uarietate notatos præmonstrent, mediis partibus colore cocci rutilantibus: quibus apertis, putris manitas ærnitur, aliquando pumicæs.

Gignunt etiam è foliis prædictæ arbores (sed rariusculè) conuolutas pilulas quasdam, compressas, & oblongas, foliorum tergo adhærentes, aquosis intus bullis candicantes, quæ muscas creant: eæ dum matureſcunt, tandem in gallas occaleſcentes durantur.

Hæc autem deſcriptioni glandiferarum arborum præposuimus, tanquam neceſſaria quæ primùm intelligerentur, cùm alioqui poſtponi æu ipſarum arborum fructus debuiſſe quiſquam iudicauerit. Sed quia inter deſcribendum fieri non potest, quin hæc uocabula ſemper incidant: idcirco cognitionem glandium, gallarum & pilularum, dignam eſſe duximus quæ arborum glandiferarum deſcriptioni præponeretur.

ARBORES GLANDIFERAE.

Arbores glandiferas Plinius lib. 16. negat una uoce comprehendi poſſe Latino ſermone, quemadmodũ Græco uocabulo δρῦς, & antiqua uoce Saron, à qua Saronianus ſinus, & Saron in Arcadia nemus trans Ladonem fluuium. Sanè Græci dryos uocabulo, omne lignum ſignificant. Vnde gerandryon pro ueteri & ambuſta quacunque arbore, quaſi uetus ramale.

Robor antiquis, recentioribus robur, generale quoddam uocabulum eſt Theodoro Gazæ glandiferarum arborum. quæ quia grandes eſſe ſolent, & admodum naſtæ ac procæræ, ideo factum ut Latini robur pro fortitudine tum animi, tum etiã corporis ſumpſerint: unde ro-

bur ætatis Ciceroni dictũ, pro cõsistenti & firma ac perfecta ætate: & robur accusationis, pro firmamẽto & argumento potiori. Itẽ etiã eidẽ robustus animus dictus, qui cõstanter, & infractis animi uiribus quæcũque pericula perfert: sic & res robusta uetustatæ, & malum robustum pro inueterato eidem authori dictum, quarum omnium locutionum exempla ex Thesauro linguæ latinæ tibi desumes.

Robur igitur (unde roboreus & roburneus adiectiua) quatuor glandiferarum arborũ genera potissimum complectitur. Nempe quercum, quæ Græcis hemeris dicitur: item robur propriè dictam, quam Græci dryon agrian uocãt: æsculum, Græcis platyphyllon dictam: & cerrum, quam Græci ægylopa appellant: de quibus arboribus, necesse est ut nunc agamus.

QVERCVS Festo dicta, quòd id genus arboris graue sit ac durum, etiã in ingentem euadat amplitudinem: Græcis hemeris appellata, quam aliqui placidam interpretãtur: alij mydion uocant: Roboris genus est, truncõ neque erecto, neque læui, neque excælso: sed caudicem in orbem comoso, contorto, sinuosóque: consurgit multis ramorum alis concaua: materie quidem robusta, sed quæ fago sit infirmior: glande omnium maxima & dulci, unde Macædones quæ dulcem glandem producat quercum, etymodryon appellarunt, quasi dicas ueriquercum.

De quercus auiditate crescendi, & quemadmodum etiam in planis nascatur, & in mari rubro, déque pertinaci eius odio cum olea & iuglande, & quo pacto per inoculationem bona pyra aliquando tulerit, usáque sit fronde perpetua crescere: multis item aliis huiusmodi rebus, parum (mea sententia) ad rem nostram facientibus,

tractabimus hoc loco: & ad meliorum authorum sententiam lectores remittemus, brevitatis causa.

A quercu deriuata (nam etiam hæc puerorum causa dicenda sunt) quernus & querneus, unde querna glans apud Virgilium, Gland de chesne: & frons quernea apud Columellam, Rameau de chesne: item querceus & quercicus, ut quercea corona quæ ciuibus dabatur qui uicerant in bello, apud Suetonium in Caligula: etiam quercica dicta Seruio: febris quoque querera siue querquera Gellio, grauis & magna appellata. querculana item porta fuit Romæ iuxta collem quercubus consitum, quæ eadem uiminalis dicebatur. Quercula præterea herba dicta, quæ & trissago Latinus & Græcis: chamædrys quasi humilis quercus, quòd folia gerat quercuum foliis simulia, breuiora tamen, De la germandree: & his simulia quæ tu ex dictionariis requires.

ROBVR Theophrasto, drys & drys agria dicta, quasi sylvestris quercus: licet pro cõmuni omnium glandiferarum genere sumatur: ea tamen propriè putatur esse quæ dicitur Chesne. Itali uocem ferè integram retinuere Rouore, nam quercum uocant quercia. Nostrum autem uulgus nullum inter quercum & robur uocabuli discrimen facit. Robur passim in sylvis spectatur, folio latebrarum anfractibus sinuosissimo, glande exigua, materie durissima. Hæc autem sola, præter fructum, gallam tum candidam, tum nigram gerit. Fert & quædam ueluti mora plerunque tauri caput imitantia: sed admodũ rarò: fert & hoc quod pilon appellant, superius in pilulis descriptum. Iam & aliud producit, effigiem colis repræsentans, quod quum fuerit perfectũ, tauri caput etiã imitatur, fructu intus nucleis oliuæ simili. Parit & aliã mu-

tilem pilulam cum capillo, item etiã quasdam alias uersicolores, à tergo foliorum hærentes, de quibus superius.

Taceo hoc loco de melle, quod Hesichius non aliis magis insidere frondibus, quàm roboreis tradidit : item de usco, quod in querneis frondibus nascitur omniũ optimum : uulgus nostrum uocat Guy de chesne, Ion poeta dryon hyphear, hoc est sudorem quercus: sui enim generis planta est fruticosa, sesquipedalis, lenta, semper uirẽs, grauis odoris, buxi folio, baccis exiguis, sine flore, tactu sequax, semper in arboribus nascens, præsertim quercu, robore, iliæ, pyro, maloque syluestribus, & terebyntho, nullis præterea aliis. Taceo etiã agaricum, quod ipsa quercus, quemadmodum aliæ glandiferæ arbores, promut. Est autem fungus cãdidus, odoratus, antidotis efficax, in summis arboribus nascens, nocte reluens, de quo tamen uberius in abietẽ: dicerem hîc de boletis qui circa quercuum radices nascũtur probatissimi, nouissima gulæ irritamenta, circa robora autem admodum noxij, sed hæc ut prolixiora, ita etiam parum à re nostra aliena uiderentur. Itaque ad æsculum ueniendum.

AESCVLVS, Græcis platyphyllos, quasi quercus latifolia dicta, quòd inter glandiferas arbores folij latitudine præstet, quanquam eandem non esse arborem æsculum & latifoliam uideatur Plinius annuere, cùm eodem in loco & æsculi & latifoliæ meminerit. Est autem robore proceritate & glãde inferior : galla, uisu quidem quernæ non dissimili, nisi quòd leuior est : folium gerit graue, carnosum, procerum, sinuosum latẽribus: autumno reddit fructum, si Virgilio credimus, & quantum corpore eminet, tantùm radiæ in terram descẽdit. Atque, ut in summa dicam, AEsculus, glandifera arbos esse cre-

ditur, cuius fructu primæ ætatis homines uescærentur, & ab esca nomen traxisse uolunt, quòd ante cærealem frugem & usum frumenti, mortalibus hæc arbos uictum subministraret: cùm tamen Theophrastus glandem illi amaram tribuat, quēadmodum lignum ædificiis inutilem dicit. ab æsculo æsculetum dictum, qui locus erat siue sylua æsculis cōsita, cuius cōserendi & excolēdi rationem uideto apud ueteres agriculturæ scriptores.

CERRVS, Græcis ægilops, roboris species est, populo similis, excælsissima, & incultis locis amica, caudiæ recto, excælso, læui, per longitudinem robustissimo: Materia alioqui improba, nec nisi ærariorum officinis carbone dotata: glans illi tristis, horrida, echinato calyce, castaneæ modo. Itaque à nullo præterquam à sue manditur, nec nisi aliarum inopia: sola è glandiferis arboribus fert panos arentes, muscoso uillo, cauos, non è cortice modò, uerùm è ramis dependentes, cubitali magnitudine, odoratos: sphagnon siue sphachnon & sphascon appellant AEoles: item etiam bryon: nostri penem: Syri uuam dæmonum. Theophrastus macædonicam cærrum asprida nominat: uulgus nostrum appellat Du hestre, quasi herrũ, c litera in aspirationem mutata: abdicatur quoque apud nos ædificiorum fabricis: ut quæ flexu & fractu infœlix habeatur.

HALIPHLOEOS, hoc est salsicortex, siue euthyphlœos recticortex, dicta est arbor glādiferarum pessima, cortice & caudice crassissimo, & plærunque cauato, fungoso'que. Sola corde caret, nec alia putrescit in eo genere, etiam dum uiuit. Quin & fulmine frequenter icitur, quanuis altitudine non excellat: ideo nunquam in sacrificiis ueniebat apud AEoles. Eadem ferè semper ste-

rilis, & cùm glandē tulerit, amara est, quam præter sues nullum attingit animal, ac ne eæ quidē, cùm aliud pabulum nanciscuntur. Materies eius ædificiis inutilis, atque etiam carboni, breui enim putrescit (inquit Theophrastus) & cōcaua inanisque redditur. Plura ex Ruellij uigiliis. Eam arborem memini me uidisse plurimam in uia Flaminia circa Vrbem, ut nulla arbor frequētior sit in ea parte: udebis autem putridas plerunque huiusmodi arbores, excauatas, tactus de cælo: nullo præterea usui præterquam ad muliebres soleas, suberis uicæ.

FAGVS, Græcis φηγὸς dicta, ἀπὸ τῦ φαγεῖν, quòd fagi glans edendo sit, unde prisci homines glandibus præcipuè fagineis uictitabant, uulgò Fau ou fauteau: sed & Græca dictio etiam Hippocrati fructum siue glandem faginam significat: quam uulgus nostrum uocat Faine. Inter glandiferas arbores (ut prius diximus) annumeratur fagus, tametsi fructus eius nihil habeat glandi simile: est enim nucleis haud absimilis, triangula cute inclusus, ut parte postrema utrinque lapidescat in duritiem. Cuius glandis mollitiē & delicatum usum superius iam descripsimus. Cæterum arbor ipsa, assurgit caudicæ crasso, & in orbem comoso, neque ita procero: materie scabra, firmissima, molli, putrefactioni obnoxia: folio tenui & leuissimo, populo simili, cælerrimè flauescente: & in cuius media plurimùm parte, paruula gignitur bacca uiridis fastigio aculeato. Hæc ex descriptione Ruellij. Proinde fagi cortex in magno usu apud ueteres fuit: eo enim uasa uindemiatoria, & corbes messoriæ fiebant: necnon gutti, & uasa quibus in sacris prolibabant fagino corticæ religionis ergò fieri solebant: unde Curius ille iurauit ex præda se nihil attigisse, præter guttum faginum

quo litaret. Hinc etiam pastor ille Virgilianus in Bucolicis, duo fagina pocula proponit arte Alcimedontis artificis ingeniosissimè fabricata & cælata.

Est alterius generis à superiore fagus, etiam fructum ferens: quam Græci oxyan (inquit Barbarus:) Lydi, myson uocant: Olympo eorum monte copiosam. Vnde Mysij populi dicti, ut Strabo inquit & Eustathius. Fructus eius, glandis effigie, leuis: includitur cauliculo echynato quidem, sed blando, nec hispido, ut in castanea: cui tamen similis est dulcedine & succo.

Nascitur & fagus altera in montibus, candida materie, quæ ad multa perutilis est: nempe ad carpenta, lectos, subsellia, mensas: eam esse puto, qua nos hodie in operibus architectonicis utimur.

Syluestrem fagum nostri (inquit Barbarus) scissimam appellant, quæ glandifera non est, similísque potius abieti. Nunquam ut Macedones arbitrantur, floret: sed erecta, læuis & enodis est: ligno colorato, robusto, neruoso: folio crasso, bifido, longiore, quàm pyrus, in extremitate aculeato: radicibus nec multis, nec altis. Ea fagus in lamnas est sectilis, unde ad carinas nauium ab antiquis commendabatur, ut author est Theophrastus, item ad plaustrorum testudinem, uectabulorúmque ulem fabricam.

Campestris fagus, nigra est materie, quapropter minus petita: Fructum habet montanæ simulem: durat in aquis incorrupta, madefactáque firmior redditur. Vtraque humidissima est: quamobrem ait Barbarus, lectulos qui ex iis fiunt incuruari, ædentes ponderi.

ILEX, Græcis πρίνος, unde πρίνινος Latinis ilicæus, uel ilignus, ut iliceæ trabes Statio sexto Thebaidos: & ili-

gnea frons, quam Columella libro undecimo bubus præbendam censet. Vulgus nostrum iliæm uocat Du houx ou houſſon: unde etiam iliætum Vne houſſaye.

Surgentem focus excipit superba
Vicini strue cultus iliæti (inquit Martialis.)

Glandifera arbor est, roboris magnitudine & folio, uerùm paulò minori, & pungentibus aculeis utrinque armato, cortice ac caudice leuiori, materia compacta ac robusta: glandoso fructu, sed pusillo: radiæ multiplici, in altum acta. Fert præter glãdem, granum quoddam puniceum, omnibus notum. Item etiam uiscum in ramis, ut reliquæ arbores glandiferæ: perpetua fronde uiret, & in iustam arborem prosilit, cùm sibi cõmodam nacta est humum. Hac plæræque syluæ Galliarum scatent, sed in multis locis tam pumila arbos, támque crescendi pigra, ut inter frutices potius sit referenda, quibus sæpes uuæ in pagis passim construuntur, baccis sanguineis per autumnum rubet. Glandifera autem ilex Gallis certè rarior est, quàm ut sæpe cõspiciatur. Satam tamen in hortis suis Ruellius glande creuisse scribit, cingentem robustam frondem spinarum uallo. Eam existimat iliæm aquifoliam appellandam potius, quàm aliam herbam, quam Theophrastus cratægon, uel cratægona appellat, cui tamen hoc nomen aquifolij dedit Plinius, fortassis de iliæ aquifolia intelligens, cùm neget succi quicquam habere aquifolij baccas.

Dores Ariam siue agriam arborem Theophrasto dictam pro iliæ aquifolia usurparunt, quos sequutus est Gaza in Theophrasti uersione. Eam Arabes phellodryn nuncupant quasi suberiquercum: arbor est inter robur & iliæm mediæ naturæ: ut iliæm fœminam quidam af-

firment dici debere, Dores agrestem iliæm: cuius materia (ubi deficit ilex) utuntur in carpentariis præcipuè fabricis. Sed de Aria & Cratægo posteà diæmus suo loco.

Est & alia ilex superiore minor, quæ coccifera appellatur, Narbonensi prouinciæ frequens, ubi nunc appellatur à rusticis Vermillon, ab aliis Gallis Escarlate. Frutex est paruus, ramis exilibus, & aculeato folio, rubens lenticulæ forma: granum fert cuius succo pretioso tinguntur lanæ, & purpureæ fiunt: aspectu coloris gratissimo, in rosis micante, imperatoriis paludamentis dicato: eundem frutiæm Iones & Græcia tota coccum nominant: quo uocabulo etiam granum intelligunt, quod Mauritani Quermes siue allzermes uocant: unde quermesinus color, qui quisquilio rutilat, Cramoisy.

De loto arbore hoc loco diceremus propter foliorum cum iliæ similitudinem, nisi priuata potius esset, quàm syluestris: adeóque hodie in nostratibus hortis frequentior, quàm in syluis: uulgò uocant Alysier: præterea fructum fert, cerasum referentem, Des alyses: unde commodius usum est nobis eam arborem post cerasiorum ordinem in Seminario describere, quàm hoc loco. Lotus autem herba tam ægyptia quàm syluestris, etiam quæ nostras dicitur, inter herbas pratenses suo ordine descripta est, nempe post trifolium.

SVBER Latinis, Græcis phellos, uulgò Liege, inter glandiferas arbores connumeratur. Arbor est caudicosa, parúmque ramigera, admodum procera, auctúque insignis: ligno robusto, cortiæ uniè crasso, solito disrumpi, fraxini folio, sed oblongiore, perpetuò uirēti: fructu glandoso, aquifoliæ glandi propè simili. Vnde suberi & ilici fœminæ à quibusdã uocatæ (quam superius phellodryn

nominauimus, & nonnulli nigram iliæm appellãt) eandem tribuit descriptionẽ Plinius. Alio tamen loco Suber, minimam esse arborem contendit, pessima glande, rara, corticæ tantùm in fructu præcrasso ac renascente, atque etiam in denos pedes undique explanato. Cuius usus est in anchoralibus nauium, piscantiúmque tragulis, & cadorum obturamentis: præterea in fœminarum calciatu: quamobrem Græci, mulieres, non infacetè cortices arborum nominarunt.

Suber in Italia aut Gallia non uisitur. Audio tamen hodie in Hispania reperiri humilem, folio ilicis, aculeato, tristi glande, cortice percrasso, & multis imanitatibus fistuloso. Cortex ad nos plurimus defertur, muniendis aduersus frigoris iniuriam hyeme calciamẽtis. Ac de glandiferis arboribus satis: nunc ad nostratium syluarum arbores, deinde uerò ad externas deueniemus.

ARBORES CONIFERAE ET RESINACEAE.

Ne quid confundamus, útque ordinem aliquem obseruare uideamur, congeneres arbores unà seponemus ab aliis. Itaque post glandiferas, de coniferis diendum, quæ omnes etiam resinaceæ uocabũtur, quòd resinam ferant, nam etiam picem inter resinarum genera ponemus.

Coniferæ arbores, Græcis κωνοφόροι dictæ, à fructibus, quos ferè simules gerunt, nempe turbinatos, quæ est coni figura: κῶνος igitur, uniuersum turbinem propriè significat Græcis: à qua figura proprio uocabulo nuces pineæ primùm appellatæ, atque adeò ipsa pinus: deinde uerò à similitudine, alij etiam resinaceārum arborũ fructus:

unde coniferas cyparissos dixit Ouidius. Sed & nuces pineæ Græcis strobili appellatæ, & coccali, inquit Galenus lib. 7. simplicium, Pommes de pins.

Resinaceæ arbores dictæ, resinam ferentes ac destillantes: quæ resina uariè colligitur, siue combusta tæda, ut in pinu (atque hæc demum pix dicitur, unde nihil aliud est pix, quàm fluxus combustæ in tæda sua resinæ) siue ligno prægustato, ut in abiete & picea: siue radicibus, ramis & caudice uulneratis, ut in terebintho.

Resinam autem Græci ῥητίνην καὶ πίτυαν uocant, Poix resine. Quam autem resinam Columella corticatam appellat, hoc est, quæ unà cum ipso corticæ legitur ac decerpitur, Græci ξυλώδη, hoc est, lignosam uocat: Dioscorides Tyrrheniam siue Galliam. Nam etiam à nationibus cognomen accepit, ut Cypriam & Syriacam, quæ colore mellis Attici erant, plurimùm laudauerint antiqui: item etiam Colophoniam, quæ præter cæteras fulua fuit.

Q umetiam ab arboribus dicta resina, ut larigna, abietina, terebinthina, &c. à larice, abiete, terebintho. Atqui ex iisdē arboribus colligebatur duplex resina, alia quidem sicca, alia liquida, quemadmodum fusius ex antiquis authoribus habebis.

Resina cocta, prima tantùm coctione pix appellatur, Græcis πίσσα, uulgò poix. Vnde zopissam aliqui uocat (inquit Dioscorides) derasam nauibus resinam cū cæra: uulgò à nostris nautis Bray. Bis autem cocta resina, Græcis πολίμπισσα dicitur: quasi bis pix, uel pix duplex, Double poix, ou poix noire. quæ autem in resinæ coctione primùm fluit pix, ea liquida uocatur, Poix de Bourgōgne: quæ postea remanet, appellatur sicca, Poix seiche crema ta autem picæ uel in clybano uel alio loco occluso, quod

sursum ascendit, & concrescit ex fumo, fuligo picis appellatur: qua atramenti impressorij confectores præcipuè utuntur, Fumee de poix: *pissasphalton autem Græci uocant, quod nos picis bitumen: quo præcipuè picantur naues & dolia,* Poix grasse: *dicitur etiam pisselæon, oleum picinum, quod fit separato aquoso liquore qui supernatat pici, sicut serum lacti. Sed de resina hactenus. Nunc ad nostrates arbores resinaceas.*

NOSTRATES RESINACEAE ET coniferæ.

Quæ mastichem resinam & picem ferunt arbores, tantam inter se destillandi similitudinem, adeóque multam in natalibus earúmque appellationibus misturam habent, ut nihil incertius prima fronte uideatur in iis authoribus qui eas descripserunt. Fruemur tamen in hac parte, doctiorum opera: & quod breuiter ac succinctè de iis perstringi poterit, paucis docebimus, ab abiete incipientes.

ABIES, *arbor conifera & resinacea, Græcis* Elate *dicta, Gallis* Sapinus & Auetum, Du sapin. *Vnde pars eius inferior quæ enodis, eiecto torulo, ad intestina opera comparatur, Vitruuio sapinea appellata est: superior autem quæ nodosa duriórque est, fusterna eidem authori dicta. Sed & elatæ uocabulum, Dioscoridi, palmarum adhuc florentium fructus muolucrum est: quo utuntur pigmentarij institores ad domãdum oleum, spissamenti loco. Galeno autem quod elatæ uocatur, tenerum est palmæ germen. Nam neque Dioscorides, neque Galenus, unquam in arborum censu, abietis memnerunt. Hinc factum est, ut Plinius in duodecimi uoluminis calce, abietem cum ea palma cõfuderit, quæ medicinæ conferr*

germina, folia & cortiem. Ait enim quendam esse abietem ad unguenta pertinentem, quam Elatem uocant, alij palmam, alij spatem. Sed certè nulla pars abietis (quod adhuc inuenerim) unguẽtis nedum medicaminibus addicta cognoscitur. Itaque uideto quàm non sit tutum Plinio in omnibus fidem adhibere, qui & uires & nomina, atque interim descriptiones tum herbarũ, tum etiam arborum ita confundat.

Abietis descriptionem ex Ruellio petito: & quas pilulas, quósque fructus proferat, quóque in loco crescere gaudeat, & quemadmodum semine tantùm nascatur, quod est omnium coniferarum proprium, florecátque croci colore circa solstitium. Videbis apud eundem duo esse abietis genera: marem & fœminam, quæ materie inter se differant: nam fœminæ materia est mollior, candidior, operibúsque facilior: in totum prolixior caudex: mari autem uersicolor, latior, durior. Ea est arbor qua in Gallia Lugdunensi & superiori Germania, non solùm in ædificiis, sed etiã in domestica supellectile lignea utuntur.

Abietis trunco, ad radicem, uel interdum altius, ubi arbor & lignum carie tẽtatur, fungus uel adnatum quoddam grandiori fungo simile nascitur, cui nomen agarico datũ est, De l'Agaric. Id autem in Delphinatu frequẽter reperitur, quicquid existiment nonnulli radicem esse cuiusdam stirpis. eo nostri medici hodie passim utuntur in purgatoriis pharmacis. Est autem duorum generum: mas, grauior, densior, rotundior, minus albicans. Fœmina candidior dum frangitur, ac leuior: ostendítque in ipsa fractione strias quasdam, uestigiis dentium in caseo à muribus relictorum simules: præstantior est mare, quapropter medicis magis est in usu. Crescit etiamnum agaricus

in aquifolia arbore, & multis aliis glandiferis.

PINVS, Græcis (*ut diximus*) πεύκος dicta, Latinum quoque in Gallia nomen retinet, Vn pin, *à pinnato foliorum cacumine.* Arbor est uulgo nota. Folium gerit capillamenti modo prætenue, longúmque, & mucrone aculeatum, breui seta uillosum, pectinum modo dissectum, promissámque materiam habet, candidam, & abieti similem. Non nisi à uertice ramosa est: nuces fert siue conos lignosos, frequenti nucamẽto in turbinatam effigiem compactiles: in quibus nuclei singulis cameratis toris includũtur. Fert pinus minimum resinæ interdum ex nucibus ipsis. Vstis radicibus non repullulat, in quo maximè à picea differt. Materies præcipua trabibus & plurimis uitæ operibus: expetitur quoque naugiis.

Duplex pinus, quemadmodum & abies, nempe mas & fœmina. Mas sterilis, breuior, folio duriore, lignum habet retorridum, præcinctum medulla, durum, & ad fabrorum opera contortum. Fœmina, procera est, foliis pingitur mollibus, & simplicibus, nec rigentibus, minus est tedacea, læuigatior ac probior cursu meatuũ: gerit quam Græci uocant ægida, mellei coloris, pictorum tabellis immortalem, nullísque fissilem rimis.

Duo alia genera in Troade quidam faciunt: Montanam pinum, siue Idæam uocantes, quæ recta & celsa est, crassa materie, nucibus oblongis, uuridibus, serò debiscentibus, picæ copiosa. Maritimam, folio tenuiore, infirmioréque: cortice læuiore, & coriis utiliore: nuce rotunda, & quæ breui aperiatur: ualida & robusta materie.

PINASTER, nihil aliud est quàm pinus syluestris: mira altitudine consurgit, & à medio ramosa est, sicut pinus à uertice: copiosiorem hæc radicem fundit in

summo. Nascitur tum in montibus, tum etiam in planis. Itaque quæ prius descripta est, pinus urbana dicetur: hæc autem sylvestris.

Nuclei pinei, Græcè strobili dicuntur, ut iam explicauimus: quanquam & strobilos, tripudij genus sit apud Iulium Pollucem. Galenus etiã coccalos uocat. Sunt etiam qui coccalos pro cocco gnidio accipiant. Nucem sapineam uocauit Columella, alij nucem pineam: uulgus nostrum pomum, siue mâlum pineum appellat, Pomme de pin. *Sunt autem eius quaterna genera, quæ tu longiori sermone descripta in Barbari commentarijs uidebis.*

PICEA, *quam Græci πίτυν, & poetæ blotren uocant (ut quidam rentur) arbor est pino congener, & huic ferè simulis, folio breui, setæ proximo, crassiore tamen, duróque, ut cupressus, immortali uirore, &c. In summa laricem, quam posteà describemus, proximè imitatur & pinum. Tantùm hoc à pinu differt, quòd pinguior ac tenuior folio est, minus alta, minúsque recta. Fert præterea conum minorem, & magis algentem: nucleos quoque resina perfusos gerit, ustis etiam radicibus repullulat, quod pino non accidit. Frequens est in Alpibus, fundítque resinam plurimam, candida gẽma interueniente, quæ thuri usqueadeò simulis est, ut pro eo sæpe fallat: gratissimũ enim odorem habet. Huius speciem Theophrastus phthiropœon uocat, hoc est pediferam, tineosámque, quia totis paniculis non prima tantùm in parte, ut abietes, nucleos & minores & nigros habeat.*

PICEASTER *quemadmodum & pinaster, picea sylvestris est, quæ in Hispania usitur, ex qua resinam, unde pix coquatur, colligunt.*

Fructum piceæ Dioscorides à Græcis pityida uocari

eradit, itémque pini: sed impropriè, inquit Galenus. Plinius pinastri nuces ita quoque nominat. Hippocrates pityida resinam è pinu siue picea potius intelligit, quàm fructum.

TEDA propriè dicta, picearum generis arbor, in Illyria, Græcis das siue dadion appellata: redundantior est humore, quàm reliquæ, aut pinus, aut etiam larices: parcior tamen, liquidiórque quàm picea, flammis & lumini sacrorum grata: unde nos impropriè tædas appellamus, tum piceæ satiuæ partes imas, tum alia quoque ligna, quæ flamma olei uel picis illitu conœpta, faculæ modo luceant.

CVPRESSVS, inter nostrates arbores coniferas & resinaceas iure connumerabitur: hanc enim plerique Galliarum tractus habēt: Græcis κυπάρισσος dicitur, ἀπὸ τοῦ κύειν παρίσους τὰς ἀκρέμονας, hoc est, à partu ramulorū paritium (ut inquit Didymus) quòd ex æquo & ramos & fructus creet. Dictas etiam Cupressos χαρίτας idem prodidit, ꝙ nobis essent oblectamēto: uel quòd Charites Eteoclis filiæ, dum tripudio dearum subsilirent, in puteum ceciderint, quas deinde Tellus in arbores frōdosas puellis simules, ad oblectamentum & rei memoriam conuerterit. Diti sacra arbor, funeribus indicandis olim ante domos poni solita: ob hoc ei negotio dicata, quòd semel cæsa nunquam regerminet, præsertim à radice. Est admodum procera, caudice oblongo ac tereti, folio pini, sed carnosiore, amaro, neque ita pungenti, fronde indeciduа, odore uehementi. cætera ex Ruellio.

Cupressi duo genera: fœmina, quæ diu sterilis est, meta in fastigium conuoluta, neque repudiata, distinguendis pinorum ordinibus facilem se tonsili culturæ præbens,

historiales picturas tenui folio, breuique & uirente superuestiens. Contrà mas, spargit extra se ramos, deputatúrque, & accipit uitem. Vterque sexus in perticis asserésque admittitur, amputatione ramorum, qui tertiodecimo anno singulis denariis uæneunt apud Venetos.

Tarentinam cupressum Cato præcipuè laudat, quoniam (ut Plinius arbitratur) è Creta uenerit Tarentum. nam in Creta quocunque loco quis mouerit solum, nisi seratur alia, hæc spõte gignitur. Nonnulli tamen Creticam cupressum nominant, alterum herbæ Sabinæ genus, quã Græci βράθυν appellant, nos uulgò Sauinier, quòd ea sit cupressi folio, de qua in Hortulo nostro. Cæterum Milesia cupressus omnium laudatissima fuit antiquis.

Fructum cupressi galbulos, & nuces cupressi recte uocaueris, Noix de Cypres. Nam galbæ (ut ait Suetonius libro 7.) animalia sunt exilia, quæ in æsculis arboribus nascuntur: unde primus Galba Romæ appellatus. Resina è cupressu etiam manat, qua si quid unxeris, à carie perpetuò uindicatur. Est enim sapore acerrima, quapropter tineas & uermiculos, teredinésque facilè enecat.

Est & coactæ breuitatis frutex, quem chamæcyparissον quasi pumilam cupressum uocant, hortis familiaris. hinc ab odore formáque foliorum eiusdem nomenclaturæ arboris, uulgò nominamus Du Cypres, quòd quasi sit cupressi abortus, folio incano & perenni. Sunt qui abrotonum fœminam esse putent, de qua in Hortulo plura.

IVNIPERVS, etsi conifera non sit, tamen quia resinam thuri simulem & bene olentem fundit, inter arbores resinaceas à nobis connumerabitur.

Iuniperum itaque arœuthon Græci uocarunt, nostri Genefure, arbor est duorum generum: nempe maior &

minor: cortici membraneo, & qui sponte rumpatur: materie fulua, odorata: ex qua manat liquor, thuris odorem ac colorem æmulans: Coma uiret perpetua, spináque potius quàm folio, uestitur: sed herbacea est sine flore, cæruleis baccis. In summa, ædro penè simulis, tum effigie, tum natura.

Duo apud nos inueniuntur genera iuniperi montibus uernacula: Vnum pumilum, humile, sessilibus in terra ramulis: alis parum se ab humo attollentibus, quibus spina pro folio est: radicab⁹ summo cespite fusis, baccis primùm uirētibus, deinde per maturitatem nigris. Alterum altius adolescit, caudicæ procero, cortice fragili, nec difficulter fathiscente: ligno fuluo, odorato, ramis latioribus, aculeorum aceruo stipatis, baccis priori consimilibus. Cætera ex Ruellio.

Humor in iunipero ad lachrymæ modum concrescit, qui crematus nidorem odore thuri non cedentem expirat. Sunt è recentioribus Græcis qui tradant æstiuis temporibus arborem (quam iuniperū appellant) lachrymam sudare, quæ coloris officio durata, ceat in gummu. Hæc peculiari regionis uocabulo, Vernix dicitur. Nunc ad externas arbores coniferas & resinaceas.

EXTERNAE RESINACEAE ET CONIFERAE.

LARIX, siue (ut alij) larex, nomine pityos, hoc est piceæ, comprehēditur à Theophrasto. Arbor enim est magna, piceæ similis, crassior, læuorique cortice, folio uilloso, pingui & denso, mollique flexu, materie præstāti, rubente, odore acri. Vitruuio arbor est foliis similibus pini, cuius materies prolixa, tractabilis ad intestinum opus, non

minus quàm ſapinea. Habet reſinam liquidã, mellis Attici cõlore: quæ larigna reſina dicitur. Nota eſt arbor (inquit idem author) municipibus qui ſunt circa ripam Padi, & Adriatici maris litora. Nunquã eroditur à tineis aut uermibus, & propter ſui amaritudinem ab omni carie uindex eſt. Quin & (quod fortaſſis mirũ uidebitur) flammam ex igni non concipit: nec ipſius arboris materia per ſe ardere poteſt, niſi (ut ſaxum in fornace ad calcem cõquẽdam) aliis lignis uratur: nec tamen tunc flammam recipit, nec carbonem remittit: ſed longo ſpatio tardè cõburitur: quod ex Cæſaris uictoria patet, quã habuit circa Alpes, dum caſtellum, cui Larigno nomen erat (propter lariam in ea uicinia frequentiã) obſideret: nullis enim facibus neque faſciculis urgeis inflammatis, potuit mœndere pyram ligneam quæ ante caſtelli portam larignis trabibus erat cõſtructa ad repellendos miliτes.

LENTISCVS, à Græcis σχῖνος uocata, arbor eſt roboris magnitudine, ſorbi folio: Dioſcoridi glycyrrhizæ ſimili, tereb inthi odore: acinis punicæ ſylueſtris, rubẽtib⁹, & ubi maturuerint nigris, tantiſper dum cõquuntur rufis. Atque hæc dicitur lentiſcus Chia, (hoc eſt in Chio inſula naſcens) cuius arboris reſinam quidam (ut inquit Dioſcorides) maſtichem nominant. hæc autem gummi modo naſcitur, nigra & candida: ſed probatiſſima maſtiche, Chia candida. quanquam maſtichem Theophraſtus dixerit etiam ſpinam ſchineã ferre, & item aliam ſpinam in India & Arabia, quam lamam uocant. Cæterum lentiſci baccas ſchinides uocauit Hippocrates.

Aliam à Chia lentiſcum ſe meminiſſe teſtatur Plinius libro 15. cap. 24. quam Italicam lentiſcum uocat.

Ea autem erat folio pistacij, sed minore, per extremitatem rubẽte: in summo siliquæ piſorum, sed cornicauli modo intortæ, in quibus resina odoris iucundi cõtinetur. Fructus sambuci ſpecie in racemis depẽdet, qui initio rubet, postea nigrescit: Ter anno floret, & coma pubet perpetua. Huiusmodi lẽtiscum nouisse etiam Ciceronem palàm est, ex his uersiculis quos conscripsit,

Iam uerò semper aridus, sempérque grauata
Lentiscus, triplici solita est grandescere fœtu:
Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi.

Fuit lentiscus etiam Italis nostris recentioribus nota. Nam & Barbarus refert, Romæ in ruderibus & monumentis antiquis lentiscum ostendi, folliculis manibus & deformibus: quibus confractis, culices euolare frequentes tradit.

TEREBINTHVS, Græcis τέρμινθος, arbor est circa Macedoniam & Idam in Troade, breuis, frutiçosa & contorta. In Syria autem (quæ, ut Plinius tradit, pluriman terebinthum habet, præsertim circa Damascum, ubi mons terebintho, nec alia sylua scatet) magna & copiosa, decoráque aspectu, fidelis ad uetustatem: materie admodum lenta & uehementer nigra, spissa, splendida, ex qua calices in Syria ad capulos detornant, quo nomine Thericles plurimũ celebratus est: lauri penè folio, sed denso, & rubenti, numeroso, ab eodem pediculo, in uersus digesto, ut sorbo, minus tamen angulato, oleoſóque ut fructus, & per ambitum laurinis foliis simili. Vnicum ad cacumen exit, & numerum parem conturbat. Flos illi racemosus, oliuæ modo, sed puniceus: qui tandem in bacas exit, primùm herbaceas, mox rubras, & tandem maturitate nigrantes: magnitudine fabæ resinoſas & sulphuro-

sas, quæ si maturæ non sunt, in aqua supernatant: maturæ & nigræ, sidunt. fert nucamenta quædam cæua, cæu folliculos, ulmi exemplo, emittentes quædam animalia ue luti culicæs, lentoremque resinosum, qualis qui cortice erumpit. Radicem habet ualidam, in profundum actam. Vere concepto germinat, messibus tritici, aut paulò serius fructificat: perpetua coma uiret. Ex terebintho resina liquida destillat, quæ omnes alias antecedit, Terebinthina appellata (inquit Dioscorides) cui bonitate succedit lentiscina: ad quam tollendam, arbor postquam germinauerit, mciditur: id quod in omnibus aliis arboribus resinam fundentibus obseruandum est.

Terebinthi duo genera, mas & fœmina: quemadmodum aliarum quoque resinacearum. Mas sine fructu est, (inquit Theophrastus) fœminarum rursus duo genera: alteri fructus rubet lentis magnitudine: alteri pallidus est. χλοερὸν quasi herbaceum uocat. cum uite maturescit, haud grādior faba, odore iucundior, tactu resinosus.

Terebinthum Indicam haberi refert Theophrastus, aliis superioribus ferè simulem: fructu tantùm diuerso, amygdalarum similitudine, suauitate præstantiori, quapropter incolæ his potius utuntur.

THVS, Græcis λίβανος uel δενδρολίβανος dicta, in Arabia præcipuè nascens, arbor est terebintho proxima: unde Antigono regi uisa est esse ipsamet Terebinthus. Quidam lauro proximam faciunt, alij lentisco similem. Vnde quid in tanta uarietate certi adducam non est in promptu, cùm eius arboris facies à nullo Latinorum, neque etiam Græcorum authorum hactenus exacte tradita sit. Plinius thuris arboris altitudinem ad quina ferè cubita reducit, ramis frequentibus, quales sunt aceri: fo-

lio pyri, sed multo minore, coloris herbacei, modo rutæ, læui cortice ut lauro. Philostratus in Caucasi montis præruptis lateribus proceras arbores nasci prodit, è quibus manans thus destillet. cætera ex Ruellio.

Thus (inquit Barbarus) uel à Græco theos, aut alio uocabulo sacrificium significante θύειν deriuatur. Nam thure antiqui penates & diuos suos adolebant, uel dictum tus à tusis glebis, ut tunc Latinè scribi debeat.

Thuris arboris lachryma (siue resinam appellare uoles) Latinis arboris nomen retinet: uulgo incensum appellatur, De l'Encens. Græcis & Galeno libanotus. Nam arbor ipsa (ut diximus) libanos dicitur, à iuuene Assyrio cui tale nomen erat, quem cùm studiosissime deos colentem inuidi occidissent, dij in arborem (ut Græci fabulantur) conuerterunt.

Thuris autem multæ species. Masculum, quod aliqui à specie testium dici putant: idque (modò non sit factitium & adulteratum) rotundum, friabile, solidum, intus album est. Virgilius,

Verbenásque adole pingues, & mascula thura. uulgus nostrum id thus masculũ, olibanum uocat, De Loliban, articulo sumpto cum Græco uocabulo ὁ λίβανος.

Thus fœminium, quod quidam mămosum uocant, molle est, in cortice, & intus flauescens. huic autem præcipua est gratia, cùm inhærente lachryma, priore consequuta, alia se muscuit.

Minores thuris lachrymas, siue guttas Græci orobiã uocarunt: quemadmodum micas cõcussu elisas, mannam thuris, siue pollinem thuris. Corticem autem thuris appellarunt, omne id quod in arbore hæsit, ferramentóq; auulsum, corticis aliquam crustam secum detulit. Cætera ex

bonis & probatioribus authoribus desumito. nam omnia complecti ut difficillimum esset, ita certè longissimum, & fortassis præter institutum.

MYRRHA, dubium non est quin sit arbor, quam Græci σμύρναν uocant, lachrymam fundens, quæ etiam nomen retinet Du Myrrhe. Sed qua sit specie ac forma, minus facile est in tam uaria opinionum altercatione statuere, nostras enim non est: neque etiam nostris regionibus uicina. Nam apud Arabes, Troglodytas, Indos, & in Bœotia reperitur; quinis (inquit Theophrastus) cubitis humilior: minor thure, caudiæ frutico so, duro, & circa radicem intorto, crassiore sura hominis, cortice læui: folio ulmi, oleagino (inquit Plinius) scabro, crispo, in extremitate ut ilignum aculeato. Huiusmodi arborem alij iunipero, alij lentisco, alij terebintho assimilarunt. Quapropter, quando certi nihil hoc loco proferre possumus, superiori tãtùm descriptioni innitemur.

Huius arboris lachrymæ, quam etiam myrrham uocant, multa sunt genera, uariè à Plinio, item etiam Theophrasto ac Dioscoride descripta: pro tractuum in quibus arbor crescit uarietate. Itaque (ne confusum quid adferamus) tantùm de iis dicemus, quæ magis necessaria uidebuntur: ea interim genera præermittentes, quibus hodie non utimur, quibúsque nullam operam damus.

Myrrha resina satis uulgo cognita, nedum officinis. Sed alia (inquit Theophrastus) stillatitia est, alia fictitia. Stillatitia, hoc est quæ sponte ex ipsa arbore defluit, priusquam incidatur (inquit Plinius) stacte appellatur: colore pallido, suauitate mira, sed amaritudine præcipua. Fictitia, uocatur plaste: atque ea est, quam antiqui in unguenta conseruabant, & cuius expressione, unguenta

faciebant (inquit Dioscorides) odorata & pinguia.

Stacten (aut Ruellius) officinæ, & medicorum uulgus, styracem liquidum appellant, fortasse nominis uicinitate falsi: cum sit reuera styrax liquidus, tusæ myrrhæ recentis exigua aqua conspersæ, præpingue serum, organo expressum: aut (si mauis) pinguissimus myrrhæ flos, uel tortiuum myrrhæ ius machinis extractum. Faciunt & aliud styracis genus, quod calamitam uocant: de quo statim postea. Stacten etiam antiqui (inquit Athenæus) pro AEgyptio unguento sumpserunt, quod & Persicis regibus dicatū erat: id enim capitæ diadematis uice gestabant (inquit Dioscorides.) Sed & stacte Græcis pro lixiuio (quod cineris elotio est) sumebatur: cui tamen dictioni tunc addunt uel subaudiunt χονίαν.

STYRAX, quam uulgus pharmacopolarum appellat storacem, arbor est resinacei generis, suæ etiamnū resinæ nomen præbens. Nascitur præsertim in Syria, quanquam etiam in Cypro, Creta, Cilicia & plerisque aliis locis mueniatur. Quod autem ad eius descriptionem attinet, Arbor est cotoneæ malo simulis: fructu maiore quàm auellana, specie candidi pruni, manat ab ea liquor coloris flaui, sordidi, resinosi, albicantibus fragmentis, odoris perseuerantis: eum liquorem uulgus nostrum storacem calamitam appellat, nescio qua ratione: liquidus autem si fuerit (quemadmodum interdum ex eadem arbore resina alia, alia liquidior profluit) storacem liquidum appellat, de quo paulò antè in myrrhæ descriptione.

BDELLIVM externa quoque arbor resinacea, suæ etiam lachrymæ nomen præbens, in Arabia & Scythia crescit: nigra est oleæ magnitudine, folio roboris,

fructu cæprifici, nec insuaui: manat ex ea humor quẽ officinæ bdellium appellarunt, ut iam diximus: quanquam Galenus diuersam & arborem & resinam in Arabia & Scythia autumet. Sunt & alia eiusdem resinæ genera, quæ tu à bonis authoribus collecta apud Ruellium & Barbarum uidebis.

CEDRVS, solo tantùm nomine apud nos cognita: uocamus enim uulgò, Vn Cedre. Huius autem descriptionis tam uaria est Theophrasti, Galeni, Dioscoridis, Plinique opinio, ut uix aliquid certi de ea arbore adferre possimus. Tantùm huic descriptioni hærebimus, quã Ruellius ex bonis authoribus protulit. Arbor est iunipero nõ absimilis, folio duro, acuto mucrone, capillato, piloso, pungente, ramoso: baccis myrti, flauis, odoratis, escalentis: nouo fructu per autumnum cum anniculis pendente, ligno contorto, nodoso, frequentibus alis: medulla rubente, odorata: radicibus raris, per summa terræ dispersis. Theophrastus duo præcipua eius facit fastigia, alteram phœniciam, alteram lyciam appellans. Plinius longè aliter sentit. Diuersam quoque habet opinionem Galenus, & item Dioscorides, quemadmodum ex Ruellij commentariis latius uidebis.

Cedrus autem (à Theodoro Gaza cedrula appellata) frutex est pusillus, arborescens, frondes æternæ, in Phrygia & Arcadia nascens.

Cedria uerò eidem authori, dissidet à cedro, éstq; arbor folio pungente, mucronibus perinde ut Cedrus.

Cedrelate, Cedrus est maior appellata Græcis, cuius duæ etiam traduntur species. Quæ floret, sterilis est fructifera, flore uidua, semine & cortice cupressi: triplici dotatur fructu, iam maturo, adolescente, & recens nato: li-

gnum odore ſuaue eſt, ac æterna materie. Cedria etiam præter ſuperiorem ſignificationẽ, ædrelatæ tum reſina, tum etiam pix appellatur: ita ut, ſi propriè loquamur, nihil aliud ſit ædria, quàm cruda ædri lachryma.

Cedriũ uerò, ſuccus eſt ædri, è tæda eius cõciſa furnis, qui primus aquæ modo fluxerit in canali: & qui inde ſequitur liquor, pix appellatur. Confundunt tamen authores & ædrium & ædriam: adeò nulla eſt uocabulorum proprietas, quæ perpetuò obſeruetur.

Cedrides Galeno & Dioſcoridi, ædri ſunt fructus, quemadmodum Daphnides fructus lauri, Noix de Cedre: Plinius mala ædria appellat. parũper urunt os guſtantis (nunus tamen ædri lignũ) ut etiã facilè mandi poſſint: ſed tamen ſi cõpioſius edãtur (inquit Galenus) caput tentant, & dolorem creant, atque interanea uelliçant.

Ex malis ædriis exprimebatur apud antiquos oleũ, optimæ facultatis, quod illi ædrelæum appellarunt: Columella ædriũ liquorẽ nominat, Galenus ædream oleoſam mauult appellare. Atq; hæc lector quàm uaria, quámq; inconſtantia ſint, & ob hoc non parum difficilia, quæſo pauliſper mecum perpẽdito: tum autem facilè uidebis (ni fallor) quantum inſudauerint ij qui hæc tibi collegerunt.

RELIQVAE ARBORES A' CONIferis & reſinaceis, quæ etiam in ſyluis paſſim creſcunt.

De coniferis & reſinaceis arboribus abunde diximus: ſupereſt ut de aliis agamus, quæ ſyluarum & montium propriæ ſunt: ac primùm à noſtratibus incipiendum, ut deinde ad externas ueniamus, ne quid cõfuſum aut minus ordinatum uideatur.

NOSTRATES.

TILIA *uulgò* Tillet, *Græcis* philura, Theophrasto *interdum* philyca: Arbor est nota, folio hæderaceo, molliore, & in angulum acutiorem rotundiore ac prolixiore: in orbē lentæ crispo atq; serrato: flore tātisper dum calyculo cōtinetur herbaceo, ubi emersit, flauo: fructus magnitudine fabæ similis, in quo semen prætenue quantum attriplicis, omnibus animalibus ingratum, cum alioqui foliorum corticísque succo (qui dulcis est) apprimè delectentur. acinos gerit hæderæ similes.

Marem & fœminam quidam faciunt, multùm inter se differentes. Nanque materies maris dura, nodosa, rufior & odoratior, cortex quoq; crassior, & detractus inflexilis: nec semen fert aut florē ut fœmina: quæ crassior est arbore, materia quoq; candida. Montibus aquosis gaudet, ex cuius cortice, infantium cunæ fiunt, & cistæ: leuissima est enim huiusmodi materia, unde Virgilius secundo Georgicon tilias leues appellauit. Fiunt & è ligno tiliaceo capsæ & arculæ, unde Columella lib. 12. arculas tiliaceas laudauit.

Sed & tilia minus latè si sumatur, pro tunicis tenuissimis accipitur, quæ inter lignum & corticem multiplici membrana inueniuntur, è quibus etiā uincula tiliæ uocantur. Vnde per trāslationem Plinius cortices interiores tilias in ulmo dixit pro huiusmodi mēbranulis. Philyras quoq; (siue mauis Philuras) pro tenuissimo earū mēbranarū corio siue libro sūpsit idē author, in quo solebāt antiq scribere, unde ait Martialis, libros in philyræ cortice subnotatos. Quin & ex philyris nectebātur coronæ apud antiquos: quoniā flexiles et decoræ essēt: hinc Horatius aut sibi displicere nexas philyra coronas. Atq; hæc de Tilia satis.

ACER, *uulgò* Erable, *arbor est tiliæ non absimilis, forma & magnitudine, uerũ cortice paulò scabriore, sublimdóq; , crasso, & ad flectendum contumaci: radicibus paucis, sublimibus, crispis: materie uenis longioribus fluctuante, molli, macilenta, gracili, ex qua fiũt arcus apud nos. In riguis potissimũ nascitur. Plinius author est in hac arbore duo tubera reperiri: unũ bruscì nomine, alterũ moluscì: illud intortius crispum, hoc simplicius sparsum.*

Aceris genera tria fecerunt Græci: campestre, quod candidum aiunt esse, nec crispum: atque id quidẽ γλεῖνον uocant: Montanum, crispius duriúsque: Tertium genus ζυγίαν uocant, fissili ligno, cortice liuido & scabro, materie rubenti, ex qua iumentorũ iuga fiebant, unde nomen tractum. Quãquam nonnulli carpinum esse autument.

CARPINVS, *uulgò* Charme, *inter aceris genera enumeratur, quemadmodum mox dicebamus, atq; id est genus, quod Græci ζυγίαν quasi iugalẽ uocarunt, quòd ex eius arboris materie, τὰ ζυγὰ, hoc est iuga iumentorum probè fierent: quanquam etiam manubria carpinea rusticis instrumentis apud antiquos fierent, inquit Plinius lib. 16. & Columella li. 12. nostra autem Gallia carpinum Vulcano potius, quàm lautis operibus dicat.*

Diuersum genus ab acere carpinum esse ait Theophrastus ex quorundam opinione: refértque Stagirita hoc distinguere carpinũ ab acere: quòd carpino flaua crispáque materies sit, aceri candida, intercursantibus neruis scatens. utraque arbor ampla, platano in fingendo similis. Cæterum carpinus cortice paulò scabriore, quàm tilia uestitur, subliuente, crasso, spissiore quàm picea, & inflecti contumace. Radices paucas mittit, sublimes, magnáque ex parte crispas.

ALNVS, *apud nos Latinum nomen ferè retinet* Aulne: *unde pumulas siue pusillas alnos, uulgus nostrũ uocat* Aulneaulx: *arbor est flore & fructu sterilis, in aquosis nascens, caudiæ recto, ligno medullaque molli: folio pyri, sed ampliore ac neruosiore, quadantenus orbiculato, urgatóque: cortiæ squaroso, foris albicante, intus ruso: radiæ summa, tenui, nec maiore quàm laurus. Materies eius ad naualia commendatur. unde Virgilius primo Georgicon,*

Tunc alnos primùm fluuij sensere cauatas.

BETVLA, *uulgo nota, Græcis semyda dicta, nostris* Bouleau, *Gallica est arbor (inquit Plinius) mirabili candore atque tenuitate, terribilis magistratuũ urgis, eadem circulis flexilis, item corbium sportis & ligaturis utilis. Cæterum folio est fagino, paulò angustiore, trunco enodi, cortiæ uersicolore, materie læui, candidissima, uirgultorum eximia tenuitate: cortex ignem facillime concipit, ideo rura luernarum uicæ sucœndunt, reddit flagrans pingue quoddam & oleosum. usus apud nos baculis tantùm & scopis.*

FRAXINVS, *Græcis melia uel milea, nostris* Fresne, *arbor est in planis potissimum nascens, procera, caudiæ tereti, crassiuenio, neruoso, læui, enodi (quanquam triozos, hoc est, trinodia à Græcis uocitata: sed ob id quòd ramos habeat prægrandes, ordinatos, paréque numero) cortiẽ habet læuem, spissum, tenuẽ, rubrũ: ramos utrinq; pennatos (inquit Plinius) hoc est per ampla uersuum interualla, tanquã per genicula continenter utrinq; pẽdentes, perinde atque sorbus: Folia gerit lauri latifoliæ, acutiora tamen, leuitérq; per ambitũ serrata, quorũ extremæ marginum fibræ, in molles spinulas occalescunt, porracei*

coloris: semine est minuto, ipsis foliis incluso, amaro, radicæ multæ, crassæ & sublimi. Nostra fraxinus magna ex parte flore caret, & fructu: uerùm multos à radice mittit fungos ganeæ expetitos.

Fraxini duo genera fecerunt Græci: alterum excelsum, procerúmq; ligno cãdido, molliore, crispiore, neruoso, enodi, cuius materia hodie optimæ hastæ fiunt, qua etiam ex materia hastam Achillis fuisse fabricatam scribit Homerus. Eam fraxinum bumeliam in Macædonia nominant, perinde quasi polymeliam, id est ingentem fraxinum: AEoles enim b pro p litera, ut pro πολὺ, expũcto λ elemento, βῦ pronuntiant, non boucm, sed magnitudinem intelligentes. Alterum fraxini genus humilius fecerunt Græci, ligno scabriore, duriore, fusciore, folio lauri aculeato. Alij situ discreuere fraxini genera: campestrem enim esse crispam, montanam, spissam uolunt. Sunt qui natalibus discriminent: montanam dicunt esse coloratiorem, robustam, læuem & lentam: campestrem uerò decolorem, raram, scabrámq; assurgere. Vulgus uerò nostrum campestrem fraxinum, ornum appellant, Fresne champestre: quemadmodum suo loco diximus. Quædam autem arbor est apud nos fraxino aliquantum humilior, folio serratiore, per ambitum hispidiore, cætera fraxino similis: quæ certè fructifera fraxinus dici potest. Fert enim baccas ex rubro nigricantes, quibus per inopiam frugum annonæ rura nostra uescuntur.

TAXVS nostratibus syluis satis frequens, Græcis smilax dicta, aliquibus milos, uulgo Yf. Arbor est abietis aspectu, sed humilior: fronde perpetua, alísque frequentioribus sinuosa: folio pinguiore & molliore, baccis rufis, rotundis, mollibus, gustu non insuaui: radicæ breui, gra-

cili per summa cæspitum: cortex cedro persimilis, tum scabritia, tum colore: quo detracto, totum subesse cor cernitur. Plutarchus tradit umbram taxi dormientes enecare, cùm irruens aream sensus obsidet. Conglutinamenta siue subscudes ex ea scriniis & subsellijs parantur: ex eius quoque materia apud nos arcus & scorpiones fiunt.

De salice, ulmo, populo, platano, & huiusmodi arboribus, quæ priuatæ potius sunt, quàm syluestres, in Arbusto disseruimus. Dicamus iam de externis, quæ aliæ sunt à coniferis & resinaceis.

EXTERNAE.

ADRACHNE (siue andrachnus cum Pausania) syluestris est arbor, haudquaquam procera, neque in planis nascens: in Helicone monte frequentissima, similis unedoni, folio tantùm minore, nunquam in summo uertice deciduo, perpetuo enim cacumine uiret: cortice nec scabro nec squaroso, sed qui circumruptus uideri possit, quo auulso præter aliarum arborum naturam non offenditur, nisi quis corpus uehementer presserit, germénque futurum luxauerit. Materiam mulieres expetunt ad opus telarum textoriúmque. Caueto autem ne andrachnen pro adrachne legas aut proferas: est enim Andrachne portulaca, quemadmodum in Hortulo docuimus.

APHARCA, è syluestri arborum genere, superiori simulis, æterna quoq; fronde uiret: sed in totum: cùm adrachne non nisi in summo perpetuũ foliorũ uirorẽ retineat, non nisi in montibus etiã nascitur: Olympo monte

frequens: septis uallísq; utilis: urendo quoq; ut præcidãt. Vtraq; arbor inter biferas traditur: primum fructum maturat, quum dulcescat uua, secundũ cùm appetit hyems.

ARIA quoque sylueſtris arbor Theophraſto, hyemis initio fructificat, materie duriſſima: ut neceſſe ſit antequam terebretur, macerari prius aqua, quod & in robore carpinóque ſeruatur. Honores ei ad carbones: argentariis, utique ad primam coctionem.

Eſt & Aria ſiue agria, quam pro ilice aquifolia Dores uſurpant.

CITRVS arbor eſt alia omnino ab ea quam in Seminario deſcripſimus, quæ citrea mala producat. Eſt enim hæc citrus, ſylueſtri cupreſſo ſimilis, caudice, folio, odoratis: multo in medicina uſu, præſertim eius cortex. Ea autem eſt arbor, cuius materia atq; etiam radicibus antiqui menſas egregias (quas citrinas uocabant) & pedes lectorum conficiebãt. Vnde Seneca tæſtis eſt in obiurganda temporum ſuorum luxuria, quòd citri radices inſanis licitarentur pretiis, ad menſarum lectorúmque ornamenta. De menſis autem citrinis, tygrinis & pantherinis uideto Plinium lib. 13. cap. 15.

TROGETES & Thuia ſiue Thuion aut Thya idem ferè arboris genus eſt cum citro. ex ea enim celebres menſæ apud antiquos quoque conficiebantur. Arbor eſt (ut inquit Theophraſtus) perpetuò uirens, procera, inter ſylueſtres ſerotina, ut nulla ferè tardius germinet: algentiſſimis locis, & montium cacuminibus gaudet, circa Iouis Ammonis delubrum præcipua, naſcens in Cyrenenſi agro: ramis, caudice, frondibus ſylueſtri cupreſſo ſimilis. Ex ea refert idem author memoratas ueterum templorum contignationes fuiſſe factas, quandámque

immortalitatem huic ineſſe materiæ, in tectis contra omnia uitia incorruptæ. Nihil radiæ criſpius, nec aliunde pretioſiora opera. Fert (ut quibuſdam placet) in fructu nucleos hordei grano ſimiles, longiores duntaxat, exiliores & duriores, guſtu amaro, quibus præſumptis arceatur ebrietas.

COLYCEA, arbor circa Idam prouenit, alioqui rara inuentu, frutiœſa, ramoſáque, & multis alis concaua: folio ulmi, longiore, ſatis ad folium latifoliæ laurus accedente, ſed ampliuſculo & rotundiore, ſupra uiridi, infra cano neruoſóque, prætenuibus neruulis, fibríſque de medio callo in coſtarum ſpeciem adductis: materie ſolida, cortiæ non læui, & quaſi uitigineo ueſtitur: radicibus per ſumma gracilibus & ſolutis, cæterum fibratis & mirum in modũ flauis. Sterilis & flore uidua. Surculos tamen circa folia pingues, læues, candidos, armentacea facie fundit. Præcaſa, ueligninibus exuſta, abimus rediuiua reſurgit.

Eſt & alia apud Theophraſtum nominis eiuſdem, folio ſalicis, comoſa, ramoſa, in totumque ampla, ualuulis leguminum more non anguſtis, in quibus ſemen latum, paruum, durum, non tamen nimis, nec abundè pro magnitudinis ratione fructificat. Sed perpaucæ & inuentu raræ arbores quæ ſiliquentur. Hanc Plinio ſtaphylodendrum dici exiſtimant, arborem trans Alpes ſimillimam acri, albam in materia, ferentem ſiliquas, & in iis nucleos ſapore nucis auellanæ.

De Colutea in Fruteto dicemus: nanque frutex eſt, quadriennio ſe in arborem efferens.

LABVRNVM, arbor alpina, nec (inquit Plinius) uulgo nota, dura & candida materie, cuius florem cubi-

tali longitudine apes non attingunt: odit aquas, nec nisi in siccis prouenit.

IOVIS barba, etiam arbor est in siccis tantùm nascens, & aquas horrens, sed opere topiario tonsilis, & in rotunditatẽ spissa, folio argẽteo. Hãc esse nonnulli contendunt, quam Theophrastus Diospyron, id est semen Iouis appellat. Arbor extat Parisijs in peristylio sacrarum ædium diuæ Genouefæ, in orbem tonsili uenustate comans, ramis in rotunditatem expatiantibus: pomo œrasi, rubro, osse intus præduro: an tamen diospyros fuerit, asserere non ausim, cùm pauca admodum de ea sint prodita, quibus facilè colligi possit diospyron esse.

CASIA fistularis siue fistulacea Græcis recẽtioribus casia syringodes appellata (nam antiqui Græci eius non meminerũt) Actuario nigra casia dicta, aliis Indica canna: Arbor est magna, partim in India, partim in AEgypto nascẽs, & etiã hodie in Asia frequẽs: Inglandis folio, fructum ferens oblongum, teretem, duũm ferè pedũ procœritate, qui dum uento agitatur, ut cãnæ sibimuicem occurrant, magnum edit strepitum. Actuarius casiæ fructum ita nobis reddidit. Fructus est oblongus, teres, concretum intus atramentum continens, non una coalescens serie, sed ex interuallis lignosis tenuibúsque membranis septum: immersis ossibus seminariis, specie & figura non absimulis iis quæ cognita nobis siliqua profert, de qua siliqua in Seminario diximus.

ANACARDVM recentiori Græciæ cognitum (eius enim antiqui Græci non meminerunt) Arbor est Indis familiaris: prouenit quoque in Siciliæ mõtibus, qui flammas ignis eructant, fructu auiculæ coruli non dissimili, unde nomen putatur inditum: rubentæ intus cruo-

re, quo ueluti sanguine scatet.

Orneoglossum (linguam auis officinæ nominãt) arbor est ulmi specie, foliis amygdalæ, prælongis siliquis in surculorũ cacumine prodeuntibus, oleagina magnitudine, in quibus medulla inest linguæ auis simulis (unde nomen) exterius rubra, intus ex candore in luteũ uergens, sapore acri, uellicante linguam, cum nonnulla amaritudine.

Ebenum, Gaiacĩ & Bersilicĩ hoc loco longiori sermone connumerarem, nisi essent nobis uel quauis descriptione penitus ignotæ arbores: tantùm enim ligno & materie (quæ nobis est usui) unam ab alia discernimus, ut Ebenũ dicamus, quod lignum nigrũ apparet: uulgus nostrũ uocat, De l'ebene. Gaiacum, quod albũ, intus tamen pullitiẽ ostentat in fuscum degenerãtem: uulgus nostrũ uocat, Du bois de Gaiac. Bersilicum, quod materie est ex purpura rubescẽte: uulgus uocat, Du brasil. Hæc ad nos ex India, ac potissimũ ex nouiter repertis insulis magno aduehentium quæstu ueniũt. Ebeno utimur in operibus uermiculatis, itẽ ad statuarũ elegantiam, quas nolumus carie aut uetustate infici, præterea ad medicinã. Gaiacĩ notum est (uel mulieribus) quo sit in usu. Bersilicĩ imbuẽdis uelleribus magnopere expetitur, unde ex eo ligno infectores magnum quæstum faciũt, quapropter multis nummis uenit.

Piperis arborẽ hoc etiã loco describeremus, nisi parum apud recẽtiores atque adeò uetères ipsos cõueniret, quænam esse dici debeat. Itaque in tanta uariarũ sententiarũ cõtrouersia, ad Ruelliũ uos relegabo: ex cuius uigiliis doctissimis, quæ hîc breuiter tantùm explicauimus, longius & multò uberius atque eruditius descripta accipietis. Iam enim ad Frutetum festinandum est, antequam herbas in syluis passim sucrescentes describamus.

Frutetum.

FRVTEX *quid sit, in* Seminario *descripsimus.* Frutetum *autem appellabimus hoc loco, non quidem locum fruticibus amœnitatis causa consitum, (quanquam etiam id significare potest) sed soli tractum præsertim circa mœnes, aut ad occasum, in quo nō nisi frutices sponte crescant, uel etiam herbæ fruticantes, præterea nihil ibi seri aut nasci possit: uulgus nostrum uocat* Boccage. *Huiusmodi frutceta uidebis plerunque post nemora & syluas grandiores, maximè sabuloso solo, in quo maiores arbores incrementum capere non possunt, aut altius radices agere.* Melius *(inquit* Columella*) nemoribus herbidis, & frutetis, & arectis, quàm lapidosis locis durantur ungulæ.* Vnde *frutetosum locum uocat* Plinius, *huiusmodi frutetis admodum frequentem: sunt enim quædam arida loca, in quibus sponte soli, nihil uberius aut fœlicius proueniat quàm frutices.* Siccis, *inquit, hæc, sabulosis locis, frutetosíque nascuntur,* Lieu boccageux. Columella, *Nemorosi frutetosíque tractus, duplex cura est. Agedum explicemus iam in nostro hoc* Fruteto, *quicquid fruticum in huiusmodi tractibus, tum apud nos, tum apud exteros cōspicia solet, & à nostratibus incipiamus.*

NOSTRATES FRVTICES, AVT HERBAE FRVTICANTES.

Sparton *siue spartion, aut lygon, frutex est in* Hispania *&* Africa *præcipuè nascens, ad nauium funes & calathiscos: leucam uel lygeam uocat* Athenæus: *uirgas emittit longas, sine foliis, ualidas atque lētas, uinculorum*

usu præcipuas. Florem fert luteum, similem ei uiolæ quæ alba dicitur falso, uulgò Izeyri. Folliculos fert phasiolorum modo, & in his semen lenticulæ.

Genista autem, quæ nostris uulgò dicitur, De la geneste, ou du geneſt, non est eadem cum sparto. in hoc enim differt, quòd uirgas non emittat adeò longas aut flexiles, sed magis asperas & minus rotundas ac iuncæas: dicta genista, inquit Ruellius, uel quòd genibus medeatur dolentibus, uel quia genu modo sit flexilis.

Eriæ, quibusdam tamariscus, is est frutex Dioscoridi, qui uulgò appellatur Des bruyeres, colore & folio penè rorismarini, inquit Plinius, cuius flore uescuntur apes, postæquam æstate germinat, unde mel eriæum antiquis appellatum.

Myriæ siue Tamarix, frutex est, ramos salignis similes habens, siue scopis amerinis: cuius radiæ uasa antiquis fiebant, in quibus qui lienis affectu laborabant, solebant bibere: folio est angusto, carnoso, & ferè pinnato. Cæterum omnino sterilis: uulgus nostrum uocat tamarindorum, satis barbarè.

Alia est myriæ fructifera, quæ in Achaia procerissimas æquat arbores, ramis ex herbaceo fuluóque uariegatis: ligneso fructu, maiore quàm galla: in quo semen gustu asperum, eiusdem effectus cuius etiam galla.

Ruscus, qui oxymyrsine dicitur, in arbusto descriptus est, quando myrtetum explicauimus: est enim profectò sylueſtris myrthus.

Rhus Græcis, Theodoro fluida, Latinis & Plinio, frutex est coriarius, quòd eius folium coriis spissandis sit utile, uulgò Sumach. Arbuscula est in petrosis nascens duorum cubitorum altitudine. Virgas fundit breues &

graciles, folio ulmi, longiore paulò, subhirsutóque, dispositò per uersus, ita ut in nouellis ramorum, contrariis inter se pediculis, germina respondeant: iis candidas pelles insiciũt. Flos in racemis candidus, à quo semen collectũ, lentis & terebinthi similitudine, rubescens cum uua: id uerò semen uocatur etiam rhus & erythros, medicamentis necessarium: aspergitúrque obsonijs salis loco, in eóque osseum. Radix simplex per summa cespitum cohærens, ut facilè possit uniuersa uelli. Nascitur ubique, sed in argillosis potissimum.

Est etiam syluestris herba rhus appellata, inquit Plinius, foliis myrti, caliculis brevibus, quæ tineas & uenena pellit.

In montibus & petrosis apud nos frutex inuenitur fructuarius, ramulis digitali crassitudine, bicubitalibus, foliis ulmeis, pilosioribus, quæ paribus internodijs aduersis pediculis cõiugatim adhærent, per ambitum minutissimè serrata. Flos albus racematim enascitur, eóque maturescente acini ostenduntur in uuam congesti, grano lentis magnitudine, latiusculo, & ueluti leuiter utrinque compresso, cùm ematuruit rubro, radicæ per summa cespitum uagante: rura nostra Viurnam appellant, flexu ferè inuictam, & obid fascibus ligandis utilem. Sed folia & frutex incano ferè colore nitent, ruborem tantùm procidentia præ se ferunt: nisi hoc fuerit genus, extrita una litera, uiburni nomen fateretur: de quo Virgilius cecinit,

Quantum lenta solent inter uiburna cupressi.

EVONYMOS quibusdam, aliis anonymos, quasi à non habendo nomine, putatur esse ea quam nos uulgò uocamus Du fusain. Nam huic multæ deliniationes fauent, cum ea quam antiqui descripserunt, in Lesbo in-

sula frequenti. Est igitur talis nostratis fruticis descriptio ex Ruellio. nam illinc malo desumere, quàm uel nouam temerè cõfingere, uel doctissimi uiri laborem taxando mentiri. Arbuscula est in montibus, & interdum uiuis sepibus nascens, punicæ mali proceritate, folio maiore, satis ad laureum accedẽte flore luteo, albæ uiolæ non dissimili: siliquis quadrangulis, per maturitatem purpureis: grano intus solido, cõcauata membrana clauso. Frutex grauiter, cùm delibatur, olet. hunc neque pecus, neque capra nouellorum etiam germinum auida, prorsus attingit, ligno intus buxeo, quod ad fusos netu muliebri celebres usurpant: inde Fusariam uel fusanum rura uocant. Siliquas uulgus Scrota nominant sacerdotum, quòd intus eruu magnitudine grana, mollibus inuoluta membranis, testiculorum modo, contineantur. Culinæ transfigendis lardo carnibus pro uerucalo frequenter utuntur. Sed an sit euonymos (etsi multæ deliniationes faueant) non ausim affirmare.

Anagyris, à tetro odore dicta (unde prouerbium Græcũ, apud nos quoque celebratũ, ἀναγυρον κινεῖν, anagyrim mouere, in eos iactari solitũ, qui ob futura sibi cõmouẽt) sunt qui nauteam à Plauto uocari putent, in Asinaria, sed authorem non habent (nauteam uerò herbam esse grauem scribit Festus, qua coriarij utantur: à naui dictam, quasi nauseam) à quibusdam acopon dicitur, recentioribus malua terrestris, quòd humi, maluæ modo, iacet: rusticis nostris, lignum putidũ, Du boys puant. Arboris instar fruticat, foliis & ramis salicis amerinæ: fœdo odore, flore brassicæ, siliqua teretæ, in qua semen continetur renibus simile, cũ messibus maturescens: folia terita, atque adeò lignum recentèr delibratũ murè fœtent.

Liguſtrum, Buxum, Iuniperum, Cedrum, in Hortulo requirito. Nam eos frutices illic ad ornatum conſeuimus. Periclymenon autem unà cum clymeno poſtea in Monticulo deſcribetur.

Quæ Dioſcoridi & Galeno Ptarmicæ, à ciendo ſternutamẽto dicta eſt arbuſcula: quidam eam eſſe putant, quam uulgus noſtrum uocat ſylueſtre pyrethrum, quòd guſtum pyrethri modo (quanquam mitius) uelliçet. Dioſcoridis deſcriptio in promptu eſt: noſtratis autem fruticis, ſic habet ex Ruellio: Ptarmicæ apud nos fruticulus eſt aut herba fruticans, haud ferè cubito altior: ſurculis teretibus, paruis, abrotono non diſſimilibus, geniculatis, lentè ruffeſcentibus, qui foliis olea lõgioribus & copioſis ambiantur, anguſtis, utrinque leniter ſerratis. Cacumen opacat capitulum, flores gerens anthemidis ſeu chamæmeli, atqueid cacumen in orbem radiatum eſt, ac ſuo acri odore nares feriens, ſternutamentum irritat. Inuenitur ſæpius in montibus & ſaxoſis, locíſque quibus tofus ſubeſt.

Pyrethron autem, quam Romani ſaliuarem uocant (quòd radix eius ori admota ſaliuam inſigniter creat) noſtris eſt hodie ignota, præterquàm radicæ, quam officinæ pyrethron uocant, uulgus pedem Alexandrinum: ea uerò digitalis eſt craſſitudinis, oblonga, guſtu feruẽti. Cæterum ipſa planta ex Dioſcoride folia gerit gallicæ paſtinacæ, aut fœniculi, caput anethi orbiculatum. in orbe noſtro non uiſitur.

Solanum ſoporiferum, quod Græci ſtrychnon hypnoticum uocant, hîc adſcribemus inter fruticum genera: quanquam rupibus non longè à mari inueniatur: unde herbarij noſtri ſolatrum marinum & dormitoriũ uulgò uocant. Fingamus igitur hîc noſtrum frutetum non

longè abesse à mari: id enim nobis facilè licet per hypothesim. Fruticat hoc solanum multis ramis, densis, lignosis, frangi contumacibus, dense comatis, folio pingui, cotonei mali similitudine: flore grandi, rubro: fructu in folliculis crocato: radice longa, subrubro cortice uestita.

Quod uerò solanum soporiferum à nostris herbariis ostenditur, sic se habet ex Ruellij descriptione. Folio est iuglandis, caule scipionis crassitudine, procero, grandibus ramis brachiato, flore inferius herbaceo, labris supernè purpureis: bacca primùm uiridi, loculosa, per maturitatem nigra, quæ dehiscens, uel spõte dissiliens, ostendit acinosum semen, uuæ modo acernatim collectũ, quinis myrthi foliolis stellatim decussatis, baccã fulciẽtibus.

Strychnon manicum, Latinis solanum insanum uel herba insanios a, uulgò solatrum mortale: inuenitur etiam in montibus uento perflatis, maritimis foueis & uagis: foliis est erucæ maioribus, caulibus proceris, ulnarum quatuor longitudine, capitulo in cacumine oliuæ maiore, ut platani pilula: hirto flore, nigro, quo excusso racemus emicat rotundus, denis duodenisue acinis cõstans: similibus hæderæ corymbis, ut uuæ, mollibus: radice candida, crassa, caua, cubitali. Eam esse quidã putant, quam antiqui doryon siue dorycnion appellabant: quoniam cuspides in prælijs eius folio tingerentur: tum enim passim crescebat.

Dorycnion autem, aut caleam ex Crateiæ scriptis, aliud esse existimauit Dioscorides à solano manico. appellauit enim fruticem oleæ recens enatæ, quæ modò surrexit in uimen proximum, ramos habentem cubitalibus minores, in saxis non procul à mari prouenientem, foliis oliuæ minoribus, cõcoloribus, minusculis, præter modum

scabris, flore cãdido, folliculis in cacuminibus cæris, densis, quinis intus aut senis granis, erui magnitudine, rotundis, læuibus, robustis, uersicoloribus. radici crassitudo quæ digiti, longitudo quæ cubiti. Somnifera huic natura, largioríque mortifera.

Cisthos, quam aliqui citharon aut cissaron nominant: recentiores rosaginem, siue rosam caninam, frutex est in saxis emicans, ramosus, frondosus, nec prælatus: folio circinnatæ rotunditatis, hirsuto, acerbo: duo eius genera, flos masculo rosaceus, fœminæ albet.

Sub cistho ad radices, nascitur hypocisthis, quibusdam orobethron dicta, malo granato immaturo similis.

Est & aliud Cisthi ladaniferæ genus, à quibusdam ledum uel lada uocatũ: frutex ab altero non abhorrens: nigrioribus tantùm & longioribus foliis, quæ uerno tempore quippiam pingue, rosidũ contrahunt, ex quo ladanum elicitur, quo in odoramentis utimur. Eius autem extrahẽdi rationem duplicẽ refert Dioscorides, uel dum hirci aut capellæ barbis insidet, carpentibus cisthi folia: uel dum attractus funiculis rapitur: succulentíque funes depectuntur, & in offas ladanum cogitur. Sed uereor ne hæc longior mora sit præter institutum.

Colutea, magni Alexandri ætate, non temerè alibi quàm in Lipara nascebatur: iam tamen in Gallia prouenit, omnibus nota, Baguenaulde: frutex est, quadriẽnio se in arborem efferens, ramis exilibus, folio fœnogræci, membraneo folliculo, pellucẽte, prætumido, & ueluti quodam spiritu distendente, turgido: ita ut digitis si prematur, crepitans dissiliat, in quo semen atrum, durum, latum, lentis magnitudine, pisi gustu. Mauritani sermone suo uernaculo Sene nominãt: duóque eius faciunt gene-

ra: ſuæ ſpontis, & hortenſe: nam & ſemine naſcitur in fimo præcipuè ouillo.

Halimos Græcis, hoc eſt famem ſedans, quòd eius folia ueſca ſint, & famem ipſo eſu compeſcant. Latini (inquit Plinius) aureonem uocãt, uulgus noſtrum Blanche putain: frutex eſt in ſepibus & maritimis naſcens, rhamno ſimilis, ſepimẽto uallari idoneus, ſine ſpinis, foliis oleæ, duntaxat laxioribus, cortice candido: recta aſcẽdit, craſſitudine brachiali. Huius folia inſtar oleris decocta cibo ſunt optima.

Chamælea, item etiam Thymelæa, etſi ſylueſtrium fruticum generis ſint, tamen quia ad oleam uocabulum item etiam deſcriptio ſpectare uiſa eſt, in Seminario atque adeò Oliueto noſtro deſcripſimus.

EXTERNI FRVTICES.

FERVLAM Hippocrates pleſtinga uocauit, unde non minus à feruendo, quàm ferendo dictam exiſtimarunt nonnulli: Græcis ferè omnibus appellatur narthex: adſcribitur fruticum generi, quoniam teneritudo eius, proceſſu tranſit in lignum: unde Clearchus in ſcirpis ſuis, hoc eſt, luſoriis quæſtionibus, ferulã dicit eſſe lignum non lignum. Calidis locis naſcitur, & trans maria, plurimùm Africæ cognita, atque adeò AEgypto: memini autẽ me uidiſſe etiam apud Italos. Caulem habet fœniculo non diſſimilem, ſed multò altiorem, & magis ſtriatum: ut potius ad cicutæ formam degeneret. intus autem præditum eſt fungoſa quadam medulla ut ſambuci: interdum caulem manem habet ueluti arundines: geniculatiſque per uices notatur ſcapis. A' genibus folia exeunt

grandia, mollia, multifida, maxima, terræ proxima, caulem amplectentia, ut arundines: sed magis scinditur in coliculos, quibus flores lutei, semen anethi. Nulli fruticum leuitas maior, ob id gestata facilius baculorum usum senectuti præbet: hinc etiam antiquorum ludi magistrorum sceptra, ad pueros terrendos, aut etiam interdum afficiendos, fiebant è ferula: nam à feriendo ferulam dictam esse quidam putant: unde satyricus ille manum se ferulæ subduxisse ait, cùm se non iam amplius discipulum, sed rude donatum innuit. Duo ferulæ genera reddidit Theophrastus: narthecia uocat adsurgentem rectè: narthecium semper humilem, quæ ab aliquibus ferulago dicitur.

Ferulago autem, uel ferula syluestris, profectò ea est quam nos Thapsiam uocamus, quòd in Thapso insula primùm inuenta fuerit. Est enim in totum ferulæ natura, caule tamen graciliore, & inani, neque baculi longitudinem excedente, fœniculi foliis: in cacumine singulis ramulis, umbellas anetho similes ferens, & super eas luteos flores, semen latiusculum, quale in ferula, duntaxat exilius: unde nonnulli Thapsiam uocauerũt ferulæ semen: radicem habet magnam, interius candidam: nigro cortice, quæ incisa, ut inquit Plinius, lacte manat.

Cæterum frutex est quidam ferulaceus in Media nascens, lachrymam & succum fundens, sagapenum antiquis siue sagapenion appellatum: officinis nostris interpollato nomine serapinum: laudatur foris translucidum, colore ruffo, & cùm frangitur, intus candido: odore medio inter laserpitij succum & galbanum, gustu acri.

Est & in Africa proximè Hammonis Iouis delubrum, frutex ferulaceus, qui totus cum radice sua aga-

syllis nominatur: è quo destillat succus resinosus, quem nostri hodie hammoniacum uocant, Gomme ammoniac. Dioscoridi Hammoniacum etiam ipse frutex dicitur. Sunt qui hammoniacum thymiama uocare malint: Romani guttam appellant: probatur maximè coloratum, non lignosum, sine arenis, ad thuris masculi similitudinem cartilaginosum, purum, prædensum, liberum sordibus, odore castorei, gustu amaro, quod genus dicitur thrausma.

Silphion quoque Græcis, Latinis laserpitium & laser, frutex est apud Cyrenenses præcipuè nascens, annuo caule, altitudine & crassitudine quasi ferulæ, foliis apio similibus, quæ ineunte uere prosiliunt, deciduáque sunt, semine foliato, quale est isatidis satiuæ, lato quidē. radicæ crassa, multáque, iucundissimi odoris. Succus duplex ex ipso frutice fluit. Nam qui è scapo modicè inciso destillat, appellatur opos Cyrenaicos Græcis, Latinis succus Cyrenaicus: nostris asa odorata, uulgò Beniuyn. qui autem è radice fluit, lacteus est, ulior & putrescens, ac malè olens, unde officinis assa fœtida dicitur. Est & succus Ponticus & Medicus, atque adeò Syriacus & Assyrius, pro diuersis regionibus appellatus: sed opos uocabulo intelligitur Cyrenaicus, succus silphij.

Gallicum Silphium, siue laserpitium uult appellari Ruellius, eam herbam, quæ frequens in Germania uisitur, & hodie interdum apud nos in quibusdam hortis: angelicam uocant uulgò, siue herbam aut radicem Sancti spiritus: alij imperatoriam. satis autem cum antiquorū laserpitio conuenit, ut ex Ruellij descriptione uidetis.

Describendæ sunt hoc loco nardi frutices differentiæ, & uariæ eius tum nomenclaturæ, tum etiam controuer-

siæ ex nostro Ruellio doctissimo breuiter collectæ.

NARDVM *Indicum, frutex est graui & crassa radiæ, sed breui ac nigra, fragilique, quanuis pingui, situm redolente ut cyperi: aspero sapore, folio paruo densoque. Caumina in aristas se spargunt, ideo gemina dote, nardi spicas & folia celebrant: Indicum appellatum, quòd pars montis in quo legitur, Indiam spectet.*

Nardum Syriacum dictum, quòd pars eiusdē montis in quo metitur, uergat in Syriam: non autem quòd in Syria crescat: melius est Indico, leuius, comosum, colore ruso, odore uehementer iucundo, cyperúmque imitante, breui spica, sapore amaro, maximéque siccante os. custodit suaueolentiam pertinaciter.

Nardum gangicum uocat Flauius Arianus, aut gangeticum, alterū nardi Indici genus, quod apud Gangem fluuium nascitur, qui mōtem in quo prosilit huiusmodi frutex, ambitioso lapsu perfluit, inde Gangetidis nomen. Languidum est uiribus, & quod uliginoso solo proueniat. Syriaco proærius adolescit, pluribus ab una radice fruticantibus aristis, unà complicatis & uirus olentibus, ob id etiam ozenitis appellatum, à graui narium fœtore deducto nomine, nempe quia huiusmodi nardi genus urulentum spiret odorem.

Inuentam in Thracia nuper herbam Plinius refert, cuius folia nihil ab Indico nardo dissentiant. Radiculas etiam quasdam odore nardum imitari testatur.

Nardum Sampharitieum, Gentilitium natalis unde carpitur soli nomen retinens, pumilo sanè quàm fruticæ, spicis ingentibus, candido caule, in multos ramos brachiato, quorum caumina per floris exortum in prælongas exeunt spicas, caulis qui in medio (ut diximus) pro-

rumpit, hircinum urus spirat: quapropter hoc nardi genus in totum reiicitur.

Nardum Celticum uocant Græci, quod alij Gallicum appellant, quia in Liguriæ montibus, item Istria & Gallia (quæ comata dicitur) circa montẽ Apẽninum, præterea in Pãnonia nascatur, post Syriacũ laudatur in orbe nostro, quippe quod Syriaco leuius sit. Pusillus frutex est, qui cum radice uellitur, & in manuales fasciculos digeritur: folia ei longiuscula, flauescentia, flos luteus.

Saliunca, nihil esse debet controuersiæ, quin nardus Celtica sit, uel ex Plinij descriptione, quam cum Dioscoride collatam & eleganter discussam, uideto apud Ruellium. Folioſa quidẽ est, sed breuis, & quæ necti non possit: radici numerosæ cohæret. Herba uerius q̃ frutex densa ueluti manu pressa, breuitérque æspes sui generis dicitur (ait Plinius) unde etiã illud Virgilij in Bucolicis,

Puniceis humilis ædit Saliunca roſetis.

Cum Gallico nardo semper nascitur herba quæ hiculus uocatur, ab odoris grauitate, & similitudine quam habet cum nardo: nam ea herba sæpissimè nardus adulteratur. Vt autem differentiam agnoscas, hoc à nardo distat, quòd sine cauliculo est, & candidior, minoribus foliis: quodque radicæ sit neque amara, neque odorata: quare distinctio perquàm facilis habetur.

Nardum montanum, Græci nardum oream uocant, alij tylacitin, quoniã coriaceis sacculis ad nos aduehebatur: alij nerin appellant: Galenus etiã pyritin. Nascitur in Syria & Cilicia: ramulis & folio eryngij, minoribus tantùm, neque scabris & aculeatis, sine caule, sine flore, sine semine: radicæ nigra, duobus aut pluribus hastulæ regiæ bulbis, gracilioribus, minoribúsque multò, suauiter

olentibus: eiusdē est naturæ cuius & nardum Gallicum.

Nardum sylvestre quibusdam appellatur, herba uulgo nota, quam asarum Græci, nostri baccaram uulgo uel cabaram appellant, Du cabaret, ob id tantùm quòd nardi uim habeat. Sed de asaro in Hortulo diximus.

Pseudonardum, falsa quadam nardi imitatione nomen sibi sumpsit: ubique nascens fruticat apud nos, præsertim montuosis locis, folio crassiore, carnoso, angusto, colore languido in candidum uergente, frequentibus spicis in aristas sparsis, floscaulis purpureis. Gaudet apricis & petrosis, tanta suauitatis fragrantia, ut omneis flores odoris iucūditate prouocet, qua dote uestibus inseritur. Duûm cernitur generum: unum procerius adolescit, & maiorem spirat odorē: quod quia non minus quàm nardum placet, sibi spicæ nomen apud nos arrogauit, uulgus Aspicum appellat. Alterum tum amplitudine, tum odore minus: quod quia balneis, & hominum lauacris expetitur, elotáque omnia, si permisceatur, odoris suauitate commendet, Lauanda uulgò, uel Lauandula cœpit nominari, cæterum simillima. Vtraque perpetua coma canescit, exitu ueris Iunio & Iulio mense spicatur, tum cacumina manipulatim in scopas componuntur, & aliquantum insolata siccantur ad uarios odorum usus. Vtroque Narbonensis prouincia (quantum audio) scatet, & montes & campi uestiuntur. In reliqua Gallia, in uinetis & hortis seritur, tum auulso ramo, tum uiuiradiæ. Itaque plurimùm falluntur, qui Symphariticum nardum & Gallicum siue celticum pro pseudonardo, falsò usurpant.

Est porrò in Indiæ paludibus conchylij genus, quod circa eam regionem, quæ potissimùm nardifera est, inuenitur, nardique frutiem inibi pascitur: quapropter eius

conchylij operculum etiam nardum redolet, unde eo in medicina & odoramentis utimur, Græci id uocant onychem, nos unguem odoratum, à similitudine: id autem est eius formæ qualis in purpura usitur, unde uulgo in officinis blatta bizantia appellatur, nomine à recentioribus medicis tracto, qui blattam purpuram indicam, & blatteum purpureum colorem appellarunt, nos uulgo blaueum uocamus, Du Bleu.

AMOMVM, Indicæ uticulæ genus est, è ligno se conuoluēs in uuæ modum, odorato frutice, foliis bryoniæ quæ ex India importatur, flore uiolæ candido. Falluntur qui amomum sumant pro ea herba quam pedem columbinum uulgo uocant, cùm sit alterum geranij genus. nec minus etiam hallucinantur qui pro rosa hiericontis sumant, quæ quid sit in Hortulo explicauimus.

Cinamomum frutice breui, represso atque humili nascitur, surculosáque, duûm cubitorū altitudinem non excedente, arido: folio origani, siccitate gaudet: cùm uret, parum odoratum: sterilescens imbre, nascitur in AEthiopia Troglodytis proxima, & ad Caucasi radices, quà mare rubrum spectat. Corticem itaque fruticis, cinamomum appellamus, uulgus canellam, De la Canelle, quod tubos & canales imitetur.

Cardamomum, frutex est amomo non dissimilis, odoratus, oblongo semine & anguloso, quod ex Arabia & Media atq; India ad nos defertur: id autem uocamus granum paradisi, Graine de paradis. Itali melligretam appellant.

Cardamomum Mauritanum, uel Cordumenum, frutex consurgit cubitalis, caule quadrangulo, à lateribus leuiter striato, prodeuntibus geniculatim & surculis &

frondibus, hortensi solano non dissimilibus: flore luteo, dependentibus ab alarum sinu rosarũ alabastris, crassiore pediculo nixis, in mucronem sensim turbinatis, per initia uirentibus, in maturitate quàm ruberrimis, uetustate puniceis: cute læui, relucẽte, quæ debisens aut aperta, semina ostendit cãdida, lentis similitudine, in uuæ modum conuoluta, quæ uel per se, uel cum ualuulis gustata linguam adeò uelliant, ut os etiam totum igneo feruore sentiatur deflagrare, tanta inest utriq; comburẽdi licentia. Grana cùm deglubuntur, callum demonstrant pinguem, odoratum, gustu cum quadam astringentia mordaci, quod iã apud nos satum, hac quã repræsẽtauimus forma proueniisse testamur permultis apud nos locis. Vocarunt autẽ quidã uulgò Des merueilles. Cætera Cardamomi genera ac differẽtias habeto ex Ruellio: nam lõgior sim, si quidem omnia perscrutari studeam.

CASIA odorata, quæ uulgo lignea dicitur, frutex est in AEthiopia nascens, uel in tractu Arabiæ odorifero: salicis amerinæ magnitudine, hoc est trium cubitorũ, multis surculosisque brachiatus ramis, colore triplici uariãtibus pro arbusculæ incremento: quũ enim pedali emicat mẽsura, cãdicat, mox addito semipede, rubescit, cætero nigrescit: foliis est piperis, angustis, odore rosaceo, crassiore quàm cinamomum sarmento, neruoso, tenuiq; cute uel mẽbrana uerius q̃ cortice uestito. atq; hic solus cortex commendatur: qui quoniã difficulter à materie seiungitur, qui hunc extrahunt, bicubitales secant uirgas, eásque præsuunt recentibus boum coriis, ut iis putrescentibus uermiculi prodeant qui lignum erosuri excauent, intacto ob amaritudinem cortice. Cæterum pauca sunt de casiæ differentiis dicenda.

Zegir appellata Casia Dioscoridi, genus est casiæ, aspectu purpuræ nigricantis, crassiore sarmento, rosam spirans, præcipui in medicina usus. Ambigit noster Ruellius an id sit lignũ quod ex nouo orbe, siue insulis nouis, ad nos quotidie adfertur, ex arboreſcẽtæ frutiæ, in nodos inflexo, scabioso: cortiæ faciéq; lacunosa, materie dura crispáq;, colore intus buxeo, candido cingente orbiculo, quod prorsus olet rosas: ita ut scobem eius, uel etiã ramentum ligni, pro rosis, uestibus interponi fuerit gratissimũ: nec odore ædit rosis, etiam si decoquatur igni. Iam ex hoc, pectines depurgando capiti, ob odoris gratiã non insalubres fabricant: item alabastros, pyxides, & cætera id genus.

Aliud habetur genus casiæ, ab indegenis achy uocatum, ab Alexandrinis mercatoribus daphnitis: rubescit hoc genus, éstq; pulchri coloris: corali æmulum, foramine uehementer angusto. prælongus est frutex, crassus, fistulísque conferctus: mordaci gustu feruens, & linguam astringens, odoratum, uinum naribus obolens.

Daphnoides, mangonibus dicta casia, nescio an eadẽ sit cum superiore, quã Daphnitim à mercatoribus uocari scribit Dioscorides: ea tenuissimis est surculis, lauri cortiæ. Serebatur olim in hoc orbe, extremo in margine imperij (inquit Ruellius) quà Rhenus alluebat, uiuebátq; in alueariis apum sata: Color aberat ille torridus sole, ob id simul idem odor. ea apes oblectabantur.

Blastos appellatur tertium casiæ genus: aliis germen moselyticum.

Asymphenon dicta casia, inter uiles connumeratur. colore pullo, odore ingrato, prætenui tunica, quæ etiã ultrò dehiscat, & abscedat à corpore: ut quæ citte & daras diuntur barbaris nominibus.

Lacta quæ barbaro uocabulo dicitur, casia est odoris mollissimi, gustu maxime feruens, colore purpureo, quæque plurima minimum ponderis facit: breui tunicarum fistula, non fragili, huiusmodi dotes plurimum probat Plinius.

Balsamoides ab odore simili dicta, amara est, ideóque medicis utilior. Neque multùm abest Ruellius ut credat eam esse quam Dioscorides zegir, Galenus gizer, Aëtius ozen, uocarunt.

Casiam odoratam in Arabia meminit Strabo è stagnis colligi, non solùm ex arboribus, quod facile coniicio propter frequentiam fruticum, quorum cortex est casia: tanta enim est fortassis horum fruticum copia, ut per stagna cortices errabũdi fluctuent, atque ita colligantur, nulla alia excorticandi fruticis diligentia adhibita.

Pseudocasia, casiam ueram germana specie mentitur: eam autem subditiciam à legitima discernes, gustu neque acri, neq; odorato, corticibúsq; medullæ cohærẽtibus.

Inuenitur & lata quædam fistula minimo pondere, tenera, quæ alteri præferatur. Scabra reprobatur, tenuibus fistulis hircinum urus redolẽtibus & squarosis.

Casia uerò quæ fistularis dicitur, Græcis recentioribus syringodes, Actuario nigra cassia (nam sunt qui duplici ſſ scribant) ab aliquibus calamus, id est arundo seu potius Indica canna, in superiori arborum externarum enumeratione descripta est. Nam inter arbores potius quàm inter frutices connumerari debet.

GLYCYRRHIZA, à radicis dulcedine nomen toto frutici inditum, unde Celso plurimísque Latinorum radix dulcis appellatur, Theophrasto Scythica radix, quòd & in Scythia frequens sit circa Mæotim paludem,

& hac radiæ contenti Scythæ, uitam interdum decem duodecímque dies degunt: Palladius glycyrrhidiam uocauit: adipsos dicta Dioscoridi, quòd sitim sedet: officinis liquiritia: Gallis nostris De la Recliſſe ou Rigoliſſe. Frutex est, ramos spargens binûm cubitorum altitudine, foliis lentisci, aut buxi, aut sennæ, densis, pinguibus, tactúque gummosis, utrinque pennatis: caule herbaceo: flore hyacinthi: fructu pilularum platani magnitudinis, asperiore tantùm, & rubescentes lenticulæ ualuulas referente: radicibus prælongis, buxeo colore, gentianæ modo flauescentibus, sapore dulci, quadantenus subacerbo, quæ lycij modo curatæ coguntur in succum.

CARYOPHYLLON, quasi nucifolium existimauit uocandũ Paulus AEgineta (nam Dioscorides aut Galenus nullã fecerunt eius mentionem) frutex est sambuci forma, semine grano piperis simili, grandiori tamen fragilioríque, ex atro ruffescente, in claui modum capitato, exertis in aduersum quatuor denticulis sese stellatim decussãtibus, prominulo apice, quadrati alueoli sinu medio umbiculatim prodeũte: à qua facie clauata Francis sibi nomen claui caryophyllum adoptauit. Nõ desunt, qui caryophyllum repræsentent buxi caudiæ, lauri folio, sed rotundiore.

BALSAMVM (quantum colligere ex diuersis auctoribus potuimus) frutex est proxime AEgyptum nascẽs, in regione quæ nunc Fons solis nominatur, quondam Heliopolis, in Arabia quoque, Sabæorum tractu maritimo, item in Iudæa circa oppidum Hiericho. Eius autem forma est uiti quàm myrtho similior: quidam etiã terebintho similẽ faciunt, rutæ folio, sed exalbido: aliis esse aiunt folio sampsuchi herbæ, coma perpetua, floſculo candidæ

uiolæ aut lyciĳ, sarmentis ferè uitigineis, odore præstantibus, quæ quotannis interputantur uinearum more, & magno uæneũt. xylobalsamum hodie & antiquis etiam diœbatur. Cùm autẽ interputabatur frutex, succus tenuis à plaga manans diligenter colligebatur in cornua, qui succus hodie magno est in pretio apud nos: est enim suauitatis & pretĳ eximĳ, opobalsamum uocamus. eæ deinde succi guttæ in uase nouo fictili condebantur, crassiori similes oleo, & in musto candidæ rubescebant, ac subinde durescebant, è translucido. Vindemiam appellabãt succi colligendi tempus. cuius rationis plura uidere apud Ruellium diligenter collecta. Frutices discrimen in tria fastigia digeritur. primum scabro aspectu incuruum: secundum procerius cæteris, leui cortice: tertium gracilius, tenui & capillacea coma: hoc uocant theriston, ob id forsitan, quòd sua exilitate facilius demetatur.

XYLON quod aliqui gossipion nominant, in superiore parte AEgypti quæ in Arabiam uergit nascens, frutex est exiguus, laniger, palmæ folio, simulem barbatæ nuci gerens fructũ, cuius in exteriore bombyce, lanugo netur in linum candidissimũ mollissimúmq;, quod cotonum uulgo uocamus, ut lanuginem ipsam, Du Cottõ. Frequẽs est hodie in Corsica insula tum frutex tum lanugo, unde aduehentes Veneti non paruũ quæstum faciunt. Fiunt ex hac materia telæ quas xylinas appellare possumus, Toile de Cotton ou Boccassin. Gignitur etiam huiusmodi lanugo in quadã arbore, cuius folia ni minora essent, utium planè poterant uideri: cucurbitas fert mali cotonei amplitudine: quæ maturè ostendunt lanuginis pilas, ex quibus uestes pretioso linteo texunt. Theophrastus laniferas quasdam Indiæ arbores describit mori folio, cor-

pore autem cynorrhodi. sed hæc nihil ad xylon.

Therionarca inde nomen inuenit, quòd serpentibus torporem inferat: frutex est foliis subherbaceis, roseo flore. Plinio alia traditur, in nostro orbe nascens, frutiosa, subuiridibus foliis, flore roseo.

Apocynon Galeno cynocrambe, aliquibus hypomanes, frutex est uenenosus, longis uticulis, malè olentibus, lentis, folio hederæ, molliore tamen, pinnatioréq; , grauì odore, glutinoso, & succo madente luteo. Valuulæ siliquis fabarum persimiles, longitudine digiti, folliculosæ, in quibus semen durum, exiguum, nigricans.

Onagra siue onuris, uel œnothera, fruticat arboris instar. magnitudo quoque ei iusta, amygdalaceo folio, latiore, lilino non dissimili, flore roseo, grandi, radix candida, longa, & cùm sicata est, unum olentæ, nascitur in montanis.

Sed quando iam de montibus sermo est, æquum est nũc, ut absoluto quàm breuissime fieri potuit Fruteto, collem constituamus, in quo herbæ syluaticæ post arbores & frutices ad extremum describantur, quemadmodum paulò antè sumus polliciti.

Collis.

ARBORES in sylua, frutices item in fruteto descripsimus. Supereſt ut locum aliquẽ constituamus herbis syluaticis, & quæ (ut inquit Columella) in herbosis nemoribus succrescunt. Nam quæ syluæ sunt altiores & grandiores, eæ paucissimas herbas producunt in ipsa soli area: aut quia terrenum nullam

habet ſolis iucunditatem : aut quia craſſiſſimæ arborum radiçs totum ipſum ſolum ambiant, ut nihil uel minimus herbulis relinquant, quo enutriri poſſint. In amœna autem ſylua (quod nemus ſuperius appellauimus) quæ plerunque cædua eſt, & frequenter attondetur ad ſolis gratiam, ærtè permultas herbas inuenimus, tum ad arbores & frutiçs conſcendentes, tum etiam humi ſerpentes, & toto ſolo errabundas : uel tunc maximè cum montuoſum eſt nemus, aut ad orientem uergit. Itaque collem conſtituere nobis licet in hac partè, & ob oculos proponere eum locum, quem mox deſcribebamus: in quo, poſt arborum & fruticum deſcriptionem, herbas etiã ſyluarũ breuiter deſcribamus. Incipiẽdum autem à filicto, in quo filicum ſpecies paucis enumerabimus.

FILICTVM.

Filictum uocabimus ſoli tractum in colle aut monticulo, arcta nemora, aut inter fruteta, uel etiam ſeorſim, filicibus omnis generis abundantem. Vulgus noſtrum appellat Fugeraye. Iam igitur filiçs omnium ſpecierum deſcribamus.

FILIX primùm duorum eſt generum, mas & fœmina. marem appellabimus eam filiçm quæ Græcis pteris, ſiue pterion, uulgo oſmunda regalis, Oſmonde real, ſine flore eſt & ſine ſemine, foliis tantùm cubitalibus, ex uno artu porrectis, & utroque latere pinnatis, ſubgraui odore, radiçe per ſumma cæſpitum nigra, oblonga, multis capillamentis fibrata, ſubaſtringente guſtu. naſcitur in montibus & ſaxoſis. Cõſpicitur interdum filix mas uno caule, recto, duorum cubitorum alto, glabro, uiridi admo

dum: è cuius summo duæ ueluti folliculorũ pinnæ assurgunt, breues, subcrassæ, filicis formam retinentes: cæterũ nunquam maiores. caulem si per medium disseces in latum, detorso quod muscosi succi subinde erumpit, conspicies deliniatam ueluti aquilam expansis alis: qualis hodie depingitur.

Thelypteris Græcis, Latinis filix fœmina, uulgò De la Fugere, aliis nymphæa pteris, pluribus ramulis fruticat, foliis pinnatis, quæ nõ singulari (ut superior) pediculo nitatur, radicibus longis, obliquis, ex nigro in luteũ flauescentibus, aliquæ etiãnum rubentes inueniũtur. Ea herba ignis beneficio in solidã materiam coacta fiunt hodie uitra apud nos, siue cyathi uitrei, quibus in poculis utimur. quæ uitra filigna siue cyathos filignos appellare nostris adolescentulis licebit. Verres de Fugere.

Dryopteris in muscosis roborum uetustiorum partibus nascitur, filici mari simulis, nisi quòd minores habet mensuras, folia paulò crassiora, uuridiora, & breuiora, radices habet sibi inuicem implicitas, hirsutas, astricto gustu, subdulces, quibus tusis, fit psilothron (inquit Dioscorides) uulgus nostrum appellat huiusmodi filicem, arboream osmundulam.

Filicastrum quidam appellant, alteram syderitidis speciem, filicẽ foliis referentem: nascitur autem præcipuè (quantũ ipsi uidimus) eodẽ in loco quo superius descripta dryopteris: Lunariã maiorem uulgus nostrũ uocat: foliis & alis filicem fœminã omnino uidetur imitari, binũ cubitorũ, ramulis exilibus, foliis utrinq; diuisis, qualia filicis, pediculo longo, prodeũtibus ex alarũ sinu surculis lõgis, tenuibus, capitulo in cacumine orbiculato, in quo semẽ continetur, quod betæ semine aliquãto rotũdius est ac du

rius. Eo nonnulli mira nugantur posse fieri, si quidem ea nocte colligatur, quæ diem Ioannis festum præcedit: ipsámque herbam aiunt chymistæ quidam, noctibus cum luna lucere, unde lunariæ nomen inditum. Sed hæc Magis relinquamus, quibus etiam alia lunaria nyctegregon appellata, in gedrosia præcipuè nascens, usa est è lõginquo noctibus lucere, unde nuctilopa quibusdam dicta est.

Filiculam Latini uocant, quam Græci polypodium, à pediculorũ multitudine, quasi multipedem, quòd eius herbæ radix multis cirris ueluti pedibus quibusdam imitatur. nascitur in uetustis petris, rupibus, muris præcisis, & uetustis roborũ caudicibus, palmi altitudine, filici similis, subhirsuta, non perinde tenui foliorum diuisura: quæ quidem folia parte auersa fuluis maculis notantur: sine semine est, radice hirsuta, crassitudine minimi digiti, & acetabulis caua, ueluti quibusdam polyporum cirris, pilosa, coloris mtus herbacei, gustu ex austero subdulci.

Dicamus iam de herbis fruticantibus, quæ arboribus syluaticis & fruticibus alligantur.

HERBAE ARBORIBVS circunuolutæ.

Clymenon, siue clymenos, herba à quodam rege sic dicta, Latinis uolucrum aut imuolucrum appellatur: è reipsa, nempe quòd arboribus sese imuoluat, in syluestribus montosisque locis: caulem fert quadratum, fabæ similem: folium plantaginis, sed per extremam oram leniissime fimbriatum: folliculos supra caulem in sese inflexos,

ut in iride, crebrò irretientibus inuicem polyporum cirrus. Officinæ & herbarij partim cypriam uocant, partim etiam saponalem, siue saponariam: argumento quòd pinguedinem quandam in aqua saponis modo remittat. Vulgus segeiam appellat, Herbe a siege.

Periclymenon Græci, Latini uolucrum maius, herbarij caprifolium, Cheurefueil. Scribonius Largus syluæ matrem appellat: unde etiam uulgo matrissylua dicta, & nonnunquam uncaboscum. amplexicaulis est frutex, ramulis lignosis, rufis, geminis per interualla, umbilicatis foliis, à terra cæsius, supernè herbosis, mollibus, baccis syluestris myrti, uel, quod idem est, rusci, cacumine duobus foliis tunicato, ita ut difficulter eruatur, radiæ crassa. Inuenitur in sepibus & aruis, conuoluens se frutticibus aut arbusculis propter assidentibus.

Clematis altera, uolubilis maior appellata, ramis exit rubentibus, uticosis: ambítque uiticulis suis proximas arbores, iis conuoluendo sese ut smilax, folium ei uehementer exulcerans & acre. Sed de clematide, plura in Vineto. nam hæc etiam in uineis nascitur.

Clematidem autem AEgyptiam dictam, quam nonnulli uocant uincam peruincam, inuenies descriptam in Arbusto: item etiam in Hortulo.

SMILAX aspera, folio est periclymeni, ramulis exilibus, multis, paliuri modo aculeatis. Repit per arbores ambiendo eas ab imis ad summa usque. Semen in racemis labruscæ modo cohæret, rubro colore cùm maturuit, gustu leniter mordaci, radiæ crassa, prædura. locis palustribus & asperis enascitur.

Smilax læuis, folio est hederaceo, molliore, læuigatioréque, palmitibus præter spinas, quibus caret, omni

alio modo similibus supradictæ. Cõuoluit se arboribus, quemadmodũ est illa. Semen habet nigrũ, ut lupini, & exiguum, super quod circunquaque flores exiliunt candidi, cœpiosi, orbiculati. Cæterum topiarius est frutex, per æstates uirens, foliis in autumno cadentibus.

CYCLAMINOS altera, uulgo sigillum beatæ Mariæ dicitur, Du seau nostre Dame: folia fert hederacea, minora tantùm, caules crassos, uel (ut Plinius inquit) superuacuos, geniculatos, uicinis arboribus cæpreolorum ritu se cõnoluẽtes: flores candidos odoratósq; : cõrymbos hederæ, sed molles, aliquantum acres, gustu lentis. radiæ est nullius usus in medicina, prælonga tamen, & in uiram molem extuberante, ita ut merito quoq; rapum terræ dici possit.

MALACOCISSON etiã putat Ruellius eandem esse cum ea, quã uulgo superius sigillũ sanctæ Mariæ appellatam diximus. Nanque similitudinem refert hederæ, molliore tamen habitu, ac, ne serpat humi, sese uicinis fruticibus uolumine crebro cõtorquet: folio hederaceo, flore albo, baccis rubẽtibus, crassa radiæ ueluti bryoniæ, eadémque altissima, ut uel aquam haurire, uel lambere fodientibus dignoscatur. quare radix glutinoso turgens succo cùm friatur, in quandam unguinis speciem resoluta fathiscit. Tam aquæ uel cupida uel amans creditur, ut etiam si in asperis offendatur prosiliisse, nimirum aquam subesse quis certior factus fuerit.

SIGILLVM quoque Salomonis appellat uulgus nostrum, quod Græci polygonaton dixere, quia eius radix frequẽtibus geniculorum nodis interuallata tumeat. prosilit in montibus, frutiæ cubito proceriore, foliis lauri, latioribus & læuoribus, quæ gustata, quendam mali cõ-

toneæ aut punicæ saporem referãt cum astrictione nonnulla. Flores per singulos foliorum exortus exiliunt candidi, qui flores, foliorum numerum longè superant à radiæ ad cacumen supputati: nam terni aut plures ab unoquoque sinu foliorum emicant: radiæ candida, molli, longa, crebris nodis articulata, densa, grauiter olentæ, pollicis crassitudine: floribus excussis, baccæ pisi ferè tuberculo dependent, ex uiridi nigricantes, & in quendam ordinem digestæ.

HERBAE LACTE MANANTES.

Tithymali genera omnia à succo lacteo nomen sumpserunt, itaque de iis imprimis agendum est.

PRIMVM tithymali genus, à Græcis characias appellatur quasi uallaris, quòd propter ramos multos uallis & sepibus aptum sit: dicitur & masculinus tithymalus, aut amygdaloides, quia habeat folia amygdalo uel oleæ similia: hodie magna ex parte uocatur expurgia ab expurgando, uulgo esula maior: sesquipedali proceritate digitalique crassitudine prouenit, quinis seníue caulibus, foliis oleæ, sed longioribus, leniter punicantibus, circa radicem duntaxat angustioribus: nam in cacumine iunceam comam gerit: radiæ asperæ, crassæ, inuenitur in asperis.

Secundum genus uocatur tithymalus fœmina, siue myrsinites à foliis, aut caryites à fructu nuci simili: folio est multo maiore quàm myrti, acuto, pungentæ, grauis odoris, ramulis palmeis, alternatis annis frutiçantibus: fructu nucis similitudine, unde uulgo officinis nux uo-

mica dicitur, sed pauciori madet lacte. hac specie in nemoribus sæpe uidimus.

Tertium genus Plinio tithymalus paralius uocatur, siue uno uocabulo tithymal⁹: Theophrasto cocos, uulgo esula minor, peculiariter etiam nonnulli euigilem matutinum uocant, Du reueillematin: suculus est rubentibus, palmum altis, quinis seni sue à radice exeuntibus, foliis lini, angustis, paruis, oblongis, in ordinem digestis, capite in cacuminibus orbiculato, in quo semen, ut cruum emicat, uario colore.

Quartum genus, helioscopion appellant, quoniam capita cum sole circumagat: uulgus uocat tithymalum coronarium, foliis est portulacæ, tenuioribus atque rotundioribus, suculis à radice prodeũtibus quatuor aut quinque, tenuibus, altitudine palmi, rubentibus, albi succi plenis, capite anethi, semine æu in capitulis. gignitur maximè in ædificiorum ruinis & circa oppida.

Quintum tithymali genus cyparissiam uocant in campestribus nascentem, ita dictum à foliorum similitudine: caule est palmeo, aut eo proceriusculo, subrubente: foliis pinus, tenuioribus, mollioribus, exilioribúsque: ut omnino nouella pinus existimari possit.

Sextum, dendroides dicitur, quoniam arborescit, petrophyos siue petræum, quòd in petrosis nascatur, opacans superne in orbem atque comosissimum, succi plenũ, ramis subrubentibus, circa quos folia sint myrti, sed tenuiora, semen characiæ.

Septimum, platyphyllon uocant, à foliorum latitudine: nulli enim sunt latiora folia, uerbasco simile est hoc tithymali genus.

PITYVSA, omnibus herbariis officinisque ac

recentioribus medicis, esula nominatur. siquidem esula fruticosa est, caule supra cubiti altitudinem assurgente, geniculato, foliis piceæ, acutis, exilibus, flore paruo, purpureo, semine instar lenticulæ lato, radice crassa, candida, lacteo succo turgente, quam recentiores Græci, Barbarorum freti nomenclatura, torpeton uel turbet appellauerunt.

LATHYRIS officinis cataputia minor, uulgò Espurge, à purgatoria facultate, tithymali uocabulo quibusdam nosci tur: frutex est, totius lactis copia turgens, caule cubitali, uacuo, crassitudine digiti, in summo eo sunt alæ, folio in caule oblongo, amygdalæ simili, cæterum latiore læuioréque. quod autem ramulorum cacuminibus exit proæriusculum, aristolochiæ, aut oblongæ hederæ figura ærnitur.

Peplos, quam officinæ esulam rotundam, uulgus uineale reuelium uocat, Reueille matin des vignes, quòd sumentes antelucanis excitet, in uineis inuentum, nominant. nanque inter uites & in hortis reperitur, frutex lactei plenus succi, foliis rutæ, paulò latioribus, circinnata coma, palmari, humi procumbente, fructu sub foliis rotundo, tribus loculis discreto, in quibus semen nigrum, papauerini magnitudine.

SCAMMONIVM, succo etiam ferè lacteo manat, alij colophoniam, alij dactylion uocant. ramos habet multos ab una radice, tricubitos, pingues, & quadantenus crassos: folia quoque hirsuta helxinæ aut hederæ, molliora, triangula: florem candidum, malè olentem, rotundum, & cauum æu calathus: radicem grauiter olentem, liquoris plenam, oblongam, crassitudine brachiali, candidam. Colligitur succus capite radicis de-

tracto, & in modum testudinis muersæ incisa cauernula, ut in ipsam lachryma confluat: quæ deinde minutim excipitur.

RELIQVAE HERBAE TAM SYLVESTRES QVAM ETIAM MONTANAE.

Polemonium *siue polemonia aut philetæria, à certamine regum inuentionis, uulgus herbariorum falso ambrosiam appellant, rura bosc aſaluiam,* Saulge de bois. *nascitur locis montosis, macris & asperis, cauliculo quadrato, utroque latere prodeuntibus foliis, effigie nepetæ, saluiæ modo, & scabris & candicantibus: ramulis etiam utrinque digestis, exilibus, quorum fastigia corymbis hyssopi uisuntur spicata, uel, ut uerius dicam, coronata, in quibus nigrum insidet semen: radix struthij uel lanariæ herbæ similitudinem refert, prælonga, cubitalis.* Non *sunt audiendi, qui persicariam uulgo dictam esse polemoniam arbitrentur, quæ folium habet melampyri, aut quod consimile habetur, persicæ: multis calamis ex una radice micantibus, crebris articulorum nodis, fructu quasi grano milij in racemis summatim dependente: sed ista cratæogoni propria sunt.*

De *persicaria autem in prato & lacu diximus, quemadmodum etiam de ambrosia in agro: nam hæc potius agrestis, & in segetibus nascens: illa aquatica, & pratis familiaris est.*

Symphyti *genera, obiter in* Hortulo *attigimus: nunc autem latius describenda symphyti petræi ratio, quando in syluam cadit, & montes potius amat. Itaque sym-*

phytum petræum, uulgò buglum dicitur, Du bugle: non enim est ea quæ media cõsolida uulgò appellatur. siquidem petræum ramos habet origani, tenues, in cacuminibus thymi capitula, præterea suraculis multis conditum est, gustu dulce, odoratum, saliuam ciens: lõgam radicem habet, minoris digiti crassitudine, flore cæruleo, exili: prouenit in petris, unde nomen habet.

Chamæcyssos in Hortulo cum hædera descripta est.

Sanicula, quæ uulgò appellatur à sanandis ulceribus, Du senicle, uidetur esse quartum ranunculi genus, quemadmodum in Prato descripsimus: nam huic speciei descriptio saniculæ plurimùm adstipulatur, ut nihil discrepare uideatur à ranunculo, præterquam radice, quæ paulò longior est, & quodammodo nodosa: hac herba syluæ, luci, nemora scatẽt, ut uerno tempore, floribus huius, aliquot ex nostratibus syluis candicent. Folio est uitis aut apij, rubentibus in fine sectionum maculis quibusdam, suraculis quoque rubris ad radicem, quæ nullis ei capillamentis fibrata subest, capitulis in summo frutice pusillis subnigrisque, floribus albis: succum foliorum senties ex gustu myrrham plurimùm referre.

Cratæogonon cum persicariæ speciebus in Prato descripsimus, etsi nõnũquã in frutetis atq; opacis crescat.

Phyllon, aliis elæophyllon, in montibus & saxosis nascitur, duorum quidem generum: mas arrhenogonon dicitur, fœmina thelygonon, bryo similis est foliis, colore magis herbaceo quàm oliuæ, caule tenui ac breui, radice gracili, flore albo, semine rotundo, maiore quàm papaueris. Fructu tantùm differunt: masculum enim uuas habet deflorentibus oleis non dissimiles.

Heptaphyllon, uulgò tormentilla dicta, in syluis etiam

& montibus nascitur: septem habet circunquaque folia, utrinque lanuginosa, unde heptaphyllum, hoc est septifolia potius, quàm pentaphyllon dici debebit: florem gerit luteum, qui deinde decidens, capitulum quodammodo aculeatum & rotundum relinquit, in quo semen per angulos occluditur: latè ac longè per terram serpit herba: radicem habet longam, humi hærentem, puniceam, qua pharmacopolæ quidam utuntur pro uiperarum carne in confectione theriacæ.

Pentaphyllon autem cum triphyllo in Prato descripsimus: nam magis pratenses sunt & aquosæ, quàm sylueſtres huiusmodi herbæ.

ORCHIS, siue cynosorchis, uulgò testiculus canis, & satyrion munus, quòd eius radix etiam manu gestata uenerem concitet, & eum affectum, quem Græci satyriasin dicũt. in saxosis, petrosis & sabuletis, atque adeò syluis frequentius apud nos inuenitur, quàm in uitibus: folius est circiter caulem imum in terra stratis, oleæ molli similibus, longioribus, angustis, læuibus: caule semipedali, floribus in uerticæ purpureis, radicæ bulbosa, oblonga, in modum oliuæ gemina: superiore quæ durior & callosior est, inferiore quæ mollior & rugosa.

Dupliçem cynosorchin quidam faciunt: marem non fruticantem, flore spicato, utplurimùm albo, interdum nigris maculis uariato, foliis etiam nigra plumbagine maculatis, tribus ad summũ: fœminam, internodiis pluribus distinctam, ramosiore fruticæ, flore ad purpurã inclinante. Vtrunque genus radicem geminam testes referẽtem interdum habet, quorũ sinister dextro superior est & breuior, dexter utplurimùm oblongior & mollior: interdum uidi tres, quodam ueluti naturæ ludicro. Sunt

quibus radix lutea ac in manus effigiem ramosa, unde uulgus, manum Christi uocat. Sed hæ radicum formæ indifferenter utrique satyrio conueniunt, ut nihil ob hoc differentiæ statuere possim.

Orchis serapias, ab Andrea medico dictus, propter multas utilitates radicis: frequens est apud nos in pratis, tamen etiam in nemoribus, sed iis non usqueadeò saxosis uisitur: satyrion maius uulgò uocant: foliis est porri, oblongis, latioribus, pinguioribus, ex alarum sinu emicantibus & inflexis: caule palmeo, flore quasi purpureo, nihil olente: radiæ interdum testiculis simili, interdum manum extensam referẽtæ. Certè memini me reperisse pluribus in pratis, & tum maximè circa Medonium pagum nostræ Lutetiæ uicinum, plantam omnes has supradictas notas eleganter referentem, cuius flos delicatissimum spiraret odorem: sed ab aliis plantis, cum quibus unà crescebat, hoc tantùm differentem, quòd non usqueadeò spicatum florem gereret: erat enim ille rarior, promunentior à caule, delicatius purpurascẽs, & paulò magis expansus: certè caryophyllon redolebat. In summa, quidam ex nostris suauerubentem hyacinthum (de quo tantopere prædicat poeta) esse iudicarunt. Cætera, & foliis & radiæ, dicæres esse eam herbam quæ paulò antè descripta est, nempe cynosorchin.

HORMINVM sylueſtre (nam de satiuo in Hortulo diximus) est quod centrum gallinæ uocant herbarij: uulgus Saulge d'oultre mer, officinæ gallitricum, fortassis pro galli centro (nam aliud est gallitricum) folio est satis ad saluiam accedente, sed paulò latiore, caule sesquipedali, aspero, leuiter hirsuto, in quadrangulum striato, flore subcæsio, ad aquilini rostri effigiẽ falcato, calyculis

pluribus in terram depressis, in quibus ad summum quatuor grana reperias parua, rotunda, subflauescentia, læuia, quibus nonnulli utuntur ad oculos expurgandos.

RVTA syluestris uulgo, Arabibus & officinis nostris Harmel, Cappadocibus (ut inquit Galenus) moly: planta, colles amans ac læta, specie tamen neque odoratu rutæ simulis, sesquicubitali proceritate, caulicalis teretibus, folio minuto, rumicis effigie, sed crispo: floscalis ex luteo candicantibus, odore uiroso, siliquis tripartito distinctis, paulò quàm satiuæ longioribus, in quibus triangulum semen, subrufum continetur.

ELLEBORVS siue elleborum album, montes & syluas amat, ut frequentissimum sit inuentu apud nos circa eum colliculum nemorosum iuxta Lutetiam cui Bruyeræ nomen est (an tamen id sit certò, statuere uix audeam liberè) Itali ueratrum album appellant, rustici Du verare, foliis est plantaginis, sed paulò atrioribus, & interdum latioribus ac minus solidis, canalium dorso rubescentibus, caule quincunciali, ferulaceo, bulborum tunicis obuoluto, radice cepæ modo multis fibris capillata.

Elleborum autem Anticyrense dictum (unde prouerbium, nauigandum esse Anticyram cui communi sensu sit opus) sesamoide siue sesamida quidam uocant: rutæ aut senecionis similitudinem habet, folio paruo, flore candido, radice gracili, nullius effectus: granum sesamæ gustu amarum, unde sesamoides maius dictum, nascitur tantùm in Anticyra.

Elleborum nigrum, etiam ueratrum nigrum à Latinis dictum, ab aliis melampodium, à Melampode pastore, qui primus ea herba purgauerit, sanaueritque fu-

rentes: paulò altius fruticat, quàm superiora genera, foliáque habet herbacea, ferè platani similia, sed minora & spondylio proxima, pluribus incisuris, nigrioráque & subaspera: caulis illi est scaber: flos ex purpureo candicans, & uuæ modo racemosus, semenque in eo ut cnici, quod ab Anticyrensibus sesamoides uocatur, purgationibúsque adhibetur. Radices nigræ, prætenues, ab uno fastigio pendentes æparum niore, in quibus tantùm usus consistit. nascitur asperis collibus siccaneísque locis.

Elleborine, aliis epipactis & borion, frutex est pusillus & minimus foliis, quẽ Plinius in Asia & Græcia nasci tradit. Non desunt autem qui eam herbam esse contendant, quæ apud nostras bruyeras Parisinas usitatur, quam elleborum album esse paulò antè existimauimus: liberũ tamen in hac re omnium iudiciũ esse uelim.

VALERIANA, quæ hodie uulgò minor cognominatur, lucis & cæduis familiaris est, sitientibus & ieiunis locis multò minor cubito consurgit, quanuis lætioribus nonnunquam id æquare conspiciatur. Caulis molli lanugine pubet geniculatus, læui purpura candicans, aliquantum striatus. Folia quadantenus olusatri similitudinem referunt. flosculi summis caulibus emergunt, paruuli, aæruatímque cœuntes, & in purpuram cãdescentes. Radix ex obliquo capillamenta iacit, & in multas plexiles fibras conglomeratur: odorem emittens pinguem, irim cum grauitate potius quàm nardum subolens. Nostræ matronæ hanc herbam ualerianæ nomine agnoscunt, & in febribus ardentibus, carpo admouent, haud scio quàm fœliciter.

Valeriana, quæ maior dicitur, uulgò Vertentret, ea est quam Dioscorides Phu, siue nardum creticum appel-

lat: adoleſcit caule ſeſquipedali, cõcauo, articulato, ex purpura candicãte, folio oluſatri, floſculo lacteo, narciſſi effigie (ſed qui magnitudine narciſſo tamen cedat) per mediũ leuiter purpuraſcẽte. radiæ obliqua, uilloſa, ſubpingui, fibris ueratri nigri modo capillata, nardi odorem emittentibus, cum nonnulla grauitate. Colitur hodie apud nos in hortis quàm ſtudioſiſſimè, tum propter plantæ uenuſtatem, tum etiã magis quòd ad multa medicamẽta ſit utilis.

Inuenitur etiam in incultis circa itinera & prata interdum, herbula cubiti ferè altitudine, foliis naſturtij, lacteo flore, quem æſtate fundit, ſemine in ſiliquulis tam exiguo, ut temerè uſum effugiat, ſed una frequentius radiæ, quàm duabus nititur, odore naſturtij quàm acerrimo, cui rura nullum adhuc indidere nomen, quod equidem potuerim extorquere, niſi quòd obiter herbarius mihi pratẽſem appellauit ualerianam, quod folium cùm primùm exit, alatim & laciniatim diſſectum ſpectatur.

ARON, uere nouo in noſtratibus ſyluis paſſim erumpit: quidam à folij figura pedem uituli appellant uulgò, alij ſacerdotis uirile, q̃ piſtillũ promat exerti ferè genitalis effigie, officinæ corrupto uocabulo Iarũ uocant, Meſues lupha uocabulo barbaro nominat: nonnulli dracunculum, ſiue ſerpẽtariam minorem, quòd ſola magnitudine à dracunculo diſcrepet, cætera ſit ei ſimilis. Folia enim promit, qualia ferè dracunculi, minora tamen, paucioribus ſigillata lituris, caulem ſemiſſem altum, purpuraſcentem, piſtilli facie, in quo fructus croci colore nitet, radiæ bulboſa, candida. Sed non eſt omittendum, quòd ante ſeminis partum ſagaci naturæ artificio dignum erumpit inuolucrũ, palmari longitudine, quod mucronata in turbinem uaginula piſtillum complectitur, & ſuo fouet

sinu, tam est diligens seruandis rerum seminibus natura: sed ubi fructus prægnans fatiscat in hiatum, solida pistilli facies dilutiore purpura rutilãs emergit: & anfractu penitus patente, croca semina spectantur, quæ in coronæ modũ concinnè cõtexta, imam eius partem ambiũt.

Dracunculus autem, qui serpentaria maior uulgò dicitur, siue colubrina, & draconta ab effigie, nascitur in opacis sepibus, simplici caule binum cubitũm alto, læui glabróque, baculi crassitudine, uersicoloribus anguium maculis uariegato, purpureis etiam intercursantibus liturís, ita ut planè serpentis habitum colorémque mentiri uideatur. In uerticè comoso folia prodeunt, sena septenáue, crassiore pediculo, digitorum ritu propendentia, candicantibus respersa notis, rumicis figura, specie tamen hederacea, sed paulò longiore. A` foliato scapi fastigio uagina quædam foris herbacea prosilit, cubitalis ferè longitudinis, in mucronem sensim turbinata, uelut eruptuĩ partus inuolucrum: quæ cùm debiscens sese pandit, purpureum cornu in acumen fastigiatum demonstrat. Ea seminis incremento dissilit in rimam, & tandem elanguescens flaccescit, subarescénsque perit relicto cornu. cuius imam partem racemosus fructus ambit, acinis prima pubertate uirentibus, & per adolescentiam cocti rubore rutilantibus, gustu mordaci, odore uroso, quãdiu ianthinum illud exerit cornu radiæ bulbosa, tenui libro uestita.

Draconteam aliam ostendunt herbarij nostri multis limitibus & lapidosis apud nos familiarem, subrutila radiæ, draconis conuoluti modo, iuncæo cauliculo, glabrescente, per ima tantùm foliato, spicatosq; florum uerticæ, quibus dilutioris purpuræ color inest.

Draconem herbam aliam olitores nostri appellant,

toto genere superioribus dissimilem, quam mirabili quodam modo nasci prædicant ex lini semine, raphanis aut scyllæ bulbis incluso, & sic in terram obruto. Herba est pusilla, caule cubitali, nigro & minuto semine, folio tenui & oblongo, acri, utranque originem prodente, linguam & folio & radicæ amburens, aceti & salis gustu. Quapropter hanc quoque inter acetaria olera gratissimam celebrant, quòd nec salē, nec acetum exigat, utriusque saporē referens, utriusque parentis dotes (ut puto) retinuit.

PHYLLITIS in opacis & præruptis nascitur, interdum etiam hortorum parietibus (quapropter nonnihil de ea in hortulo diximus, sed hîc tamen uberius explicanda) sylvestris rumex appellatur à quibusdam (inquit Dioscorides) Folia enim habet satis ad lapathum accedentia, longiora, anterius lævia, posterius quibusdam uersibus, ceu liris utrinque exasperata, cùm adoleuerunt: rigent ea quidem, & in altum surgūt. Cæterum murorum aut saxorum, quibus hæret, aspergnem sentiens, foris pensiles, ceu uermiculos ostendit, interius summum lævorem repræsentat: nullum florē, caulem aut semen profert: diu uiret, contra gelicida hyemis contumax.

HEMIONITIS, ea cognoscitur esse, quæ falsò nunc ab officinis & herbariis scolopendria nominatur, pleriſque lingua æruina: nascitur in petris: folium fundit dracunculi, instar cornicalantis lunæ falcatum: radicibus cohæret multis, exilibus, nūquam floreſcit, nec caulem aut semen parit, éſt que austeri saporis. Insunt ei à tergo ueluti sessiles neruulorum fibræ, quæ paulum in uersus utrinque digestæ prominent.

Hemionon autem, quòd ea mulæ delectentur appellata, siue asplenion, à purgando splene, scolopendrion

siue scolopendra aut scolopendrula, à folij similitudine cum scolopendra animali: ea est herba quam totus officinarum atque adeò herbariorum cœtus antiquo uocabulo cæterac appellant: in petris & opacis, atque adeò parietibus siliceis nascens: sine caule, sine flore, sine semine: pediculo nigro, folio primùm conuoluto, lanuginoso, mox dextantali, angusto, corrugato, superne uiridi, fuluis neruulis imbricato, uariatóque, utrinque polypodij modo dissecto, radice limosa, cauernosa sicut filicis, candida, hirsuta.

Phalangium, quam aliqui phalangiten uocant, in collibus prouenit, ramulos duos emittens uel tres, pluréue in diuersa tendentes, flos illi candidus, lilio simulis, multis maisuris præcinctus, semen crassum, nigrum, latum, ad lenticulæ dimidiatæ figuram, multò tamen tenuius: radicula est gracili, herbacei coloris cùm eruitur.

HYPERICON, uulgò herba perforata, Millepertuis, quòd folia soli obiecta innumeris foraminibus scatere uideantur, aliis androsæmon, quòd folia & flores triti sanguinem ueluti humanum resudẽt. Galenus etiam ascyron & ascyroides nuncupari tradit, uulgus herbam Sancti Ioannis appellat: in syluis nostratibus plerunque crescit. Sed & etiam in agrorũ sementis interdum surculosa est herba, dodrantalis, subrubens, folio rutæ, flore uiolæ matronalis forma, quem si digitis libeat terere, manus inuenies sanguine cruentatas. nam & oleum in quo flos fuerit macératus, sanguineum concipit colorem. siliquam gerit teretem, hordei magnitudine, semine intus nigro, resinam olentẽ: nanque si nares consulas, siliqua seménque tibi resinaceum odorem repræsentabunt. Duo in hyperico inueniuntur, quæ tibi ærtitudinis faciant

fidem, cruentus cōmæ floríſque triti liquor, odor ſiliquæ ſeminíſque reſinaceus, quæ uix in aliis quibuſcunque huiuſmodi ſpeciebus reperiuntur.

Androſæmon aliud eſt hyperici genus, dyonyſias cognominatum (inquit Galenus) nam inter hyperici ſpeciem connumerandum eſt: in agris potiſſimum creſcens, ſed non perforatum. Herba eſt fruticans prætenuibus feſtucis, ſurculos & ramos rubentes fundens, foliis effigie quidem rutæ, ſed duplo triplóue maioribus, neque perforatis, & cùm teruntur, ſucco ſanguineo manantibus, cauis alarum multis, à quibus in cacumine ſtolones prodeunt pinnati, in quibus flores puſilli, lutei, & in calyculis ſemen ueluti nigri papaueris, lineis depictum. Comæ tritæ reſinoſus odor.

Hypericon uernaculum nuſquam non proueniens, amplitudine à ſuperioribus differt, maioribus ramis, ſurculoſioribúſque, & omnino rubentibus, folio tenui, floribus lutæis, ſemine reſinoſo, qui cùm atteritur, digitos cruentat, quam ob cauſam androſæmon etiam dicitur: ſed rariſſimè perforatum conſpicias.

Androſaces (quantum ego coniicere poſſum) minimum eſt omnium ſupradictarum ſpecierum, & tamen quandam ueluti formam hyperici refert, & in ſyluis ac collibus ſuccreſcit. non uſqueadeò altè fruticans, ut uno tantùm ſurculo, aut ad ſummum duobus adſurgat, floribus & foliis minoribus, læuioribus ac uiridioribus, quæ pertuſa quidem conſpiciuntur, ſed trita ſanguinem non reſudant.

CHAMAEDRYS quaſi humilis quercus à foliorum ſimilitudine, Plinio quercula, aliis triſſago & ſerratula uulgò Germandree, in petroſis & aſperis naſcitur. ſtatur a tota digitorum quatuor altitudinem non excedit, fo-

liis paruis, effigie & diuisura quercus amaris: flore penè purpureo, exili semine, in singulis calyculis, atro. In Agro cætera.

Chamædrys siue calamintha sylvestris, quam etiam Latini trissaginem palustrem nominant, rura chamaram, in montibus æquè ac palustribus nascitur, folio trissaginis, rariusculè per ambitum serrato, modicè lanuginoso, allium subolentæ, gustu amaro & astringente, quadrãgulis caulibus, subrubro flore. Certè ea est, quam nos iure cum omnibus doctis scordium appellare debemus. Falluntur autem plurimùm in hoc herbarij qui hactenus pro scordio sumpserunt herbam bicubitali proceritate, foliis urticæ, paruis, fimbriatis, à pediculo latioribus: allium uehementer odorantibus, si terantur: flosculo lacteo, exili in pellicalis semine, radice oblonga, eiusdem cum foliis odoris. quapropter uulgus nostrum alliariam uocat. potius autem esset scordiotis, quàm uerum quod descripsimus scordium. Plura in Agro.

CHAMAEPITHYS in Agro descripta est.

MYOSOTIS altera, inter alsines genera connumeranda uenit: crescit enim in lucis & opacis ac locis alsiosis: quapropter priorem alsinem in Vineto descripsimus, alteram in hunc locum seruãtes. uulgare nomen apud nos nullum habet, multos producit caules ab ima radice prodeuntes, quadantenus à terra rubros & concauos: foliis est angustis, oblongis, non sine dorsi prominentis exertu, nigricantibus, per interualla deinceps geminatim copulatis, in mucronem desinentibus: coliculis ex alarum sinu prodeuntibus: flore cæruleo, radice digiti crassitudine, multis fibris capillata, satis ad scolopendrium accedente.

Piloſella autem, quam uulgus appellat, ſiue etiam dicatur auricula muris, in ſyluis & montibus creſcens, non reſpõdet ſuperiori deliniationi: eſt enim foliis quadrantalibus, lanuginoſis, albicantibus, in terram ſparſis, flore luteo, radicæ numeroſa, ſed exili, humi quidem in terram proſerpit, & nunquam à ſolo ſuſtollitur, ſed cætera non conueniunt. Itaque uulgare tantùm nomen huic relinquamus.

DICTAMNVM, ſiue dictamnus, item etiam dictamus, uulgò diptamnum: in ſola Creta naſcitur, atque adeò ſolo monte Ida: unde illud Virgilij,

Dictamnum genitrix Cretæa carpit ab Ida.

Qui autem illic fuerunt, herbarum ſagaciſſimi indagatores, mihi retulerunt tria in ipſo monte dictamni genera à ſeinuicem diuerſa ſuccreſcere, quorum quod in ſummo montis iugo creſcit, tenuioribus eſt ramis ac foliis, pulegio ſimilibus, nullo aut caule aut ſemine, omnium eſſe optimum prædicant: quod uerò in ualle atque adeò ima montis parte latioribus aſſurgit foliis, & guſtu mordacioribus, id pſeudodictamnum nominarunt. In medio autem montis, aliam quandam dictamni ſpeciem aſſeuerarunt naſci, proximè accedẽtem ad uerum dictamnum, cuius ego folia ab iis accepta, hodie diligenter adſeruo: ſunt autem proximè ad origanum tendentia, lanuginoſa, odorata, guſtum mediocriter pungentia. Quod prætereà de dictamno proferam, certè mihi non eſt in promptu. Nam ſpeciem eam, quam uulgò oſtendunt pharmacopolæ, nullo pacto dictamnum eſſe crediderim. Quin nec radicem, quam proferunt è Creta allatam, qua peſti inſignitèr mederi ſe quidam iactitant, nunquam exiſtimarim eſſe dictãni: radicæs enim habet minimas

& omnino inutiles. Quo minus est mirum, si in herbarum cognitione multi quotidie nobis imponant.

CACALIA, siue leontice in montibus crescit, uulgò agreste carni dicta: Fruticosa est herba, semine minutis margaritis simili, inter folia magna pēdulo, quæ ad oleagina uel querna satis accedunt.

EVPHRASIA Græcis dicta, quòd lætitiam pariat, aut uoluptates augeat, nascitur in apricis collibus, Autumno præcipuè, herbula est ad hyssopum ferè accedens, sed pusilla admodum, cauliculis purpureis, folio paruo, per ambitum serrato, flosculo interdum albicante, interdum subcœruleo, macula ueluti aurea per medium insigni. Quidam pampinulæ simulem fecerunt, folio tantùm minore ac magis serrato & lentiusculo, minus fruticosam, flore luteolo.

GEVM nonnulli eam esse suspicantur, quam uulgus diaboli morsum appellat. quod si ita est, sesquipedali fastigiatur altitudine, foliis bugloſſo læuioribus, solidioribus, & leuiter laciniatis, flore purpureo, radicibus nigris & circãrosis, unde uulgare nomẽ nascitur in opacis.

Iuxta rumpotinam arborem uel populos præcipuè uiduas, nasci Plinius tradit herbam, quam Galli (inquit) Rodoram uocant: caule uirgæ ficulneæ modo geniculato, foliis urticæ, in medio exalbidis, quæ procedente ætate, tota rubentia conspiciuntur, flore argenteo.

ASCLEPIAS ab Asclepiade muentore dicta, à quibusdam cission siue cissophyllon à foliorum similitudine, unde nonnulli ex nostris hederalem uulgò uocarunt: inuenitur in nostris montibus & syluis: Fruticosa est herba, ramis oblongis, folio hederaceo, sed amplexicaule, flore grauis odoris, semine securidacæ, radice nu-

merosa, tenui, odorata.

ORIGANVM, etsi quòd in montibus crescat nomen habet, tamen quia in hortis hodie diligentissimè cõlitur, eius genera in Hortulo requirito. Illic etiam pulegij montani descriptionem uideto.

SESELI Massiliense, quidam saxifragiam maiorem appellauerunt, quòd mediis è saxis erumpat, alij falsò siler, sed mõtanum: nam in montibus crescit, atque interdum etiam in pratis, foliis fœniculi, crassioribus tantùm, caule uegetiore, umbella anethi, in qua semen oblongum, anguloſum, degustanti acre: radix ei longa est, iucundi odoris.

Seseli AEthiopicum, folio est hederaceo, sed minore, in longitudinem porrecto, periclymeni modo: frutex alioqui magnus, sarmentis bicubitalibus, in eóque dodrantales rami, capitula ut anethum, semen tritici modo dẽsum, nigrum, amarum, acrius & odoratius, quàm Massilien se, perquàm suaue est.

Seseli Peloponnesiacum foliis est cicutæ, sed latioribus & crassioribus, excedens Massiliense caulis amplitudine, quem ferulaceum cõtinet. Summum eius lata umbella occupat, semen complexa odoratum, latius, carnosius. prouenit in locis asperis, riguis collibus, insulis.

Tordylion quod & creticum Seseli cognominant, Paulus gordylion, alij Syreon (inquit Plinius) nascitur in Cilicia monte Amano, herbula fruticosa, seminis rotundi gemmatique, forma clypeolari, gustu subaspero, bene olẽte radiæ.

ASTRAGALVS Romanis talus, grandula & ficus terræ, nostris uulgò cicer montanum uel rusticum. Herba est fruticans, folio & ramis ciceri similis, flore

purpureo, paruo, tereti radiæ, raphani modo grandi, quæ adnatas habet appendiçes admodum duras, ueluti cornua inter sese implicatas, gustu astringentes. Inuenitur in petrosis, & locis uento perflatis. Ciceulam esse diceres, nisi radix tanta subesset. Vulgus nonnunquam syluestres erras uocat, hoc est, ciceulas.

DELPHINIVM à foliorum cum delphino inuruo similitudine appellatum, eam esse putant quidã, quæ à nostris herbariis uulgò dicitur, filius ante patrem: fortassis rectius appellaturi, si partus ante conceptum dicerent: siliquam enim & semen ante floris exitum ostendit: Buccinariam alij uocant, ob teretis siliquulæ per extremum in expansum florem exeũtis similitudinem. Inuenitur in asperis, & locis totius diei solem accipientibus: surculis à radice una pedalibus, foliis paruis, tenuibus, intersectis, incuruis, longiuscula delphinis effigie, flore uiolæ matronalis, subpurpureo, semine in ualuulis teretibus exiguo, milio non dissimili. Hallucinantur qui delphinium esse senam Mauritanis dictam existimant, reclamante perquam euidenter totius herbæ pictura.

PEVCEDANVM à pinu uel amaritudine sic dictum, in montibus opacis gignitur, caule tenui, macilento, fœniculo densitate simili, iuxta terram comoso, flore luteo, radice nigra, succosa, grauis odoris, crassa. Eius herbæ succo & radice medici utuntur.

EPHEMERON putat esse Ruellius ex descriptione Dioscoridis, quod hodie uulgò lilium conuallis appellatur, Du muguet, de quo in Hortulo diximus: nascitur enim sua sponte in opacis & lucis: unde nomen lilij conuallensis: caule multo, tenuiore, flore candido, suauiter olente, gustu subamaro, semine molli, radiæ digiti muni-

mi crassitudine, singulari, longa, astringente, odorata. Dicta Ephemeron, *quòd flos eius confestim deciduus non longius, quàm uno aut altero die integer appareat, uel quòd eo decerpto, dies una sit ei uita longior, adeò fugaci sortæ prædita est hæc planta.*

CENTAVRIVM *maius, quod uulgò (sed falsò tamen) reupontieum dicitur, & cuius radix pro rhapontico ostenditur: colles amat qui pubentibus urent lucis, & nemoroso cinguntur orbe, gaudet apricis, frutetosis tractibus & arboribus conferctis. Planta est ab radice fruticosa, caulibus ternum cubitorum geniculatis, folio iuglandis per ambitum crenato, uirenti & oblongo, flore subcæruleo, capitibus papaueraceis, semine cnico, radice uasta, fragili, tenera, rubescente, succo rubro, madete. Quod autem uulgò centaurium maius ostenditur, & centaurea maior appellatur, lysimachiã esse putat* Ruellius.

Centaurium minus in Lacu describetur.

Verbascum sylueſtre, item etiam AEthyopis *in Agro explicabitur, quemadmodum & syderitidis species.*

BETONICAM *Latini appellant, quam Græci æstron, quòd locis alsiosis gaudeat, uulgus* Butoesne: *caule assurgit cubitali, uel eo altiore, quadrato, foliis quernis, per ambitum serratis, proxime radicem maioribus, odoratis, semine in summis caulibus, modo satureiæ spicato: floribus purpureis, radice ueratri, numerosa, tenui.*

Betonica altilis, item alia quæ Briannica dicta est, ad Hortulum attinet.

INDEX PLANTARVM ac vocabulorum ad agriculturam pertinentium.

A

¶Abbaiſſer & accoler la vigne 345, 348
abellina 212
abies 280,580
ablaqueare arbores 147,282
ablaqueare vitem 346
ablaqueatio 147
abricotier,abricot 170
abrotonum 51
abſinthium 51
abſinthium marinum, Ponticũ, Romanum 52
¶Acæna, virga bubulci 422
acantha leuce 557
acanthos ſiue acãthus 64,72
acanthion 557
accouſtrer vn iardin 10
acer cãpeſtris 596
acetum 406
acetum mulſum 406
acetum Scyllinũ 406
acetarium 61
de l'Ache 77
achy, caſiæ genus 619
achras 174
acinum 57,373
acina rugoſa 373
acini 222
acinoſus 373
acinaceus 373
acinaceum vinũ 401
aconitum pardalianches 449
acratophorum vinum 401
acrifolium 189
ἀκρόδρυα 157,563
acrum terræ 416
actus in agro 416
acus paſtoris 66, 458
¶Adæquare & adobruere vitem 348
adarcha, arundo 529
adelphides 209
adianton 16,555
adynamõ vinum 404
adipſos 611
adipſon 565
adiugare boues 421
adminiculare vites 350
adobruere arbores 148
des Adoz 334
adrachne 599
adumbrare vineas palmitibus 349
¶AEgilops 430, 464,573
ægyptia faba 439
ægyptia ſpina 559
ægiritæ fungi 511
ægirynon 539
ægonychon 479
æſculus 572
æſculetum 573
æthiopis 450

¶Affier ou affi-
cher, ou piquer
des plantes fer-
tiles 144,230
affier par troncõs
140
¶Agaricũ 572,581
ager 414
ager frumẽtarius,
419. noualis,
415. pinguis,
100. veruactus,
415
agri partes ex di-
menſione 416
agri deſcriptio 103
agri vitia 415
agriculturæ voca
bula 417
ageraton 448
agere folia quãdo
dicitur arbor
137
agere gemmas
137
agere radices in
profundum 131
aggerare arbores
148
aggerare terrã cir
ca arbores 148
agigartos, vua 377
agnon 536
agnus caſtus 536
agria arbor 576
agrielæa 195
agrimonia vulga
ris 507
agripalma 52
agroſtis 359,447
¶Aigleuces, vini
genus 404
de l'aigrette 369
αἶξα 434
vne aire 36
aizoon 15,16
¶Alabandica ca-
nabis 436
alba ſpina 557
albifenus, herba
472
albucus 95
alcanna 20
alcea 64
alcocalus 85
alectorolophos,
herba 470
alga 552
alica, tritici genus
43
aliſier, aliſes 189,
577
aliſina, herba 480,
518
alizæ fungi 511
alyſſon 44
vne allee 21
alleluia, herba
498
allia 213
alliaris, herba 471
alliaria 643
alligare dolia 389
allium 91. ſylue-
ſtre, porrinum,
vrſinum 93
alnus 597
alopecuros, herba
470
alpina populus
540
alſine 361
althæa 475
de l'Aluine 51
¶Amãdes, aman-
dier 213
amanitæ, fungi
511
amaracus 53
amaracina vnguẽ
ta 53
amaranthus 49,
472
de l'Ambre 536,
540
ambroſia 372,457,
632
ambulacrum, am-
bulatio 21
ambubaia 62
ἀμέθυστος 336
amentum 139
amychæ 212
amygdala 212,216,
279,290

amygdala naxea 215
amygdala nux 200,292
amygdaloides 619
amineæ vites 331
ammi 445
amomum 617
amorge 199
ampelopraſon 78, 369
ampelos agria 31,315,318
ἄμπελος ἥμερος 320
ampelos leuce 31, 318
ampelos melæna 318
ἀμπελυργία 345
ἄμωρον 421
amputatio 280
amputare vitem 340
amurca 199
amurca recens 116
¶Anacacabea 189
anacardum 602
ἀναδενδρωδεῖς 321
anagallis 362,469
anagyris 607
des anches 530
des ancholies 48
anchuſa 447,461
andacocha 499
andrachne 65
andrachne agria 16,365,366
androcyle 75
androſaces 642
androſæmon 642
anemone 49,467
anemone erratica 49
anethum 60,85, 110,112,580
angelica 612
anicetum 85
aniſium 109
annotinum vinũ 401
anonymos 606
anonis 474
antes 341
anthedon 192
anthemis 58,479
anthemon folioſum 471
anthyllis 478
anthyllon 472
anthirrinon,anarrhinon 363, 464
anthriſcus 453
antite 403
¶Aparachitõ 403
apertus ager 415
aphace 496.aphærema 431
apharca 599
aphroſcorodon 92
apium 76,109
apium ranarum 502
apocynon 623
apollinaris 448
de l'apparitoire 14
appẽdix ſpina 559
des appetits 94
des apricots 180
¶Aquatile piper 554
aquifolia 123
aquitania 186
¶Arabica ſpina 559
arabicus calamus 531
arathneum 290
aratillus 369
aratrum 419,420
arbor 124
arbor agria 576
arbor coliculum agit 125
arbor nouella 125
arbor pomifera 125
arbor quo pacto detruncetur, & ad inſitionem præparetur 147
arbor retorrida 125
arbor vetula 125

arbores coniferæ 578. glandiferæ 569. lætæ 124. præcoquæ 171. priuatæ 278
arbores quomodo inſerantur 254,256
arbores vermiculationi obnoxiæ 285
arbores vrbanæ, quibus morbis intereant, quæue patiãtur incommoda 285
arborum culturæ ratio antiqua 283
arboris partes 119.
arborator 127
arboreſcere quando dicũtur plãtæ 126
arboretum 127
arbre portant põmes ou poires 125
arbres beaux & bien cultiuez 124
arbre ieune ou vieil 125
arbres plantez en eſchiquier 129
arbre fruictier 125
des arbriceaux 125
arbuſculæ 122,125
arbuſta 122
arbuſtare 321,534
arbuſtare agros 321
arbuſtiuus locus 126
arbuſtiuum vinũ 321
arbuſtum 321,533
arbuſtum Gallicum 534
arbuſtum Italicum 534
archemora 190
arceuthys 29
archeutos 585
arctiõ, herba 450
arcturus, herba 450
area 37,38
area cœmiterii D. Ioannis 37
area coronalis 39,40
area eſcaria 79
area Grauiæ 37
area Malberti 37
area odorata 39,51
area olitoria 39,61
area plana 37
areæ quomodo faciendæ 104
areator 36
areola 37
areſta bouis, herba 455
argemone 468
argentaria 506
ἀργὸς 332
aria 600
ariana ſpina 558
arinca, frumenti genus 418
ariſtalthea, herba 475
ariſtolochia 368, 369
armamentaria arundo 528
armel 58
armeniaca mala 226
des armoiries 44
de l'armoiſe 54
armoracia 87
arnogloſſis 445
aron 638
arpentum 416
arreſtebeuf 475
arrhenogonum 633
des arroches 74
arrouſer vn iardin 10
artemiſia 54
artichault 85
articocalus 114

articuli 310
articulatio 288,381
arundo 525. fistularia 527. sagittaria 527. vernacula 526
arundinum natura 524
arundinetum 524
¶Asa odorata 613
asarum 616
ascalonitæ 94
ascyroides 641
ascyron 641
asclepias 645
asyla 469
asymphenon 619
asparagi 109
asparagus erraticus 67
des asparges 67
aspergula, asperula 446
asperugo 457
asphaltion, herba 497
asphodelus 95, 482
aspicum 616
asplenion 16,640
astaphis 374
astaphis agria 317
astragalus, herba 646
astroboliſmos 286
¶Atanasia 58
atraphaxis 74
atrifer iuncus 521
attriplex 74,75, 108,452
atteler 421
attinia 322
attinia vlmus 538
attondere vites 150.346
¶Auantpesches 171
aucupatoria arũdo 518
de l'aueine 430
des auelines 215
auena sterilis 462
auenago 464
auenerõ ou aurõ
aula 286
aulbespine 557
des aulbifoins 41 430
auletros calamus 529
aulne 597
aulneaulx 597
des aulx 92
aulx sauuages 93
auorter 350
auricula muris 643
de l'auroesne 51
austerum vinum 395
¶Axis aratri 420

B

¶Baccæ lauri 545
baccara 616
bacchar 46
baccharis 46
bacculæ myrthi 547
de la bacille 66
bacinus pratensis 515
bacinuli 502
bacinuli duplices 503
des baguenaudes 34,610
des baignoires 390
bailler sollaige 151
bailler iour 151
balanum 563,564
balaustium 166
balsamina 32
balsamita 68,553
balsamoides 620
balsamum 621
des balustres 166
baptisecula, herba 472
barbe Dieu 69
des barberies 44
barbotina 52
barbula hircina

455
bardana maior 451
du basilic 57
du basilic sauuage 57,374
basilica, siue basilicon 57
vne bastardiere 120
bastardieres 226
bateur en grãche 37
batis,baticula 66
vn batoir 36
βάτος 18
batrachion 502
batus idæus 19
du baulme 55
¶Bdellium 592
¶ Beaulse Solongnoise 429
bechion 450,555
bedegar 19,557
belgemella 161
bellaria liberi patris 404
bellius,bellis,bellio 505
belsia Secalonica 429
belueder 49
beniuyn 613
bennæ 389
berberis 20
vn berceau 23
de la berle 68,553
vne besche 354
bescher au pied, ou bescher a l'étour des racines 147
beta 75,108
beta aquatica 515
beta pratensis 505
betonica 505,648
betula 597
¶Bidens 354 423
bigemmes palmites 137
bimum vinum 401
bipalium 354,423
bipinnella 66
bisslingua 543
bismalua 64
bisner 343
vne bisnoire 10
vne bisnoire ou marre 355
bistorta 456
¶Blãche mousstarde 78
blanche putain 611
blaptisecula 17, 41
blatta bizantia 617
blattaria 482,450
blatte 111,115
blauerli, herba 472
du bled 426
du bleu 617
blistres 76
blitei 76
blitum 76,108
blotris 583
¶Boarica, herba 458
bocquet 561
bœotium, raphani genus 443
du bois 133
bois a gland 561
bois de haulte fustaye 560
bois de plaisance 562
bois planté de diuerses sortes d'arbres 561
bois puant 607
bolbus 94
boleti,fungi 511
bon vin & odorãt 395
bonnes dames 74
bonifacia 543
borago 71,464
boscisaluia 632
bostisouchetum, herba 456

boſtrichitis, vinũ 400
botheca 81
botteler 492
boucquetdefleurs 642
du bouys 29
bouleau 597
boullir es muyz 398
boullon blãc 449
bourdelaiz 378
bourgeſpine 559
vn bourriõ 137,637
bourionner 137, 350
des bourroches 71,474
des boutons 137
bouttõner 137,309
bouttons grappez 309
¶Brachia 306
bray 579
branca vrſina 65
brance, farris genus 428
braſſica 73,108,384
braſſica craſſa 73
braſſica ſylueſtris 75
brathy 30
brya 539
vn brin 312
bryon 134,551,552
bryonia 31,318
bryonia nigra 31
britannica coronaria 44
bromos 430,465
briza, frumẽti genus 430
bruchi, chorũ 115
contra bruchos remedium 118
des bruyeres 605
bruſcum 546
¶Buceras 495
buccinaria 647
bucranion 363
du bugle 50,633
bugloſſa, bugloſſum, bugloſſus 71,463
buglum 633
bugrandis 455
buiſſon 561
bullina 95
bulbus 94
bulbus agreſtis 94,508
bulbi ſalaces 94
bumelia 598
bunias, leguminis genus 442
buphthalmos 448 458
bupleuron 76
burdegalavua 378
burſa paſtoris 453
burſault 536
butoeſne 648
butonius 513
buuette 401
buxus 29
buxea ſpina 558
buxeta 29

C

¶Cabara 616
du cabaret 46,616
cacalia 645
cachla 458
cachrys 19,139
cædere arbores 151
cædere fabam 425
cædere prata 489
cædere ſyluã 560
cæpe caninum 369
cæpula 475
calamenthum 54
calamintha 54
calamintha ſylueſtris 643
calaminthæ cremor 117
calamita 592
calamus 136,141
κάλαμος 525
calamus odoratus 531
calami lachrymãtes 134
calami quando & vnde legẽdi 142

calathiana 48
calcitrapa, herba 519
calea 609
calendula 45
calyx puluinatus 213
camamina ſurculoſa 463
camelina, herba 463
camomilla 479
de la camomille 58
campana 481
campanella 300
campanula 368
campæ 115,116
campeſtre rapiſtrum 462
campeſtris ager 414
campiniones 511
canabis 435
canabis Alabandica 436
canabis ſurculi 117
canaria, herba 453
canarius deus 360
cancer 20
candoſocci 312
canella 617
caniculæ 290
canirubus 19
canineca, herba 508
canis dens 447
caniſtri vindemiatorii 387
canna 525,526
cantabrica 453
canterius 352
cantherinum, hordei genus 417
capillamenta 129, 130
capillus Veneris 16,555
capiſteriũ, inſtrumentum 424
capnia 319
capnos 363,364, 463
capparis 67,110
des cappres 67
caprea 300
capreoli 308
caprificare arbores 202
caprificus 202
caprifolium 617
capriola 360, 466
capulæ 200
capulatores 200
caput vitium 308
carbunculi 118
cardamina 68
cardamomũ, cordumenum 617
cardamomũ Mauritanum 617
cardamum 68
cardiaca 68
cardo 342
carduus ſatiuus 114
carycæ 205
caryites 619
caryon 212
caryon aromaticum 216
caryon baſilicum 211
caryophylli 44
caryophyllon 213, 457,621
caryophyllata 446
caryotæ palmulæ 208
carottes 91
carpere manibus frondes 150
carpeſia 548
carpinus 596
vn Carreau 38
carruca 419
carus, ſiue caros, ſiue carum 91
caſia 465
caſia fiſtularis 602,620
caſia odorata 618, 620

caſtanea 265
caſtaneæ 226,276
caſtaneæ nuces 291
caſtanetum 123, 183
caſtrare arbores 150
caſtratio 151
cataputia minor 631
catanance 451
cate boyelle 363
caucalis 452
cauda muris 366
cauda vuæ 371
caudex 131
caules 131
¶Cedrus 29,280, 593
cedrea oleoſa 594
cedrelæum 694
cedrelate 593
cedrides 129,594
cedrius liquor 594
cedria 593,594
cedrium 594
vn cedre 129,593
cedrula 593
celebrare vindemiam 385
vn Celier 300
cella vinaria 300
cenchron, legumi nis genus 432
cendre clauellee 400
centaurium maius 648
centinæ 290
centrum gallinæ 635
centunculus 477
cepa cepæ 91
cepæ,arum 112
cepæa,herba 459
cepollæ 92
cepulæ 566
cera 75
ceraſus 183,266
ceraſi 276,230
ceraſia 292. acerba 277. actia 184. aproniana 184. aquitanica 275. cæciliana 184. goguya 275. Macedonica 184
ceraſeta 122
ceraſetum 123, 183,233,276
ceriſes 185
ceriſier, ceriſaye 183
des Ceriſes heaulmees 186
ceraſtæ 286
caratia 187
ceration 188
ceratonia 287
cerchys aratri 421
cerræ,leguminis ſpecies 438
cærephyllum 72
cerneau 214
cerrus 575
ceruix 308
ceſaro 437
ceſtron 648
ceſtus 326
ceterac 17,641
¶le Chable a tirer au preſſoir 392
chærephyllum 110
chalcas 448
chalchanthemon, herba 448
chamæbatos 19
chamæceraſus 185
chamæcyparisſon 585
chamæciſſos 14
chamædaphne 544
chamædrys 457, 571,642,643
chamælæa 196,611
chamæmelon 56, 479
chamæmeſpilus 193
chamæpitys,herba 480
chamæplatani 550
chamæzelos 207

chamæriphe 207
chamara 643
chamelada 452,465
chameleuce 515
chamepeuce 451
chantepleure 10
chanure 435
chappeaulx 40
chappeaulx d'hyuer 41
chappeliers, chappelet 41
characia 32
characias 527,629
charme 596
charue 419
chauſſons 48
chelidonium 15
chelidonium minus 470
chenilles 116
des Cheruits 91
cheſne 571
cheſnaye 561
cheſnefueil 627
de la Cheurette 360
de la Chicoree 62
de la Chicoree, ou endiue ſauuage 65
chiendent 360
chiliophyllon 506
chirolabes, aratri genus 421
chondrilla 62
chondrus 431
des Choulzcabuz, creſpes, rouges 73
chryſantemon, herba 448
chryſolachanũ 74
chryſophorũ 540
chryſtocul⁹, herba 457
churlus, herba 466
κώαμος 17,458
cyathi filigni 625
ciboules 92
cicer 116,437
cicer mõtanũ 646
cicerago 189
cicerbita 63
cicercula 496
cichorium 62,108
κιχίδες 139,567
cyclaminus 88
cyclaminus altera 628
du Cicotin 367
cicotrinum 367
cicum 166
cicuta 449
cicutaria 463
du Cidre 174
cidrea 174
cydonia ſylueſtria 170
cydonia mala 168, 169
cydoniatum 169
cydoniatum Lugdunenſe 169
cigua 449
cilibraca, herba 452
cylindrus 36
cymæ arborũ 141
cinamomum 617
cinara 85
cynia 74, 359, 452
cinis clauellatus 400
cynocephalon 463
cynocrambe 74, 359, 451, 623
cynogloſſos 464
cynoides 463
κυνόσβατος 19
cynoſbatos 67
cynoſorchis 501, 634
cynoſrhodos 19
cypariſſia 630
κυπάρισσος 584
cyperus 522
κυπερός 7
κῦπος 6
du Cyprez 51,585
cypria 627
cypria arundo 526
cypros 20
circunciſitia vina 400
circũfodere arbo-

res aut vites 147
circunfodere radicem 131
circunfossor 147
circunfossura 147
circũmunire plantas arborum cuneis 147
cirrhi 308
cyssampelos 14
ciſſaron 610
κῶνος 13
ciſſion 645
ciſſophilon 645
ciſthos 610
ciſtula 241
citharon 610
cytiſus 499
citrago 60
vn Citron 60
des Citrons 167
citrus 600
cytinus 165
citreæ menſæ 167
citria mala 293
citrinus color 167
citromela 168
citronia 167
κόττπαρα 140
cittoſis, vitis morbus 382
ciuiere a fiens 423
des ciuots 92
Κκλάδος 136
κλάσις 345
clauſtmos 288
clauus 288
clauiculi 308
clematis altera 627
clematitis 369
cleonæum 443
clepſydra 10
clymenon 16,626
des Clochettes 368
Cneorum 465
cneſtrum 465
cnipes 290
Cocalus 85
coccali 579,583
coccomelea 179
coccos, herba 630
coccus, frutex 577
cochleæ 115
cochlea torcularia 391
cocles 468
cocolobis 331
cocolurdæ 473
codex 131
du Codignac 169
codion 94
codymala 168
coing 81
coings ſauuages 170
coigneſſes 169
vn Coignier 168
colatorium in torcular 392
colchicon 508
colere ſyluam 560
coles vinearii 300
coles vitis 306
colytea 601
colymbades oliuæ 295
colligere fructum 138
colligere vindemiam 385
collis 613
collinus ager 415
collucatio 151
collum gruis 66
κολοκύνθης 35
colophonia 631
color querneſinus 577
colubis 331
colubrina, herba 454,639
colubrina vitis 318
columbaria, herba 519
colutea 34,601
compaſcuus ager 415
complans 332
compluuia iugorum 326
concombre 82
condiſum, herba 482
confirmare radices 303

congeneres vettonicæ 44
κωνίον 449
coniferæ noſtrates 580
conopos 360
κώνος 582
conſerere hortum 9
conſerere locũ 10
cõſerere vinetum 298
conſerere vineas 340
conſiligo, herba 454
de la conſyre 50
conſiſtens vinum 396
conſolida media 504
conſolida minor 50
conſolida minima 504
conſtituere vineas 340
conuertere fœnum 492
cõuoluulus, vitis morbus 291
conuoluulus, herba 59,191,367
du Coq 56
du coquelicoq 86
des coquelourdes 40,49,468
des coquerelles 34,49
des coquerets 34
la coquille de la noix 213
cor arboris 134
corago 71
corallion 362
corbis pabulatoria 423
corbis doſſuaria 423
corbis meſſoria 423
corbulæ vimineæ 387
corchorus inter olera 363
cordia 186
cordum fœnum 490
coriandrum, corianon 84,109
corylus 212,230, 275
coryletum 212,232
corinthius raphanus 443
corion 84
corma 266
vn cormier 191
corna 191,293
corneola, herba 509
corneilles 191
cornoillier 190
cornu cerui, herba 454
cornus, arbor 190
corona frõdea 135
corona regia, herba 499
coronæ hybernæ 41
coronaria 25,41
coronamenta 40
corolla 41
corollarii 41
coronæ aratri 421
coronopus, herba 361,466
cortex 133
cortex vlmorum copioſus 241
in cortice inſerere 250
corticula 134
cortinæ vinariæ 390
coruinus 361
coſtus, coſtum 56, 316
cotyla fœtida 60, 84
cotinos 195
cotonea malus 266,277
cotoneum malũ

169
cotoneorum condendorum vſus 293
cotonium 622
du cotton 622
vne couche 38
coucher les ſcions 153
couldre, couldroye 212
couler 334
couleure 382
de la couleuree 31,318
le coulouer du preſſouer 392
le coultre 422
couper les arbres 151
vne courge 33
du courpieu 361
vn courſon 312
couurir 417
¶Cradatio 287
cradi 287
crambe 73
crambe capitata 73
crãbus, vitis morbus 382
cramoiſy 577
crania vel cranias 190
crapauldine 364
cratæogonon 510, 633
crates ſtercoraria 422
cratire pratum 487
du creſſon 68
creſſon alenois 68,553
creſſon de Cailly 553
creſte marine 66
crethmon 66
crines vitium 308
cripolion 500
criſta gallinacea 519
criſta, herba 470
crithamon 66
κρίθη 427
crithmon 60
crocea camomilla 458
crocus 77
¶Cubebæ 548
cucumer anguinus 451
cucumeres 113
cucumis 82
cucumis ſyluestris 451
cucurbita 33,83,114
cucurbitæ cameratiæ aut plebeiæ 33
le cueur de l'arbre 134
des cueurs 186
la cuiſſe d'vne noix 214
culices 115,117, 290
culpatum vinum 406
culter aratri 421
culter maior 241
cultelli curui 241
cuminum 109,435
cuminũ AEthiopicum 445
cuminum Alexãdrinum 445
cuppæ 389
cuppula 83
cupreſſus 278, 280. cretica, mileſia, pumila, tarentina 585
cupreſſetum 561
curaige 554
curer 151
cuſcuta 59
des cuſins 547
cuſpides 353
cuſtos 305,307
cuſtodes & ſubſidiarii 311
cuſtodes vinarii 300,305
cuues a vin 389

D
¶Dactyli 208
dactylion 651
damasonion 518, 480
daphne 541,543
daphne Alexandrina 543
daphnides 545
daphnitis 68
daphnoides 544, 619
das,dadion 584
des dattes 208
daucus asininus 505
daucus creticus 504
des daueſnes 180
¶Decacuminare arbores 151
decacuminatio 280
decapulare 200
decerpere fructū 138
decorticare arborem 134
decorticatio 291
decuſſis 145
decuſſare vineas 342
defluit fructus 334
defrugare 419
defrutum 402
defrutum conficere 403
defrutarium 403
defrutare 403
dei oculus, herba 473
delibrare arborē 134,149
delibratio 282
delle carobé 188
delphinium, herba 647
dendritides 321
dendroides 630
dēdrolachanis 87
dens canis, herba 447,466
dens leonis 63
dentale aratri 421
depaſtio animalium 289
depilatorium 31
deputatio 151
deſatteler 421
deſchauſſer les arbres 147
deſecare prata 489
de la deſpenſe 401
le deſpenſier 399
deuteriæ 401
¶Diaboli morſus 645
diachyton vinum 404
diaphœnicon 208
dicoccum triticū 430
dictamnum 644
digitelli,fungi 512
dilapidare agrum 417,485
dilutum vinū 402
dimutilatio radicum 289
dyoniſias 642
διὸς ἄνθος 40,49,472
dios balanos 211
dioſpyron, herba 479
diſcalciare vitem 346
diſiugare boues 421
diſponere arbores in quincuncem 144
diſtichum, hordei genus 427
diuaricari 323
¶Dolabella 357
dolabelliana 175
dolabra 357
dolia vincire 389
dolichos,leguminis ſpecies 438
donax 526
dōnervent au vin 399
dora vel dorella,leguminis genus 441

doryenion 609
doryon 609
double poix 579
¶Draco rasilis 312
dracones 317
dracõtea,herba 639
dracunculus 638, 639
dragaganthũ 557
dragee aux cheuaulx 57,493
dryophonos 547
dryopteris 15,625
drys 571
¶Duramenta 306
duramina 306

E

¶ Ebenotriches 161,555
ebenum 603
ebiscus 64,126, 475
¶Echetle in aratro 421
echion,herba 461
echmos,herba 519
ecplixis 288
ἐκτροπία, vini vitium 407
¶Efficere manipulos 492
¶Elæa 194
elæostaphylos 370
elaphoboscũ 446
elate 208,580
elaterium 82,451
elatine 461
eleaginos 196
elegia arundo 529
eleliſphacos 57
eleophillon 633
elyma, aratri particula 421
elleborus 636
elleborum anticyrense 636
elleborũ nigrũ 636
elleborine 637
¶Embryon 421
emphylliſmus 236,238
emplaſtrum 153
emplaſtratio 26, 136
emundare vineta 298
¶Encaiger ou entourer les plantes d'eſpines 147
de l'encens 590
encentriſmos 236
de l'endiue 62
endryon 421
enneaphyllõ 455
enorchi 209
enſemenſer 418
vne ente 152
enter 141,152
enter en bouton 153. en eſcorce 236,153. en eſcuſſon 155, 237. en fente 152,236. en fleuteau 237. en pied de cheure 238,254
enteure 236
enterrer les plantes 153
entretenirvn bois 560
enula 96,481
¶Ephemeron 508 647
epiceras 495
epiglottis 371
epimedion,herba 519
epimelidæ 179
epimelis 193
epimetron 57,374
epipactis 637
epithymum 59
¶Equapium 77
equina cauda 537
equiſetũ 507,537
¶Erable 596
eranthemon 479
ἐρέβινθος 437
erice 605
erinaſmos 203
erinos 202,519
eryſithale, herba 455

erythrodanon, herba 479
erraticum papauer 462
des Ers 440
eruca, herba 69, 116
erucæ, animalia 115,290
erucæ quãdo naſcantur 291
eruilia, legumi-nis genus 441
eruum 116,440
¶ Eſbourionner 280,310,349
eſbrãcher 150,281
l'eſcaille d'une noix 213
eſcaria, riæ 40
eſcarlatte 577
des Eſchalotes 94
de l'Eſclaire 15
vne Eſcorce 134
l'Eſcorce d'vne grenade 166
eſcorcer 149
eſcrotter 343
des Eſcrouelles 15
eſgreneure 382
eſmonder 107,151.
de l'Eſpargoutte 53
eſpiage 372
eſpierrer 417,485
eſpine vinette 20
eſpurge 631
eſſarter 151, 417,486
l'Eſtappe 300
eſula 631
eſula maior 629
eſula minor 630
eſula rotunda 365, 631
etymodryon 570
εὐγενεια 332
euigil matutinus 630
eunuchi palmulæ 209
euonymos 606
eupatorium, herba 507
eupetalon 544
euphraſia 464,645
euphroſyne 71
euphroſynũ, herba 464
¶ Exacinatio, vitis morbus 382
exarare agrum 417
excitare incilia 149
excodicare vitem 346
excorticare arborem 134
excutere triticum 425
exercere agrum 417
ἐχέβοον 421
exherbatio 107
exputare vitem 346
extirpare 485
extirpare verba 141
extricare in agro 417
exturbare arborem 151
exupera, herba 519
exuperantia, vitis morbus 382

F

¶ Faba 438
faba Ægyptia 439. colocaſia 439. lupina 478. põtica 439. Syriaca 189
fabarum paleæ 291
fabarum putamina incõmodum afferunt 289
fabaria, herba 515
facere hortum 10
facere ſcrobem 148
facere vindemiam 385
facere vitiarium 300
factores 200

fæctum olei 200
facon 417
facons 344
fæcatũ vinũ 400
fæx oliuæ 199
fagus 574. campestris 575. scissima 575. syluestris 575
faine, fagi fructus 575
faire branches 125
faire vn chappeau 41
faire clos des vignes 340
faire vn iardin 10
faire fosses pour planter & piquer 48
faire des plantes 340
faire vne terre en vignes 340
falcetũ, herba 474
falx vineatica 356, 357
falx à tergo acuta atq; lunata 141
falces fœnariæ 491
falciũ genera 491
falcula 357
falculæ 390
far 418,432
farfara, herba 515
farfaron 555
farfugiũ, herba 515
farrago, frumenti genus 429,493
farranum, herba lact. 515
du farre 429
fascículus florũ 42
fau 575
faulcher 489
¶Fenion 49
du fenouil 72
feruet vinum in doliis 398
ferula, frutex 611
ferula syluestris 452,612
ferulago 452,612
ferus oculus 469
du feu ardent 31
¶Ficus 202,230,265, 275. Ægyptia 208. Cypria 204
ficus duricoriæ 206
ficus fissionẽ caudicis tolerat 290
ficus Indica 204
ficus Lydiæ purpureæ 206
ficus minimè infestatur vermiculatione 285
ficus pelagica 204
ficus præcoces 206
ficꝰ purpureæ 296
ficus quomodo ponantur 231
ficus recentes 294
ficus serotinæ 206
figadella 552
figere humo plantas feraces 144
figuier 202
figues de Caresme 205
filix 624
filix querna 15
filicula 15,626
filicastrum 625
filictum 624
filipendula 517
filius ante patrẽ, herba 647
findere sarculo 418
fior dogni mese 46
firmũ vinum 396
fiscellæ vindemiatoriæ 388
fiscina frõdaria 135
fistica 217
fistuca 36
fistula pastoralis 518
¶Flagellũ triticeũ 425
flagella 141
flagella fructuaria 307

flagella vitiũ 307
des flambes 43
flamma,herba 537
flammea 50
flãmea viola 473
flammula 48
fleau 425
la fleur du vin 400
florir 125
florabulum,herba 508
floralia 44
florere, siue floreſcere 125,138
flos 138
flos Iouis,herba 472
flos paradiſi 473
flos intẽpeſtiuus 288
flos vini 400
fluta arundo 527
fluuiatilis militaria 554
¶Foderehortulũ 10
fodere ſcrobẽ 148
fodere tertiam foſſuram 343
fodere vineã 342
fœminicornus 190
fœnum autũnale 490.burgũdiẽſe 494.cordũ 376. Græcũ 495. ſanctũ, ſemiaridũ 494. ſerò natũ 490
fœnaria 494,504
fœnilia 491
fœniſex,ſecia 490
fœniſector 491
fœniculus 72
fœniculum 109
fœniculum porcinum 72
fœniculus dulcis, tortuoſus 72
de la foignaſſe 494
de la foignee 494
folium 137. denſum, minutum, patulum 138
fons irriguus 9
fonticulus 550,551
fõtalis,herba 515, 554
fora 390
foreſt 560
formicæ 115,117, 118,191
formicarum vitiũ in vite 383
du fort 51
forte vinum 396
forum olitoriũ 7
forũ vinariũ 300
petites foſſettes 148
foſſuræ 344
fourche fiere 423
fourrage 493
¶Fraces, fraceſcere 200
fraga,fraiſes 84
des framboiſes, framboiſier 19
fraxinus 597
fraxinus campeſtris 597,598
fraxini genera 598
fraxini ſylueſtres 323
frequẽtare vineã nouellam 342
freſnes champeſtres 198,323
frons,frondis 135
frons læta 135, paſſa 374
frondaria fiſcina 135
frondea corona 135
frõdes ponere 350
frondere 125
frondeſcere 135
frondare arbores 135
frondatio 150
frondator 135,150
fructus 138
fructus lauri 545
fruct⁹ quomodo aſſeruari ac recõdi debeãt 291
fructus vineaticus 299
fructiferæ arbo-

res 138
fructificare 138
frugaceum flagellum 425
frugifer iũcus 521
frumenta corda 376
frumẽtarius ager 419
de la frumẽtee 431
des frumẽteux 375
frutex 118
frutex quidã laureo folio 544
frutetum 128,604
fruticare dicuntur arbores 128
¶Fueille menue, espesse, large 138
vne fueillee 22
fugeraye 624
de la fugere 625
fugiens vinũ 396
fulgur 114
fuligo picis 580
fumaria 363,463
fumee de poix 580
fumer 417
fumer les vignes 347
de la fumeterre 364
fumus herbarum incensarũ prodest aduersus nebulas 116
fumus terræ 463
fundus vineis cõsitus 340
fungus 288,513
fungi ac boleti 511
fungi cardeoli 512. igniarii 513. porriginosi 512. primuli 512
furca ferrea 413
furcæ ligneæ 413
furunculus 311
du fusain 606

G

¶Gaiacum 603
galaticum, hordei genus 427
galbuli 585
galeopsis 52
galion, herba 508
galla cãdida, perforata, resinacea 568
galla solida 567
gallæ 139,567
gallæ onocicidæ 568
gallica 192. pastinaca 505
gallitricum 635
gardes de bestail 562
gardes de bois 562
garẽsa, herba 480
gassa, hordei vitiũ 434
¶Gelee en bourre 381
gemma 137,309
gemmant arbores 137. vites 309
gemmascere 137
gemmulæ veris floridæ 309
du genest, genista 605
du genesure 29,585
geniculi, geniculata 210
geniculata 310
geranion, herba 458,569
germandrea 457
de la germandre 94,571,642
germen, germinare 137
gerontopogõ, herba 455
getegũ, herba 475
geum 645
¶Gyes aratri 421
γίγαρτα 373
des giroflees 40,43
giroflees blãches 43
gith, herba 459
githago, herba 460
¶Glabratio 285
gladiolus 48,522,523
gladi⁹ segetalis 460
du glay 48

glaiolum, herba 460
du gland 563
gland de chesne 571
glanderaye 561
glans vnguentaria 565
glandem colligere 561
glandes 563,564
glastum 470
glaucion 460
glycea 41
glycy, vinum 402
glycyrrhidia 621
glycyrrhiza 620
de la glu 182
¶Gnaphalion, herba 477
¶Gomme ammoniac 613
gonatium, aratri particula 421
gongylis 87
gossipion 622
¶Graine de paradis 617
grains fennez 373
grains de laurier 545
gramen 447
grana, herba 478
granata acida 165
grandis margarita 504
grando 114
granum paradisi 617
grappage 372
vne grappe de raisin 371
grateron 446
grecanica arundo 527
vne greffe 141, 236,244
grenades aigres 165
grenades doulces 165
vn grenadier 165
gressure 382
greuer la vigne 381
vn groseillier 20
grossi 20,205
grossuli 20,205
grossularius 20
grualdum 430
du gruau 430
¶Guadū vel gualdum, herba 470
de la guaulde 470
gueret 144,220
le guernier aux pommes 156
guesda 318
guy de chesne 572
guyenne 186
des guimauues 64
guinea 185,186
des guindoules 159
vn guindoulier 159
des guynnes 186
gummi 557
gūmi Arabicū 196
gustus spineus 330
gutta, frutex 613

H

¶Halia aratri 421
halicacabum 34
halimos 611
haliphæos 573
hanebanna 449
hardea 316
harmel 636
de la hart 316
hastiueaulx 376
hastula regia 95, 482
vne haye 18
haye seiche 101
¶vn Heaulmier 186
heaulmes 186
hedera 12. alba, bacchica, celsa 13. humilis siue terrestris 14
hederalis, herba

645
hedipnois 63
hedioſmos 55
hedyſaron 478
helenium 96,481
helice 308
heliopos 465
helioſcopion 630
helioſtrophos 465
heliotropion 45, 465
helix 13
heluolæ vuæ 377
helxine 14,364
hemeris 570
hemionon 17,640
hemionitis 17, 640
hepaſticum, hordei genus 427
hepſema 403
heptaphyllō 456, 634
heraclea 364
herba cati 54
herba fullonum 481
herba Iudaica 364,447
herba ſancti Ioannis 641
herba ſancti Philippi 470
herba ſancti Spiritus 613
herba venti 468
herbæ arboribus circunuolutæ 626
herbæ cultis agris enaſcentes 459
herbæ fontibus adnaſcentes 551
herbæ lacte manantes 629
herbæ pratenſes 496
herbæ requietis agris enaſcentes 445
herbe au chat 54
herbe a ſiege 627
herbæ vineti 358
herbum, herbe 478
vne herce 424
hercer 418,487
herigeron 69
heritage ameublé 9
hermodactylon 508
heſperus 43,167
heſtre 573
¶Hibiſcus 126,475
vne hie 36
hieracia maior & minor 63
hippogloſſon 543
hippolapathum 70
hippomarathrum 72
hippoſelinum 77
hippuris 537,550
hirci barbula 476
hirceſſit vel hircit vitis 381
hircina ſpina 557
hirculat vitis 288
hirculus, vitium morbus 381,615
hiſtoboe 421
¶Holcus 456
hordeum 427. Gallaticum 431. mundatum, trimeſtre 427
horminum 60
horminum ſylueſtre 635
hornotinæ fruges, nuces 401. plantæ 40
hornotinum vinum 401
hortus 6, 105. olitorius 7. penſilis 8. riguus vel irriguus 8
quomodo variè claudēdus Hortus 101
horti foſſio 103

horti positio ac situs 97
horti Hesperidũ 9
horti instructi 9
hortenses herbæ quid desiderent post sationem 107
hortulus 9
vne hotte 423
du houblon 32
vne houe 341,355, 423
houe fourchue 355, 423
houer 341.344
houer de premiere facõ 342,486
vn houyau 355
du housson 546
houssaye 576
du houx 123,576
¶Hyacinthus 44, 635
hydnon 83
hydrolapathum 71
hydropiper 501, 554
hyoscyamos 448
hypætræ ambulationes 22
hypericon 641
hypericon vernaculum 642
hypocisthis 610
hypomanes 623
hypopion, herba 452
hyssopus 56,110

I

¶vn Iardin 6
iardin de mesnage 7
iardinet 9
vn iardinier 7
iarus 638
iasione 76,365
iasminum 26
¶Ibiscus 64,475
¶Idæa 543
¶Iesiminum 26
ietter bois 306,350
les iettons 305
iettons d'vne annee 305
¶Ilex 575. agrestis 577. aquifolia 576. coccifera 577. glandifera 576. nigra 578
ilicetum 123,576
illecebra 365.456
¶Impedare vites 351
imperatoria 613
impetigo 288
impia, herba 456
¶Incalmare 141
incalmatio 136
incana, herba 456
incensum 590
incernere terram cribro 426
incerniculum 426
incilia 149
indica canna 620
induit se nux in florem 138
infistulatio 261
ingerminatio 238
inhumare talcas 153
inoculare 262
inoculatio 136,153, 260
insecare oleas falce 149
insecare vitẽ 346
inserere arbores 151
inserere in oculum 262
inserere vites 347
inserendi noua quædam genera 266
insitio fieri debet ante crescẽtem Lunam 240
insitio scutulata 153

insitiones variæ 236,239
instituere vineas 340
instituere vineta 298
instruere hortũ 10
instrumenta & vasa ad vindemiã 387
instrumenta vineatica 354
quibus instrumẽtis insitorẽ munitum esse oportet 241
interlegere arbores 150
interlucare ramos arborum 151
interlucatio 151
interpurgare arbores 150
interputatio 151
interradere arbores vel vites 150, 346
interuallum 39
interualla inter singulas arbores 275
intybum 62,108
inuertere scrobes 148
inula 96,481
inulæ radix 117
inuolare 176
inuolucrum 308, 616
¶Iomarinus 521
du ioncmarin 560
du ioſmin 26
de la iotte 75
de la ioubarbe 15
vn ioug 421
vn ioug de terre 416
iouis barba 602
iouis flamma 49
iouis flos 49
¶Ipes, vermis 382
ipnos 134
¶Ireon, legumínis genus 434
irio cerealis 434
iris 48
iris agrestis 460
irrigare hortum 10
¶Isatis satiua 470
ischades 205
ischæmon, herba 476
isopyron 463
isos 476
¶Italica vlmus 538
itea 535
iterare 343
iterare agrum 418
¶Iua muſchata 480
iuga 352
iugare vites 352
iugiolina, legumínis genus 433
iuglans 211, 226, 294
iugerum 416
iugum 421, 422
iugum ploſtrariũ 422
iulus 139
iuncus acutus 520. angulosus 522. cabacinus 523 marinus 521, 560. odoratus 521. quadratus 522. rotundus 522. triãgulus 522
iunci lapidei 523
iunci paluſtres 520
iuncorum genera 520
iuniculus 312
iuniperus 29,585
iuraia, hordei vitium 434
iuſquiamum 449

L

¶Labourer vn iardinet 10

labourer de premiere facon 417,486
labourer de la seconde fois 418
labra lignea 390
labrusca 31,315,316
laburnum 601
du laceron 63,365
lachryma 134
lachryma vitis 134
laconica arundo 529
lacta, casiæ genus 620
lactaria 519
lactuca 61
lactucam serendi modus 107
lacus 389,513
lacus vinarii 390
lacopus 445
lætatio 282
laictue 61
des laictues a põme 62
lambucus 26
lanaria, herba 87
lanata vua 377
lanceola & lanceolata 445
lapathum 69,70
lapathum rotundum 70
lappa canaria 457
lappa minor 450
lappago, herba 457
lapsana 443
larix 280,586
laser 613
laserpitium 613
lathyris 631
latifolia 542
latifundia 491
lauanda 616
lauandula 57
de la lauande 56
lauer 68
laurus 214, 541. Alexãdrina, angusta, baccalia 543 cypria, delphica 542. humilis, lapidea 544. regia 543. sylueſtris 542. spadonia 544. sterilis, tenuifolia, triũphalis 542
laurus, vitis morbus 384
lauernũ oleũ 545
laurea 176
laureola 544
lauretum 541
¶Ledum vel lada 610
λείριον 46
leguli 200
legumina 432
de la leueſſe 77,91
lenis 372
lens, lentille 439
lens paluſtris 516
lentiſcus 587
lentiſcus Italica 587
leo terræ 196
leontice 645
leontopetalon 477
leontopodion 46
leophyllos 73
lepidium, herba 467
leporis cuminum 445
leptocarya 215
leptophyllos 54
du lettron 62
leuare arbores fronde 150
leucacantha 26, 557
leucanthemon 26
leucea 604
λευκόϊον 42. luteum 14,43. cãdidum 43
leue vinum 396
leuiſticum 92
¶Liarre 22
λίβανος 589

libanotis 25,590
liber 134
libyon 499
lychen 552
lichnis 464
lycion 558
lycopsis 461
lier les vignes 351
liege 577
lieu boccaigeux 604
lygea 604
lignum 133
lignum putidum 607
ligneſcere 135
ligo 355
lygon 536,604
ligulæ tibiarum 530
liguſticum 90
liguſtrum 20, 128
liliaſtrum 368
lilium 46
lilium conuallis ſiue conualliũ 48,647
limaces 115
limes 342
limitare vineas 341
limitare vineas decumano 341
vn limon 168
limonium 168
lymphatum vinũ 402
linconion 505
lingua bouis 463
lingua canina 464
lingua ceruina 640
lingula torcularia 392
linozoſtis 359
linozoſtis ſylueſtris 452
linum 435
linum ſylueſtre 196
liothaſium, raphani genus 443
liquiritia 621
lyrare agrum 418
du liſet 368
du liſeron 76, 368
liſeta in vite 383
liſimachios 509, 510,648
liſtacia 217
lithoſpermon 479
du liz 46
lizipha poma 159
¶Lobæ, culmi milii 432
locuſtæ 115
lolium 434
des lombardettes 75
lora 411
lora, deuteria 401
lorea 401
lotus 189,577
lotus ſylueſtris 499
lotus vrbana 499
¶Lucus 562
lunaria maior 364,625
lupha 638
lupinus 441
lupus reptiuus 32
lupulus 32

M

¶Macer 213
macma 400
maiorana 52
maior beluis 564
la maiſtreſſe racine 129
malacociſſos n 517
mala aurea 166. ætioſtruthia 170. bericoca 171. cedria 594. chryſomeliana 170. citrea & citria 167. cotonea 169,170,230. granata 230. in-

ſana 83,164. melenſana 164 mellita & dulcia 170. miluiana 170. muſtea 170 neopolitana 170. præcoqua 171. punica 165,296. ſtrutia 169,170 trecacina 171. melea 157,158
malleolus 136,310
malleolus palmipedalis 311
malleoli præſidiarii 311
malleolaris virga 136
male tigne 19,70
malicorium 166
malorum genera ac differentiæ 158
malua 63,109
malua hortenſis 444
malua terreſtris 607
maluaſie 408
malum terræ 369
malum perſicum 172
malus 265
malus arbor 157, 158
malus armeniaca, ſue armenia 170,274
malus bifera 159
malus cotonea 274
malus cotonea quo modo ponatur 231
malus cydonia 24 168
malus fiſſionem caudicis tolerat 290
malus generoſa, inſita 159. medica 166
malus perſica 166, 171,266. præcox 171. punica 165. ſerotina 159. verna 279
mandragoras 83
manna thuris 590
manus chriſti 501,635
marra 355,414
le marc du vin 400
marathrum 72
de la mariolaine 53
mareſtides 331
mariolaine d'Angleterre 55
mariolaine ſauuage 55
margarita 50,503
margarides 109
des marquottes 311
marrain 303,304
du marrubium 59
du maſſault 21,317
du maſtic 55
mater arborum 220
materia 303
materiarius 304
materiaria fabrica 304
materiari 304
materiatæ ædes 304
materiones 304
mater in vite 307
mater radix 119
mater violarum 43
matiana 20, 128, 317
matricaria 52
matriſſylua, herba 627
matrix 133,134
des maulues 63
maurella 370
¶Mecon 365
medica, pabuli ge

nus 494
medulla arboris 134
medion, herba 499
mel frugum 433
mel ericeum 605
melampiron, herba 434,463
melampodiũ 636
melampsithium, vini genus 402
melancræna 521
melandryon, herba 459,480
melancranis, vnci genus 521
melanthion 117, 459
melapi 160
melensana 83
melgemella 161
melia vel milea 592
meligreta 617
melilotos 90
melimela 170,265
meliphyllon 60
de la meliſſe 60
meliſſophyllon 60
melitites vinum 404
melyza 93
mellina, vini genus 404
melo codognio 81,169
melones 81, 113, 157
melopepones 81
membranosa cutis acini 373
memitha, herba 460
menta 55,110
menta aquatica 53
mentastrum 55
menyantes, herba pratensis 497
des menues pensees 50
le menu bois du feſte de l'arbre 142
meon 459
la mer du preſſouer 392
merasia 186
mercurialis 359
la mere goutte 394,400
merga 355
mergottæ 312
mergus 312
des meriſes 186
des merueilles 618
mesa canabis 436
vn meſlier 192
meſſiers 376
meſiraignes 383
μεσόβοον 421
meſoila 277,295
meſpilus 192
les meſſiers 300
μεταγγίζειν 398
metare arbores aut vineas 144
metatores 144
meteil 429
metere 419
meu, herba 459
des meures 211
vn meurier 210
mezereon, herba 452
¶Militaris fluuiatilis 516
milium 432
milium ſolis 479
millefolium 506
millepertuis 641
du millet 432
myrrha vel myrrhis 463
miſcellæ vites 376
mittere porcos ad paſcua 561
mittere radicem 131
miua 417
¶Modius in agro 417

molæ fœnariæ 492
moly 474,636
molibdena 510
molle vinum 395
mollis acanthus 65
mollugo 457
moloche 475
molochia 75
molon,herba 459
vinũ monemuaticum 331
montanus ager 415
monter en bois 306,350
monter les vignes 350
mora terreſtria 84
morbus ſancti Menani 367
moreon 210
morgellina 362, 469
du moron 361
moron baſtard 363
morõ violet 464
mororum ordo 209
morus 265
morus quo modo ponatur 231
moſceuton 28
moſceuma 28
moſchata 213
moſchocarydion 215
moſchocaryon 215,565
vn mouchoir 42
de la mouſſe 134, 551
du mouſt 394
¶du Muguet 48, 647
des muiz 300
mulſa aqua 404
mulſum 404
agreſtes mures 115,118
muris auricula 361,362
murinum loliũ, herba 462
murum morbus in vite 382
murinula,vini genus 403
murrhina,vini genus 403
murauris 361
du murte 546
des muſcadeaulx 374
muſcatelavua 374
muſceton 28
muſchetum minus 508
muſcus 134,241, 551,
muſcus in floribus 552
muſculus 134
muſica arũdo 529
muſtea 163
muſtęa pyra 176
muſtum lixiuum 400
¶Myagron 463
mydion 570
mylaſea canabis 436
myoſotis 361,362, 363,643
myratum,vini genus 403
myrepſica balanus 565
myrice 605
myriſtica 213
myrobalanum 560,564,565
myrobalanus Ægyptia 566
myrobalanus Æthiopica,Arabica, Thebaica, 565
myrobalani 566
myrrha 591
myrrha reſina 591
myrrhine 546

myrſinites 629
myrtæ 547
myrtidanum 547
myrtus 266,546. alba, coniugalis, nigra, ſylueſtris, 546. nemoralis 547
myrtus purgatione indiget 280
myrtaceũ vinum 548
myrtetum 545
myrtides 547
myrtinum oleum 548
myrtorum genera 546
myſon 575
myzaria 181
myzos 181

N

¶Napina 88
napus 87,442
napus bunias 88
napunculus 89
napi 112
napy 78
narciſſus 44
nardum creticũ, gangicum, indicum, ſampharitícum, ſyriacũ 614. mõtanum, ſylueſtre 625
nardus celtica 56, 58,615
narthecium 612
narthex 611,612
naſtos arundo 527
du naſitort 68
naſturtium 68, 108,553. aquaticum 68,553. ſylueſtre 452
naucifacere 199
naucum 199
vn naueau 87
naueta 442
nautea 607
¶Nebrides 199
nebula 114
nebulæ 115
nectar 404
nectere coronam 41
vne neffle 193
vn nefflier 192
nemus 562
nenuphar 514
nepeta, nepita 54
nepotes 312
du nerprun 319
neuras 558
nexilis arũdo 527
¶Nyctegregõ 626
nictilops 626
de la nyelle 472
nigella 460
nigella Romana 459,472
des nigriers 75
nympha, herba lacuſtris 514
nympha vomeris 422
nymphæa pteris 625
niuatio, vitis morbus 382
¶vn Noyau 172
noix de cedre 594. de cypres 585. de galle 139, 567. d'inde 216
noix muſcade, muguette 216
des noiſilles, noiſettes 215
vn noyer 211
nomentanæ vites 338
noſtrates frutices 604
nouale 415
nouella prata 484
nouelletum 335
¶Nucamenta 139, 140
nucifolium 621
nuclei 373
nuclei pinei 226, 583
nucleorum ſatio in ſeminario 225

nutrire vinũ 399
nux odorata 565. auellana, Græca, pontica 212
nuces 214, 276. heracleoticæ, præneſtinæ 215. iuglandes 224. pineæ 579
nuces quomodo ſerantur 224
nucipruna 180

O

obierus 312, 541
¶Obtuſio oculorum 288
¶Occa 423
occare 343, 417
occipitium vindemiatoris 326
ocymaſtrum 57, 374, 461
ocymoides 461, 519
ocymum 112, 493
ocymum aquaticum 519
oculus 309
oculus bouis 448
oculus catti 464
oculi 136
oculi fructuarii 309
¶Odontides 494, 504
odoratũ vinũ 395
¶Œdnon 88
de oeillets 44
oeilets d'Inde 49
oeillet de Provence, de roſette 111. de Turquie 49
l'oeilleton 309
des oeilletõs 136
œnante 31, 316, 320
œnoe 320
œnomeli 404
œnophoros 320
œnothera 445, 623
les œufs de paſques 49
¶Oignons ſauuages 94
des oignonnettes 92, 95
¶Olea 194, 273
olea caſta 196
olea diffiſſionem caudicis tolerat 290
olea purgatione eget 280
oleæ 229
oleis quod ſolum ſit aptum 274
olearius 200
oleaſter 195
oleago 196, 452
oleaſtellum 196, 452
oleitas 199
olera 126
olera in agris ſpõte naſcẽtia 443
oleriarbores 126
ὀλεόκαρπος 535
oleum gleucinũ 200. iaſminum, omphacinum, roſaceum, rutaceum, ſabinũ, ſecũdarium, tortiuum, violatũ 201. laurinũ 545. picinum 580
olibanum 590
oliuitas 199
olynthi 205
olyra, frumenti genus 431, 428
olitor 7
oliua 197
oliua pauſia 198
oliuæ 199, 295
oliuæ colymbades 198
oliuæ halmades 198
oliuerus 195
oliuetum 183, 194, 206
oliuetum quomodo facias 230
oliuarius 200
vne oliue 197

oliuella 196,452
vn oliuier 195
olla 288
ollaris vua 378
olus atriplicis 74
olus cordum 66
oluſatrum 77
¶Omphaciũ 394
omphacites vinũ 394
ōphacitis vua 567
¶Onagra 623
onoſma 478
onotrichis 555
onitis 55
onychis 181,617
¶Opera in agro excolendo 417
operæ 344
ophioſcorodon 93
ophioſtaphylō 318
opierus 322,541
opimus ager 415
opiſthocarpion 204
opobalſamum 622
opopanax 90
opos cyrenaicos 613
opulus 322,541
¶Orchaneta 447
orchis 500,634
orchis ſerapias 636
orchites 190
ordinare vineta 298
oreoſelinum 77
de l'orge 427
orge mondé 427
origanum 55,110
oriza 431
orme 537
ormaye 537,561
ormeau 538
orminum 60,434
orneogloſſum 603
orni 323
ornithogalon, herba 466
orobanche 466
orobethron 610
orobia 590
orobus 440
orthomaſtica poma 161
oruala, herba 470
¶de l'Oſier 536
franc oſier 530
oſyris, oſyrias 58
oſmonde real 624
oſter la pelure 149
oſtum 200
¶Ouati fungi 512
¶Oxalis 65
oxalis minuta 369
oxia 575
oxyacantha 20,130
oxicratō 401,406
oxylapathon 70
oxymala perſica 168
oxymeli 406
oxymyrſine 605, 646
oxyphœnix 207
oxys 498
oxyſchœnos 520
oxytriphyllō 498
¶de l'Ozeille 70
ozeille de Tours 70
ozenitis 614
ozimon 57

P

¶de la Paciẽce 70
pacquet de lettres 42
pain bis 430
la paiſſon 561
pala 205,354,423
palare vineas 350, 351,353
παλίμπασα 579
du palitry 556
paliurus 559
paliurus Africana 560
palma 207,208,275, 279,280,300,301
palma Ægyptia 216,565
palma Chriſti 118
palmulæ 208
palmulæ Thebaides 209

palmetum 206
palmes 136
palmes emeritus 312
palmes focaneus 305
palmes fructuarius vel fructuosus 305
palmes pampinarius 305
palmes præsidiarius 305,307
palmites ãniculi, nouelli, veteres 305. trigẽmes & bigemmes 311
vne palme 207
palus 327,351,353
du pãpelion 540
pãpinus resex 310
pampini 310,372
pampini racemarii & steriles 310
pampinare 310
pampinare vineã 349
pampinator 310
pampinarium 310
des panaits 89
panaiz sauuage 91
panax 90
panax asclepium 90
pancration 95
pangere 354
panicula 139
panicum 433
panis ater 430
panis cuculi 498
panis escarites 405
du paniz 433
pannier a vẽdenger 387
pannucea poma 161
papauer 86,112
papauer cornutũ siue corniculatum 86
papauer erraticũ, soporiferũ 86. rhœas, rubrum 462
papauerculũ 477
papyrus 532
parachyton vinũ 404
parc en bois 562
parella 70
parietaria 14
parilema 300
partes agri ex dimensione 416
parthenis 54
parthenium 52
pas d'asne 555
pascuarii 562
pascere pratũ 489
des pasquettes 50
passe fleur 49,468
des passepommes 163
passerina 362
du passe velours 49
passula 374
passum vinũ 402
des pastenades 90
pastinaca agrestis, satiua 89
pastinare 341,555
pastinum 10,341, 355
pastus camelorũ 522
patta leonis 454, 477
du pauot 86
¶Pectines 133
pedare vites 351
pedamentum 327
pedamentum robustum 353
pediculus 138
pedicularia 318
pedicularis herba 451
pelecinos 478
pellibossa 509
penis, arbor 573
le pennier coulouer 388
pentadactylõ 506

pentaphyllon 506
pentaptorum 506
pentatomon 506
le pepin 214,373
pepiniere 122,220, 340
peplion 365
peplis 365
peplos 365,631
pepo 80,113
pepona 80
percer du vin pour la boiſſon 399
percipere fructũ 138
perdicias 14,364
du peré 174,179
pergula 23
periclymenõ 617
periſtereon 519
perpurgatio quãdo fit 281
perſea arbor 173
perſica 226,296
perſica duracina 172
perſicus Ægyptia 181
perſicetum 276
perſicæ 276
perſicaria 510,632
du perſil 76
du perſil Macedoine 76
perſinocapy 453
perſonata 72
de la peruẽce 544
pes Alexandrinus 608
pes columbinus 458
pes cornicis 466, 502
pes gallinaceus 364
pes miluinus 454
pes vinacei 373
pes vituli, herba 638
des peſchenoix 172
peſches de Troye 171
peſches de Corbeil 172
petaſites 450
petilium 49
petilius flos 49,111
petiolus 138
petit vinet 396
petræ barba 455
herba petræ 476
petræa 75
petræum 630
petrophyos 630
petroſelinum 77
petroſelinum Macedonicum 76
peucedanum 72, 647
peupler vne vigne 342
vn peuplier 312
pezicæ fungi 511
¶Phalacras 319
phalangium 641
phalaris, herba 458
phaſeolus vel faſillus, leguminis genus 440
phaſiolon, herba 463
phellandrion 555
phellodrys 576
phellos 577,578
philãthropõ 446
philetæria 632
phyllitis 17,640
phyllon 635
φίλον 137
philura 595
phleon 517
phlion 517
phlæos 367
phlomos 449
phœnices 208
phœnicobalani 209
phœnicion 362
phœnium 468
phœnix 207. herba 462
phthiropodon 583
phu 481,637

phuſca,vini vitiũ 406
¶Picea 583
piceæ fructus 583
piceaſter 583
picis bitumen 580
pied de geline 364
vn pieu ou eſchalatz 351
piloſella 643
pilula comigera 568
pilulæ 568
piment 372
du piment royal 372
pimentum regale 518
de la pimprenelle 66
vn pin 582
pinus 275.280,582
pinus aquatica 554
pinus maritima 582
pinus mõtana 582
pinaſter 582
des pions 133
piper 603
piperitis 56,316
pipinum 214
piſſaſphalton 580
du piſſe en lict 63
piſſelæon 580
piſtacia 217
piſum, leguminis ſpecies 436
piſa cerra 438
pituitaria 318,451
pityis 583
pityrides 199
pityuſa 630
pix liquida, ſicca 579
pixacanthon 558
¶vne Place 37
vne planche 37
plãtæ in agris excoli, aut ſua ſpõte naſci ſolitæ 426
plantæ in ſeminario natæ, quam curam deſyderent in tranſlatione 227
plantæ ſylueſtres 143
plantarum nouellarum cura 280
plantalia 141
plantaria 121
planter 143
plãter vn iardin 9
planter vne terre en bois 569
plãter des vignes 340
des plãtes 120,125, 313
ieunes plãtes 340
des plãtes ou nouueaux cõplants 334
plantes franches 143
plantago 445
plantago aquatica 518
platanus 266, 279.549
platani pumilæ 550
platanetum 548
platyphyllon 575, 630
plocimum, arundo 527
ploſtrũ vel plauſtrum 422
plotia, arũdo 527
plumbago, herba 510
plure 138
¶Poeureta, herba 49
poires d'angoiſſe, bergamotes, de tuffé 178. de bõchreſtiẽ 176. de calliot, de certeau, de chiot, a deux teſtes 177. d'eſtrãguillon, de fin or, de ha-

ſtiueau 178. muſquettes, de noſtre dame 176. de ſainct Martin 177. ſauuages 174. tardiues 175
vn poirier 174
poirier ſauuage 174
pois de merueilles 35
des poitrons 180
poix de Bourgongne, noire 579. graſſe 580
poix reſine 579
poix ſeiche 579
polemonion 632
polygallon 508
polygonaton 310, 628
polygonon 554
polypodiũ 15, 626
polypremnos 291
politrichon 556
polium 56
pollex 307
poma acida, calamila, capenduta, domeſtica & dulcia 162. amerina, auſtera, camerina, corinthiaca, delphica, gemella, græcula 161. adami 166 amorum, balſamina, caſtinia, francetura, hieroſolymitana 164. appiana, claudiana 160. arantia 167. cupidinis 80, 83, 164 lanata, manliana, matiana, melapia 160. lapidoſa, orbiculata, picena 161. malacria, paſſipoma 163. mirabilia 164. paradiſiana 162, 163. petiſia 162
pomapyra 265. peluſiana, ſcantiana 161. purpurea, rubelliana 164. rambura, renetia 163. ratelliana 162
poma ſerica 159. tiburtina 161
pomorum ſeruandorũ ratio 294
pomarium 44, 123. 154, 156, 276
pomelea 454
vne pomme 157
pommepoire 163. d'amours 83, 164. de bois 161. de chaſtignier 164 de coing 169. de courtpendu, franches, pierreuſes, de rateau 162. d'eſtrãguillon, gemelles 161. de franceſtu, rouueau 164. demalingre, renette 163. merueille 32
pommier 157, 158. de deux portees 159. enté, franc, ſauuage, tardif 159
vne pommeraye 156
pomerium 157
põpons turquins 80. d'yuer 82. ſuccarins 6, 81
pomponiana 175
du ponceau 86
ponere ſemina 340
populago 515
populus 322. alba 539. libyca 540. nigra 539, 540
populi nuptæ 322

populetum 538
porcellana 366
porrago 464
porreaux 78
porree 75
porreta 475
des porrettes 95
porrum 78,112
porricidæ 115
portulaca 65,366
posca 401,406
positio aut satio arborum in pastino per taleas aut surculos 230
positio horti fœlix 98
potamios stratiotes 516
potamogeton 515, 554
potens vinum 396
poterion 516,558
du pouliot sauuage 56
de la pourcelaine 65
pourpier 65,366
¶Prædium 5
præfaminum vinum 402
præla vinaria 391
prasium 59
pratum 483
prata irrigua 483
pratenses herbæ 496
prella 508
prendre racine 131
presbyteri barba 455
vne presse 172
presses a vendenge 391
le pressoirage 400
le pressoirier 200
πρῖνος 575
procidere vitem 347
profundere palmites 306
progemmare 350
promus 399
promere vinum 398
propago 306,313
propagare 313,344
propagatio 348
propagatio arborum in pastino positarum 234
proscindere 417, 486
prosternere in terram vineas 345
prouigner 234, 345
vn prouing 348
pruina 114
prumnus 180
pruna armeniaca 180
pruna asinina 180, 181. damascena, hordearia, malina 180. iberica 181. noberdiana 183
pruna myxa 181
pruna onychina 180,183. persica 168. popularia, serica 181
prunetum 276
prunus 179,277
prunus damascena 265
pruni 230,276
pruni quo solo proueniũt 274
pruni sylueſtres 179
prunidactyla 182
prunorum seminarium 233
prunelles 179
prunellier 180
prunes blanches, dates 182. de damas 180. de iozas 181
vn prunier 179
¶Pseudocasia 620
pseudocostum 56
pseudodictamnũ

644
pseudomelãthiũ, herba 460
pseudonardus 58, 616
psyllium 463
psilothron 31,625
psythium, vini genus 402
psittacia 217
psora 367
¶Ptarmice 608
ptelæa 537
pterion 624
pteris 624
¶Pubescere 350
pulegium duplex 56
pulicaris herba 463
pulices olerũ 117
pulli arborum 133
pulmonaria 454
pulmonea poma 161
pulpa 134
puluerare 343
puluinus 38. acetarius 61,39. fructuarius 79. cõdimẽtarius 40, 73. radicarius 86
puluini, norũ 38
pumila arbor 64
punica 265
purgare pratum 488
purgare arbores 279
des pussons 117
putamen 138
putamen ligneũ 213
putare vineas 345
¶Pylon 568
pyra 175,295. anguſtiana, bergamota 178. bicipitia 177. bonchreſtiana 176,296. calculoſa 161. caliona 177. certoliana 177,295. chia, martiniana, roſata 177. cruſtumina, decumiana, ſalerna 175. finora, præcocia, ſtrangulanea, tofacea 178. mariana, muſchata 176. muſtacea, roſacea 196. ſerotina, ſyria, ſuperba 175. volema 176
pyromela 163
pyrea 174
pyrethrum 608
pyrites 615
pyrus 174,265,277
pyrus agreſtis 276
ſatiua, ſyluatica 174
pyrorum differentiæ 173
pyros quod ſolũ delectet 274
pyraſter 174

Q

¶Quaſillus 348
quercus 570
quercea corona 571
quercetum 561
quercula 642
querculana porta 571
quercula, herba 571
quercia 571
quermes 577
la queue 138
la queue de la grappe 371
quincunx 145
quincuncialis figura 144,145
quinquefolia 506
quinquepẽna 506

R

¶Racemus 371
racematus 372
racematio 372

racemarii malleoli 372
vne racine 129
racemosus 372
radius aratri 421
radix 129
radix in vite 303
radix capilla siue capillaris 130
radix cauernosa, corticosa, limosa, fibrosa, nodosa. 130. dulcis 620
radix sancti spiritus 613
radix viua 129
radicula, herba 481
radices edules agris excoli solitæ 441
radicare arbores quando dicuntur 130
radicatio 285,286
des rayons 227
rayonner 418
vn raisin 371,372
raisin foulé 376
raisin tourné 377
raisins blancs 375
raisins a la cotte dure 377
raisins derniers meurs & tardifz 376
raisins au grain long 377
ramalia 135
rameau de chesne 571
ramus frondosus 135
rami 135
rami furculosi 136
ranæ 119
ranunculus 502
raphanus 87,442, 467
rapina 88
rapum 87
rapus, radix 441
rapus terræ 628
rapus syluestris 442
rapunculus 89
rasteau 356, 424, 487
rastellum, herba 474
rastrum 356, 423, 487
ratteler 487,492
vne raue 87
¶Rechausser 148
rechausser ou recouurir la vigne 348
recisio 281
de la recliſſe 621
recroistre 350
refalcare prata 489
refrigerare vinū 399
regaing 490
regestum 342
vn reietton 67,132, 311. reiettōs 305
reietter 350
relier les tonneaulx 389
remedia aduersus noxias aëris tẽpestates 114
remplir le vin 399
renouueler la vigne 350
des reons 144
reonner les arbres ou sauuageaulx 144
reonneurs 144
repastinare 343,355
repionner 133,350
reprendre racine 303
de la reprinse 367
repubescere 350
repullulascere vitis dicitur 350
requiet⁹ ager 415
des reses 144
resex 305,307
resina cocta, cor-

ticata, gallica, lignosa 579 colophonia 55. lentiscina 588. terebinthina 589
resinacere arbores 579
responses 89
resta bouis 558
restibilis ager 415
restituere pratum 490
resueille matin 630
retorresçere vites quando dicuntur 350
du resueille matin 631,365
reuenir 350
reuponticum 648
¶Rhamnus 20, 230,233
rhoa 165
rhœa 165
rhus 605,606
¶Ridica 353
rigare pratũ 488
rigatio 107,279
rigoliſſe 621
riguus ager 415
du riz 431
¶l'herbe Robert 66
robor vel robur 569,570,571
rochelle 378
rodora 645
ῥόδος 27
des romans 75
rompre ou greuer la vigne 381
vne ronce 19
de la rocquette 69
roratio 285,288,382
roſa 27 111,265
roſa canina 610. hiericontis 28. trãſmarina 444
roſæ albæ, damaſcenæ 27. autũnales 28
roſæ marinæ, trãſmarinæ 28. moſchatæ, purpureæ ſiue prouinciales 27
roſarium 28
roſaria quomodo ſerantur 104
roſacea aqua 27
roſaceum 27
roſaceum oleũ 27
roſago 616
roſaye 525
roſes d'oultre mer 64
roſeau 525
du roſmarin 25
des roſſettes 311
rouore 571
¶Rubia, herba 479
rubigo 114.116
rubigo, vitis morbus 381
rubus 18. canis 19. idæus 19,230
rubi 235
rubeta obſerata ſtili nouo 115
rudetum 415
de la rue 58
ruella 446
rumex 69,640
rumpi 313,353
rumpotina vel rũpotineta 353
rumpotinæ arbores 353
rumpotinetũ 534
rupellana vua 378
runca 107,357
rũca ruſticaria, ſegetalis 424
runcæ 390
runcina 357
runcare 425
runcatio 107
ruſcus 546,605
ruta 58,110,117
ruta ſylueſtris 636
rutinalis, herba 91
rutellum 356
rutrum 356,424

S

¶Sabina, herba 30

ſacidata, farris genus 428
du Saffran 77
ſagapenum 612
ſagitta 307
ſaillie 23
ſalade 61
ſaledragon 517
ſaliunca 615
ſalix cãdida, gallica, nigra, perticaria 535. amerina, græca, ſabina, viminalis 536. equina 537.
ſalicum genera 535
ſalictum 534
ſalicaſtri imago 316
ſalſicortex 573
ſaltus 562
ſaltuarii 562
ſaluia 57
ſaluia vita 16
ſamara 223,538
des Samoireaulx 377
ſampſychus, ſiue ſampſuchus 53
ſana munda, herbæ genus 446
ſandaracha 119
ſanela 78
ſanguinaria 360, 486
ſanguinella 360
ſanicula 503,633
ſanſa 199
ſantonge 52
ſantonica, herba 52
ſapa, vini genus 403
du Sapin 580
ſaponaria, ſaponalis 481,627
ſaracenicum milium 433
ſarbouſſes 127
ſarcler 107,487
ſarclet 107,355, 424,487
ſarculum 107, 35, 424
ſarculum ligneũ 487
ſarculatio 107
le ſarment 304
ſarmentum 304
ſarmentum emucidum 304
ſarpe 107
ſarræ, pabuli genus 496
ſarrazine 368
ſarriette 58
ſarrire 418,487
ſatio trimeſtris 106
ſatyrion erythrococton, indicũ 501. maius 635. minus 561,634
ſatyriorum genera 500
ſatiua raphanus 443
ſatiuæ plãtæ 143
ſaturare agrum 486
ſatureia 58,110
de la Saulge 57
ſaulge de bois 632. frãche 57. d'oultre mer 635
ſauinier 30,585
ſaulx 535
ſaulſaye 123,534
ſaurex 131
des Sauuageaulx 120,143
ſaxifica 477
ſaxifragia 60
ſaxifragia maior 646
¶Scabies 286
ſcabioſa 367
ſcalpellum 241
ſcammonium 631
ſcapus 373
ſcauiola 62
ſcelerata 503
σχῖνος 587
ſchœnon, mucus

512
ſcylla 94
ſcylla epimenidia 95
ſcyllæ 117
ſcipio 371
ſcirpare 317
ſcirpicula 306, 357,387
ſcythica radix 620
ſclaria, herba 470
ſcolopendria 17, 640,641
ſcordion 93,94, 643
ſcoroditis 94,471
ſcorodopraſſum 78,93
ſcorpiones 115
ſcorpionis crema ti nidor 118
ſcorpierus, herba 465
ſcrobes 148,127
ſcrobiculi 148
ſcrofularia 15, 89,470
ſcrota ſacerdotũ 607
ſcrupulus in a- gro 416
ſcrutũ, farina miliacea 432
¶Du Seau noſtre Dame 618
ſecale, frumenti genus 429,430
ſecare prata 489
ſecourgeon 417
ſecundaria vina 400
ſecũdarium paſſum 402
ſecuridaca, herba 478
ſedum maius 191
ſegeia, herba 627
ſeges miſcellanea 429
ſeigle 429,430
ſeillons 417
ſelinois 73
ſelinon 76
ſelinum montanum 77
ſemen leoninum 477,479
ſemen trimeſtre 106
ſementina pyra 176
ſemer vne terre en bois 560
ſemiaſina 17
ſemyda 597
ſemina 373
ſemina ceraſorũ 121
quæ Semina in Autumno ſerãtur 107
ſemina vetera 106
ſeminum natura 105
ſeminalis 554
ſeminaria ex baccis & pilulis 223
ſeminaria ex vinaceis & acinis quo modo fieri debeant 222
ſeminaria pomorum 121
ſeminarii defoſſi præparatio ad ſementem 221
ſeminarium 119, 120,121,123,220
ſemitare vineas 341
ſemperuiuum agreſte 367
ſemperuiuum minus 366,456
ſene 35,610
ſenecio 69
du Senecon 69
des Senelles 557
du Seneué 78
du Senicle 633
ſenilis, herba 455
ſetamum 192

ſentlomalachon 76
ſentis 18
ſentis caninus 19,67
ſep de prouing 313
ſepes 18. ſtructilis, virgea 101. viua 18,102
ſepimẽtum 18,101
ſepimẽtum agreſte 101
ſepimentum fabrile 102
ſepimentum naturale 18,101
ſepimenta hortorum 11
ſerapinum 612
ſerere arbores 143 pratum 487. ſyluam 560
ſerere taleis 140, 153
ſerendi tempora 106
vn Serfouet 425
du Serfueil 71
ſerfouer 425
ſeryphium 52
ſeris 62,159
vne Serpe 317
ſerpentaria minor 638
ſerpentes 115,118
ſerpillum 71
du Serpollet 71
ſerratula 457,642
ſerrula 241,356
ſerrulæ manubriatæ 241
ſerta 41
ſeſamoides 636, 637
ſeſamum & ſeſama 433
ſeſamon agrion, herba 465
ſeſeli æthiopicũ, creticum, baſilienſe, peloponneſiacum 646
ſerpillum 109
ſeta 210
ſetania 192
¶Sycaminea 209
ſycaminon 210
ſycaſmos 203
ſiccana vlmus 538
ſiccanea prata 484
ſyce 202,210,365
ſycea 209
ſicilire prata 489
ſicyos 82
ſicys agrios 451
ſicla 75
ſycomorus 203
ſide 16
ſyderatio 285,286
ſideritis 364,447
vne Siette 356
ſigillũ beatæ Mariæ 517,628
ſigillum Salomonis 48,130,628
ſiler 516
ſiler aquaticum 516,555
ſilybon 560
ſiligo 428
ſiliqua 495
ſiliqua Græca 187
ſiliquæ dulces 188
ſiliquaſtrũ 56,316
ſylua 560
ſylua Barbarica 561
ſylua cædua 560
ſylua cõſeminea 561
ſylua glãdaria 561
ſyluula 561
ſimoniacum trifolium 497
ſymphytum magnũ, minimum 50. petræũ 50, 632
ſymphyti genera 632. ruſticum 452
ſinapi 78,110
ſion 68,555

des Sions 141
ſiræũ vinum 403
ſyria ſpina 559
ſyriaca myrobalanus 565
ſyringia ſarũdo 527
ſyringodes 620
ſyron 459
ſiſamum 433
ſiſaron 91
ſiſer 91
ſiſymbrium 68,553
¶Smilax aſpera & lenis 627
σμύρνα 591
ſmyrnion 77,109
¶Soccus aratri 421
ſochetum 522
ſolanum inſanũ 609. lignoſum 31. ſoporiferum 370.608
ſolatrũ 370. mortale 609
ſoldanella 366, 456
ſoliſequium 45
ſolũ pingue 100, 274,279
quod ſolum ſeminariis eligendũ 220,221
quod ſolũ ſingulis arboribus amicum 273
ſoli cõmoditas 100
ſoli conſyderatio 100
ſomphos 33
ſonchus 365
ſorba 266,277,297
ſorbus 191,275
ſorex 131
ſotellæ 311
la ſouche 131,303
du ſoulci 45
¶Spadix 136
ſpadones 306. arundines 519
ſpadonia poma 161
ſparganion 523
ſparton 604
ſpatha, herba 460
ſpathe 208
ſphaceliſm⁹ 285,286
ſphacelus 57
ſphæcle vini 400
ſphõdylion 91,518
ſpina ceruina 559
ſpinatia 108
ſpinetum 556
ſpinuli fungi 512
ſpionia dapſilis 329
ſpionicus guſtus 330
ſplanchnon 551
ſplanchnos 134
ſplenium 16
ſpoliare arborem fructu 138. vitẽ pampinis 349
ſpõgioli fungi 512
¶Squilla 94
ſquilliticum oleũ & acetum 95
ſquinantum 522
¶Stachys 59
ſtacte 592
ſtaphyle 318,370
ſtaphylinus 89
ſtaphilodendros 601
ſtaphylus 370
ſtaphis agria 317, 451
ſtatumina 353
ſtatuminare 354
ſtatuminationes 353
ſtercus bubulũ 117
ſtercus melius 282
ſtercorare 417. pratum 486. vites 347
ſtercorandũ poſt purgationẽ 282
ſternere vineã 345
¶Stica 374
ſtipulam raſtellis eradere 492
ſtyrax 592
ſtirpare verba 142
ſtirpes 141

ſtirpitus 141
ſtiua & ſtiuarium aratri 421
ſtœbe 367,517
ſtolo 132,310
ſtorax 592
ſtratiotes potamios 554
ſtrygis, frumenti genus 431
ſtrychnon 370. hypnoticum 608 manicum 609
ſtrobili 579,585
ſtrobilus 85
ſtrophia 41
ſtrumea 502
ſtruthiomela 169
ſtruthion 481
¶Subarare radicem 131
ſubdiales ambulationes 22
ſuber 577
ſubigere pratũ 486
ſubigere ſcrobes 148
ſublucare arbores 151
ſubmittere propaginem 345
ſubmuſtum 395
ſubſecare prata 489
ſuccus Cyrenaicus 613
ſucula torcularis 391
ſuffragines 313
ſuffrutices 128
ſulcus 348,417, 422
ſulci 39
ſumach 605
ſummiſſa prata 485
ſupercilium veneris 506
ſupplantare vuas 345
ſurculus 136,236
ſurculi præciſi quomodo ſeruentur 245
ſurculi prægnãtes eligendi 242
ſurculi quando & vnde legẽdi 247
ſurculi vitiginei 306
ſurculi vti excidendi 243
quos ſurculos quæ arbores patiantur 264
ſurculorum inciſio 244
ſurculare plantas vel arbores 149
ſurcularium 121
ſurelle 70
ſurmouſt 395 404

T

¶Tabulata 136
tabes arborũ 288
tabulatum fœnarium 49
tagete 54
vne taille 313
taillervn bois 560. les oliues, des ſciõs, pour plãter 149. les vignes 345
vn tailliz 122,561
talea 140,230
talpæ 115,118,191
talus, herba 646
tamarindi 209,605
tamariſcus 605
tamarix 561
tamarum 319
taminia vua 318, 377
tamnum 319
tanacetum 58
tanaiſie 58
tapſus barbatus 449
vn tarault 357
tarco 72
taxa 545
taxus 598
¶Telephium 366
telæ xylinæ 622

temo aratri 421
tenia,herba 466
tenue vinum 396
terebinthus 588.
indica 589
terebra 357
terere triticũ 425
termes 136
terminare 136
terra ſurcularis 306
terra vinealis 299
terre labourable 419
tertiare 343,418
teſte d'aulx 93
teſticulus canis 501,634
teſticuli ſacerdotum 366,500
les teſmoings 309
tetrahil 364.447
teucrion & teucria 457
¶Thapſia 452,612
thelygonon 635
thelycrania 190
theriſton 622
thya 600
du thym 58
thymbra 58
thymelæa 196,465 611,
thymos aratri 421
thymus 58
thymum 110
thlaſpi 452
thlaſpidion 452
thnia 600
thrauſma 613
thridace 61
thus 589
thus mammoſum 590
thus terræ, herba 480
thuris lachryma 590
¶Tibialis arũdo 529
tiercer 418
tignus, vel tignũ tigni 354
tylacitis 615
tilia 595
tillet 595
tinnæ 390
typha, vnci ſpecies 523
typha cerealis 429,478
tirer le vin 398
tithymalus coronarius 620. maſculinus 629. paralius 630
tithymali genera 629
¶Toille de boccaſſin,de cottõ 622
tonica,herba 505
torcular 391
tordylion 646
tori 314
tormentilla 456, 507,634
torpeton 631
la torqueure 253
tortuoſum anethum 459
tortiuum vinum 395
tota bona 60,470
le tournouer 392
toxica arundo 527
¶Tradux, traducis 140
traduces 313.353
tragacantha 557
tragos,vitiũ morbus 381
tragos cerealis 431
tragopogon 476
tragoriganum 55
tramites 39
tranſferre arbores ex ſeminario in arbuſtum 152
tranſlatio inſitarum arborũ 271
tranſplanter 152
trapetum in torcular 39
treille 22
tremula 533
tribulus 518.terre

ſtris 519
tricoccum 193
trichomanes 556
triſolium 497. acetoſum, acutum 498. magnum 494. maius, minus, odoratum 499. ſatyriũ 500
triganium 193
trigemmes palmites 137
trigum, vini fæx 400
trinum vinũ 401
trioſſum 193
triſſago 457,571, 642
triſſago paluſtris 93,643
triticum 426
trixalis, herba 519
trochlea in torculari 392
du troeſne 20
trogenes 600
troglodytica myrobalanus 565
le tronc 132
vn troncon 140
trudere gemmas 137
truffes 88
truncus 132,303
truncum vti communias poſt inſitionem 252
¶Turiones 141
tuber terræ 88
turbulentum vinum 402
tuſſilago 450,555

V

¶Vaccinium 44
vallare 354
vallare vites 352
vallaris arũdo 527
valeriana minor 637. pratenſis 638. maior 481, 637
valli 352,354
vappa, vini vitiũ 407
vaſa ad vindemiã 387
¶Vbolima 319
¶Vectes in torculari 392
vehemens vinum 396
velarum, legumininis genus 434
veneris pecten 474
ventilare vinum 399
ventilabrum 425
du verare 636
veratrum album 636
veratrum nigrum 636
verbaſcum 449
verbaſcum ſylueſtre 450
vn verger 119,122
veriuſt 376,394
vermis viridis 383
vermes quomodo enecẽtur per hyemẽ ab agricolis 286
vermicularis 366
vermiculi 115
vermiculatio 285
vermillon 577
vernaculum vinum 405
vernacula vlmus 538
vernix 586
verrucaria 45
verſus, in agro 416
vertẽtretum 481, 637
vertere agrũ 417
veruactum 415
veſcum triticum 430
veſicaria 34
veſpertiliones 115, 119
veſſæ lupinæ 513

veſſe, veſſerõ 436, 495
vettonica altilis 111. coronaria 44
vetera prata 485
vetulum vinũ 397
¶ Viburnum 316
vicia 436,495. agreſtis 467,496
viciago 496
viciola 496
vicialia 495
viere & vincire vites 351
vigne de rapport 333. qui entre en fleur, ieune, nouuelle, coulees 334. faicte au labeur, ramees 335. en friche 31. gemelles 318. de mauuais rapport 333. courantes 324. haſtiues 336. rampantes 321
vn vigneron 299
vignoble 298
du vigoron 360
vin d'vne annee ou d'vne fueille 401
vin doulx 394. de famille 399. ferme, foible, fort 396
vin gros, eſpez 396
vinacea 112,373
vinca peruinca 544
vinciboſcum 627
vincire dolia 389. manipulos 492
vindemia 199,385
vindemiare 385
vinea 298,299, argitis 332. caluata 339. conſeminea 298,338. defloreſcens 333. proſtrata 345
vineæ arbuſtiuæ 311. brachiatæ, capitatæ 335. characatæ 327. conſtratæ 325. iugatæ 352. nouellæ 334
vinearum poſitio ac cultura, 378
vineago 364
vineale porrũ 369
vineale reueliũ 631
vineatica ſemperuiua 367
de la vinette 65,369
vinetum 297. reſtibile 298
vineta 369
vinitor 127,299
vinitorius 299
vinum achaicum, æquanum, albanum 409. acinaceum 373. acratophorum 316. aſperum 395
vinum tertiæ notæ 395. tortiuum 400. tranſuaſatũ 405. vetuſtate edentulũ 397
vini genera 392. vîcia 406
villum 396
vina cãpana, fauſtiana 408. Italica 410
vina à collibus 413
vina à pagis 412
vina à regionibus ac prouinciis 411
vina ab vrbibus & ſolo 407,411
viola, quadrageſimalis 43. altilis 44. cheiri, lutea 14
violæ 110
violaria 43
de la violette 43

des violiers blãcs, iaulnes 43
viorna 316
virga pampinaria 305. paſtoria 471
virgæ 141,313. malleolares 141
virgulta 126,141
viridarium 119
virile ſacerdotis, herba 638
viſcus querneum 572
vitia agri 415
vitex 196,315,536
vitex maior 536, minor 537
vitis 275,300,301
vites præciæ 336. præcoquæ 335. proſtratæ 325
vites vnciariæ 327
vitium morbi 381
viticulæ 309
vitiarium 300
vitra filigna 625
viuiradices 140, 313
viurna 606
la viz du preſſouer 391
¶Vlceraria, herba 503
vlmus 537. campeſtris, gallica, mõtana 538
vlmi maritatæ 322
vlmarium 537,561
vlpicum 113
¶Vnedo 117
vnguentaria nux 216
vnguis odoratus 617
vngues ferrei 390
vngula caballina 555
vnio 92
¶Vocabula agriculturæ 41
vocabula ad pratorum culturã pertinentia 485
volemia pyra 176
volubilis maior 368
volucra volucrũ 368,382,626
volucres locuſtæ 118
voluox 291,382
voluulus, vitis morbus 382
vomer 422
¶Vredo 288
vrceolaris 14,364
¶Vua 374
vua, pro vite 371
vua, pro apũ examine 371
vua acerba vel peracerba 376
vua purpurea & ſanguinalis 375
vua rupellana 378
vua ſerotina & corda 376
vua ſerpentaria vel colubrina 378
vua tamina 377
vua variat 377
vua venucula 378
vuæ helnolæ 377
vuæ ollares 375
vuæ præciæ 376
vuæ ſemiuietæ 374
vuæ varianæ 377
vuarũ genera 370
vuolea 370

X

¶ξύλοι 140
¶Yurayge 510

Z

¶Zea, frumenti genus 418
zegio, caſiæ genus 619,620
Zygia 596
zygos 421
ζιζάνιον 434
Zura 559

FINIS.

WS 4202
DUG